**Praxis chirurgico-medica ... in qua morborum, qui ob vitia succorum sanguinem antecedentium, & ipsius quoque sanguinis contingunt, causae, phaenomena, atque curationes ... describuntur / [Yvo Gaukes].**

### Contributors

Gaukes, Yvo, active 1695.

### Publication/Creation

Amstelaedami : J. Wolters, 1708.

### Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/zr6by6s2

### License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

C.E.RAPPAPORT
LIBRAIRIE ANCIENNE
ROME

E. XV. d
18
24205/A

27032

YVONIS GAUKES
Med: Dr. & Ch.

# PRAXIS CHIRURGICO-MEDICA,

Experimentis propriis, iisque infinitis, viginti sex annorum spatio, & quod excurrit, magno negotio collecta:

*IN QUA*

Morborum, qui ob vitia succorum sanguinem antecedentium, & ipsius quoque sanguinis contingunt, causæ, phænomena, atque curationes succinctè ac methodicè describuntur.

GIESSENSIS
BIBLIOTH.

AMSTELÆDAMI.

Apud JOANNEM WOLTERS, 1708.

27032

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

Μωμήσεται τις μᾶλλον, ἢ μιμήσεται.

# PRÆFATIO
# AUTHORIS
## ad LECTOREM.

QUisquis cum rationis dictamen, tum maximè legum divinarum monumenta inspicere non gravatur, protinus certa munera in creatoris sui gloriam sibi obeunda esse cognoscet. In iis verò non posteriores tenere, quæ ad hominis valetudinem pertineant, & à Medicis præstanda veniant, facilè concedent, quicunque, quanti interfit mentem sanam in corpore sano esse, noverunt. Illorum autem corporis humani vitia prævenire, & ad sanitatem perducere partes esse, inficias ibit nemo. At si quid mortalium generi salutare in ægris suis observarunt, id cum aliis communicare, & juris publici facere, sui muneris esse non æquè credunt, vel certè non credere se re ipsa ostendunt. Utique hoc facere incumbit iis, quibus quotidie multorum laborantium cura committitur, ut qui plurima observent necesse est, quæ ab aliis nequaquam animadverti licet. O quam insigniter per illos maximè viros salutaris ista nobis professio increscceret, si experimenta sua, & ab iis, prout cuique respondent, medendi vias tractas emitterent! Igitur, ne officio meo

desim, quicquid longo temporis intervallo in artis medicæ exercitio, πράξιν vocant, notavi, prodere memoriæ constitui. Neque συκοφαντῶν morsus à scribendo me deterrebit. Primùm, ut omnia, quæ salutaria usu didici, comprehenderem: deinde, quia medicina hodiernâ perfectior desideratur. Quæ ut inter initia ab experimentis deducta est, ita ab iisdem ulterius perficiatur oportet. Proinde ad ea maximam curam meam transtuli. Praxin autem medicam in tres partes dividi satis erit, ita ut in una, & morbi è succis lædentibus, qui ante sanguinem considerari possunt; & ex ipso sanguine malè habente, nati tractentur. In altera, qui ob succos vitiosos glandularum ope è sanguine secretos contingunt, explicentur. Et in tertia tradantur, qui per res corpora nostra extrinsecus malè afficientes, eveniunt. Unam autem partem hoc volumine diligentissimè comprehendi: reliquis duabus, Θεῷ χάριν τε καὶ βίον διδόντι, olim secuturis. Illud verò ante omnia scire convenit, quod tres Medicinæ partes, quarum primam διαιτητικὴν, secundam φαρμακευτικὴν, tertiam χειρουργικὴν Græci nominaverunt, ita connexæ sunt, ut ex toto separari non possint. Siquidem ut vix ullum morbi genus sine remediis & victu curatur, ita ferè quodlibet

libet manum neceſſariam facit. Ergo neque Medici, neque Chirurgi intra ſuam profeſſionem conſiſtere ullo modo poſſunt. Quod in cauſa eſt, cur ego quoque ſemper omnes Medicinæ partes ſimul tentaverim. Quam ob rem hoc volumen, quod iſtas conjunctas habet, *Praxeos Chirurgico-Medicæ* inſcripſi. In hac autem fermè ſola venditavi, prout mihi ceſſit, plurimaque, de quibus inter authores parum conſtat, experientia edoctus poſui. Etenim Medicus ſine uſu malè habet. Et ſi ne agricola quidem aut gubernator diſputatione, ſed uſu fit, multò magis id de Medico intelligendum eſſe puto. Idcirco vel viginti ſex annos, & quod excurrit, quotidie, quicquid in ægrotantibus meis annotatu dignum erat, ἀκριβῶς chartulis mandavi, quod profectò non ſine labore fieri potuit, bene gnarus, quod ἑλὲν ἄνευ ἴδος καμάτου τε πράγμα τέλειον. Nam operâ, quæ olim in proximi commodum cedere poſſet, tempus teri ſatius, quam nihil vel malè agendo illud omnium pretioſiſſimum perdere judicavi. E ſupradictis igitur patet, hæc mea qualiacunque è propriis experimentis, exceptis pauculis, originem traxiſſe, cum varii jam pridem viri longo rerum uſu deſtituti vix aliud quicquam agitaverint, niſi quod acceperant, aut præjudiciis occæ-

cati cerebro conceperant. Unde non potuit non frequenter incidere, ut horum præcepta ſecuti committerent, cujus poſtea pæniteret. Id quod mihi quoque prioribus praxeos meæ annis nonnunquam uſu veniſſe confiteor. Hinc verò conſtat, quam utilis ſit experientia, & libri ab eadem deducti. Loquor de vera, quam ratio nebulis præjudiciorum diſcuſſis pura comitatur, alioquin σφαλερὴ, & ἀνοητῶν magiſtra erit. Cum ergo, quicquid hoc volumine continetur, ei innitatur, video futurum, ut quibus nunquam multi ægri traditi fuerint, ſed in magiſtri verba jurantes, aut ſecundum rationem præjudiciis obnubilatam judicantes, multa in eo ſint vituperaturi; quin nonnulla periti rejecturi, quia πᾶσι ἀρέσαι δυσχερέσατόν ἐσι, & quot capita, tot ſententiæ. At eos precatos velim, ut judicium ſuſpendant, donec occaſio idem periculum faciendi occurrat recurratque; vel nobiscum agant, ut quod res ſit, rectè intelligant antè, quam illud ferant. Adhæc modum tractandi, quo Mathematici uti conſueverunt, amplecti viſum eſt: etenim primò morborum cauſas remotas, deinde ex illis provenientem proximam, & tum φαινόμενα ex hac prodeuntia perſecutus ſum. Etiam hæc eo ordine diſpoſui, quo ex eadem pro-

xi-

ximè ſe ſe ſequi credidi, quum è contrariò plerunque more receptum eſſet, ut à nomine, quod grammaticis relinquendum oportebat, initium caperent, & definitionem ſubjicerent. Quæ explicatio veræ morbi ideæ verbis facta non priùs poni debuit, quam phænomena è cauſis deducendo, in mente formata fuerit. Naturam namque vel eſſentiam alicujus rei nullo modo per definitionem, ſed eam ex cauſis ſuis tanquam naſcentem conſiderando, noſſe oportet. Ob hoc ipſum vox *natura* à naſcendo derivata mihi videtur. Itaque cum per experimenta ad notitiam intrinſecæ & abſolutæ rerum naturæ perveniamus, jure merito à quodam πειρὰ μαθήσι & ἀρχὰ perhibetur. Tum quorundam morborum cauſam proximam, ceu ſine qua nemo mortalium reperire poſſit, cur hoc potius quam illo utatur, multa & plusquam vulgaria circumſpiciendo, longè aliam, ac ab aliis factum ſit, propoſui. Videlicet eam, è qua commodiſſimè phænomena deduci queant omnia, & quam auxilia confirmare: uti hoc ex *Diſſertatione* una *de lue venerea*; & altera *de ſcorbuto*, idiomate vernaculo editis, cuivis patere poteſt. Quin & aliquot nova genera morborum, in quibus nihil adhuc uſus oſtenderit, prout inciderunt, retuli. Cujus

generis vomitus, & alvi fluxus pituitoſus, &c. ſunt. Etenim pituitæ duntaxat ore vel alvo redditæ, ut apud quosdam poſitum eſt, mentionem facere, non eſt hæc vitia perſequi. Porro operam navavi, ut morbos à morbis curioſè per phænomena propria diſtinguerem, ut illorum diſtincta perceptio habeatur. Cujus rei cauſa quoque ea diligentius, quàm ab aliis factum video, animadverti. Id quod eò magis neceſſè erat, quod per eadem in obſcuro poſitas cauſas, quæ adverſam valetudinem præſtent, eruere, & ex his curandi rationem ducere oportet. Quicunque enim hoc non facit, nunquam feliciter ægros ſuos curaturum concipio. Igitur arcanum ſummum morbis medendi eſt, imo παναάκεια omnibus vitiis opem ferendi, curioſa omnium phænomenῶn obſervatio, ex iisque veræ mali cauſæ deductio. Neque eorum quoque explicationem è cauſis adjiciendam exiſtimavi, partim ne voluptatem id faciendi lectoribus præriperem; & partim ne hoc volumen in nimiam molem excreſceret. Et aliquot præcipua, reliquis excluſis, exponere, non niſi ſcopas diſſolutas, quæ meritò à viris doctis vitio vertuntur, eſſè ſum arbitratus. Præter hæc vitiorum, quæ fatigare Medicos ſolent, σὺν Θεῷ ſanandi ratio-

tionem; & quo pacto reliqui tutò, celeriter, & jucundè curentur, candore & amore ductus docui. Id officium Medici eſt. Id votum eſt. Tum ſanitatem reſtituendi auxilia, ut puta inſtrumenta & medicamenta, poſui, quorum quædam vel apud magnos Medicos non reperi; vel apud eos reperta emendavi, ut erudito hoc opuſculum perlegenti manifeſtum fiet, Verùm ad rem pertinet ſcire, quod ex inſtrumentis pro *fiſtula argentea* capite octavo deſcripta, ſub finem humoris emiſſi, ubi venter multum ſubſidit, altera mucrone retuſo, ne intus lædat, in foramen jam confirmatum eſt demittenda. Imo non pompoſis utplurimùm compoſitionibus uſus fui, quippe quas minus prodeſſe experimentis cognitum eſt. Sed nobiliſſima tantum remedia executus ſum, eaque facili negotio, & vili pretio parabilia. Unde duplex lucrum redit, ad medicum temporis, & ad ægrum nummorum: nam ſæpe non minus ægrorum loculis, quam ſaluti conſulere Medicus cogitur. Interea temporis precor, ne, ſi quem fortè auxilium aliquod à me poſitum decipiat, id protinus fidem non habeat. Etenim quæ medendi cauſa reperta ſunt, nonnunquam in pejus a liqui-

proxima apprehendere debebo, quod contuliſſe plurimum videbitur. Succos verò, qui ante ſanguinem ſunt, 1, *chymum*; 2, *ſtercus craſſius*; 3, *pituitam inteſtinalem*; & tandem, 4, *chylum* poni res ipſa deſiderat. Igitur ante omnia de malis, quæ *è chymi vitiis fiunt*, explicare opus erit. Illa maximè *ſtomachi gravitatem celeriter* (eſt namque & altera, quæ *tardè* ob fermentum iners contingit) *ortam*; ejuſdemque partis *imbecillitatem* eſſe exiſtimo. Primum de *priori* referam, cujus *cauſam* quidem *remotam* eſſe puto, ſi ciborum plus aſſumit aliquis, quàm debet, præcipueque ex his, qui difficulter concoquuntur: ἄπεπτα Græci vocant. Hæc autem res efficit, ut chymus juſto craſſior ac immobilior naſcatur, in quo *cauſam* vitii *proximam* conſiſtere judico. Ob eam ipſam enim non paulatim, ſed protinus poſt cibum ſtomachus gravatur. Quod ad curationem verò pertinet: hoc vitium ut cito fit, ita & cito per *ſal volatile oleoſum* noſtrum, cujus hæc compoſitio eſt:

℞ *Spirit: ſal: armoniac: vinoſ.* ℥j.
*ol: macid.* gutt. viij.
*cort: arantior.* gutt. v.
*caryophyll.* gutt. iij.
*M. in vaſculo vitreo ſubere & veſicâ claudend.*

fini-

finitur. E quo guttas triginta vel quadraginta in tribus cochleariis vini potioniſve cerealis, ter quaterve, pauculis momentis interpoſitis, ſumere commodiſſimum eſt. Sin id parum proficit, *tartari emetici* granis tribus reddi oportet, quicquid receptum eſt.

## CAPUT. II.

### *De ſtomachi imbecillitate.*

DIxi de priori morbo, qui è chymo vitioſo eſt; ſequitur ut de inſequente dicam, quo ſtomachus reſolvitur atque languet, ideoque *ſtomachi imbecillitas* appellari meretur. Ea verò, vel ubi quis aſſiduè aquam bibit, maximeque frigidam; vel poſt multas potiones aquæ coctæ, in qua aut folia thee jaceant, aut fabæ coffi combuſtæ & quam optimè tritæ ſint decoctæ, creari poteſt. Ergo *cauſa remota* eſt immodicus aquæ uſus; ut *proxima* chymus ob id ipſum aquoſior factus. Quod ſi hujus mali metus ſit, quamminimum aquæ, & ejus calidæ aſſumendo ſuccurri oportet; vel ante potiones aquæ ex herba theè fabiſve coffi paulum cibi capiendo; vel iſtis potionibus validis modi-

eiſve utendo; vel cum iis corticem arantiorum conditam edendo; & denique ſupradicta potione ſpiritus vini aromatici, ſed ne quid nimis, includendo. At ratio curationis ejuſmodi eſt: homo *ſalis volatilis oleoſi* noſtri guttas triginta aut quadraginta in cyathio vinò, horam ante cibum, ter quaterve die, ſumit: cum eo, ut inter hæc quoque cauſam remotam fugiat.

## CAPUT. III.

*Inſt. Sylv. l. c. p. 7.* *De tumore farciminali.*

EXpoſitis autem morbis, quos vitia chymi excitant, nunc tranſeundum eſt ad eos qui è *ſtercore craſſiori*, *eoque vitioſo* eſſe ſolent id eſt, *tumorem farciminalem* & *lumbricos* Prioris verò *cauſas remotas* eſſe *cibos viſcido* exiſtimo, cujus generis ſunt avenæ alica e lacte dulci cocta, lac dulce diu coctum, car nes vitulinæ, partes animalium maximè ex ſangues, piſces inprimis elixi, panis tritic ceus recens, & ſimilia. Quibus addi opor tet *res acidas*: lac ebutyratum, acetum, li moniorum medullam, poma, fructus hora rios omnes. *Dulcia*, utputa *ſaccharina* & *mellita*: ſaccharum, ſyrupum vulgarem me

mel, mulſum, uvas paſſas. Item, plus ciborum, quam quis concoquat, ſumere; & ventrem pedeſque frigidos habere. Quæ ſtercus ſupradictum omnia viſcidius reddunt, in quo quin hujus mali *cauſa proxima* conſiſtat, dubitatio eſt nulla. Id enim inteſtino pleniori ab interiore parte adhærens tumorem durum, paulatim increſcentem, oblongum, & non protuberantem faciat neceſſè eſt, quem à ſimilitudine *farciminalem* appellare viſum eſt. Cæterum plerunque in abdominè à ſiniſtra parte ſentitur, quam ob rem ferè, ſed minus rectè, lieni tribuitur. Jam ventum eſt ad curationem, in qua homo non *cauſas* tantummodo *remotas* evitare debet: ſed *pinguia* quoque, ut butyrum, oleum olivarum, pinguedines animalium; non ſine *aromatis*, quæ ſunt piper, zinziber, ſinapi, cinnamorum, caryophylli, cæteraque per cibos ſumere; corpus exercere ambulatione, pila, armis, at citra laſſitudinem: & nimio ſomno abſtinere. Ex medicamentis autem nulla majorem uſum præſtant, quam *ceratum* noſtrum *de cœpis*, quod ita componitur:

℞ *cœpar: ſub cinerib: aſſ: excort: minutiſſ: conciſ: & contuſ.* ℥v.
*ſapon: Venet.* ℥xij.

*ceræ flav.*
*reſin.* an. ʒiij.
*farin: fœnigr: trit.* ʒvi.
*olei olivar:* parum.
*Liquef: ſimul, & agita piſtillo, donec frigeſcat.*

Hujus parte membranulam largiter illitam ſuper duritiem imponere opus eſt; tum ſuperinjicere vinculum ut id contineat, nam corporis motu facilè elabitur. Et quia diebus aliquot interpoſitis, circa inareſcere conſuevit, paulum olei olivarum ibi immiſcendo iterum mollire ſatis eſt. Quod ſi per puſtulas exiguas, eaſque prurientes, è quibus interdum humor limpidus exit, ſumma cutis exaſperatur, ea, cerato remoto per ſe; vel paulo *unguenti Neapolitani*, quod capite vigeſimo quarto poſui, illito finiuntur. Deinde tantum *emplaſtri de mucilaginibus*; vel *de labdano*, quod hoc modo fit,

℞ *labdan: ping.* ʒij.
*taccamah.* ʒß.
*maſtich.* ʒvi.
*ceræ.* ʒvi.
*reſin.* ʒj.
*terebinth.* ʒß.
*ol: menth: per decoct.* ʒj.
*abſinth: deſtill.* ʒj,

*une:*

*auc: moſchat: per expr.*
*balſam: Indic.* an ʒß.
*M. F. L. A. Empl.*

adjici debet, ut illa non ſequantur. Cui magis placet *linimentum*, ex hoc, vid. Syſt. Opp. p. m. 188.

℞ *ung: alth: compoſ.*
*ol: lilior: alb.* añ. ʒj.
*philoſoph.* ʒij.
*M. ad fictile.*

partem duram leniter bis die ad ignem perfricare poterit; & linteum quadruplex, quod mutari non oportet; & veſicam tenuem; & vinculum, ne anteriora cadant, ſuperdare. Præter hæc ad ſanitatem maturiorem reddendam, non alienum eſt ſaponis nigri cochlear ſemis aquæ communis unciis octo dilutum, olei raparum cochlearibus duobus adjectis, ſubter in anum dare. Cui rei *veſica cum adnexa fiſtula eburnea*, Germanis authoribus; vel *clyſter ſtanneus*, qui ad authores Gallos refertur, prout ſedes vitii requirit, idoneus eſt. Quin intrinſecus non mediocriter in hoc malo conducunt hæ *pilulæ de gummis purgantes*,

℞ *gumm: ammoniac: depur.*
*limatur: chalyb: ſubt: trit: & cribr.*
*mercur: dulc.* añ. ʒß.
*caſtor.* ℈j.

*reſin: ſcammon.* ℈ij.
*magiſter: gumm: gutt.* ʒß.
*trochiſc: alband.* ℈j.
*ol: caryophyl.* gutt. x.
*M. F. pil: no.* LVI *ad ſcatul: dand.*

è quibus quovis mane, ſtomacho vacuo, tres, aut quatuor, vel quinque, quotve duabus tribuſve dejectionibus ſatis eſt, ſunt devorandæ. Per quæ auxilia hoc tumoris genus, ſæpe alvi fluxu præcedente, diſſolvitur.

## CAPUT. IV.

### *De lumbricis.*

CUm tumorem farciminalem propoſuerim, proximum eſt, ut *lumbricos* ſubjiciam. Quorum *cauſas* quidem *remotas* viſcida, acida, dulcia eſſe concipio; quæ proximo capite ſupra comprehenſa ſunt. Itemque cibos, qui ægrè digeruntur; eaque, quibus muſcæ utplurimum inſidere gaudent, cujus generis ſunt caſeus, lac dulce, carnes animalium, & ſi quæ plura ſint ejuſmodi, in quibus ova ponunt. Ex hiſce verò *cauſam proximam* ſequi neceſſè eſt, conſiſtentem in ſtercore craſſiori, quod viſcidius, quam eſſe

eſſe naturaliter oportet, muſcarum ova habeat. Siquidem ex iis calore vermes excludi experimentis conſtat. Qua de cauſa pueros, qui multis lactariis, fructibus horariis, & ſaccharatis utuntur, neque à cibo ſolidiori ſibi temperant, maximè hoc vitio exerceri deprehendimus. Et contra lactentes; atque ablactatos, cum cibi, ne muſcæ accedant, in promptuariis ſervantur, non ita vexari. Atqui interdum eos *teretes*; rarò latos, ταινίας Græci dicunt: utroſque aliquando perquam longos videmus. Dantur & alii maximè exigui & ſubſilientes, qui vermiculos in caſeo degentes referunt, & ἀσκαρίδες à Græcis nominantur. Porro ut hi in inteſtino recto; ita illi in colo proveniunt, id quod facit, ut ſæpe cum eo, quod excernitur, deſcendant: licet quoque nonnunquam aſcendentes ore reddantur. At aſcarides quidem, vel per ſe ex ano prorepunt, vel ei, quod venter reddit, impliciti deorſum feruntur. Eſt autem *una* certè *nota*, quæ eos eſſe teſtatur, *infallibilis:* ubi infra ſuprave apparent. Etenim vitium, quod κακεξίαν Græci vocant, *ventris inflatio*, *fœditas oris*, *narium pruritus*, *corporis macror*, *aucta cibi & potionis cupiditas*, omnia ſunt modo *ſigna conjecturalia*. Quando evenit, ut non mul-

tum cibi aſſumatur, tormina, imo convulſiones, quæ ferè aut hyſtericæ, aut totius corporis ſunt, accedere poſſunt. E quibus hæ peſſimæ ſunt, & nonnunquam perimunt. Si tormina ſine convulſionibus continuant, lumbrici etiam *ulcera in inteſtinis* faciunt, quæ & dolore, & ſtercore purulento ſe manifeſtant: vel cum dolore foramina in iiſdem facta perrepunt, tumore externo ſubſequente. Nam tunc aut *in ventris cavitatem inguen verſus* delabuntur; aut quoque peritonæum perforantes *inter id & muſculos hærent*. Ubi verò *in inguinis interioribus* ſunt, mortui putreſcant neceſſè eſt, exterioribus & putredinem inferentes. Quæ proinde in tumorem elevatæ aut per ſe, aut ferramento aperiuntur. At qui *inter peritonæum & muſculos* hærent, ſive moriantur, ſive in vivis maneant, ſinum efficiunt, in quo pus coit, duritie accedente. Deinde cum pus increſcit, tumor, qui in exteriorem partem fertur, ſupervenit, aperturam itidem, vel per ſe, vel ſcalpelli opera recipiens. Tum illâ egreditur unus pluresve lumbrici, vel *chymo & potione*, vel *ſtercore*, vel *neutro* comitati. Quod ad *aſcarides* verò ſpectat: præterquam quod, cum apparent, de iis certi ſumus, magnum in ano pruritum excitant, in dolorem quando-

doque abeuntem. Quin & interdum ulcera, continuam desidendi cupiditatem, cum alvo liquida; aut sine hac, quem τεινεσμὸν Græci appellant; comitem habentia, concitant. Ut autem lumbricis medeamur, *causas remotas* evitare oportet; cibos, ne muscæ accedant, servare; corpus exercere; non nimis multum dormire. Cæterum cibi *pingues*, & ii, qui *aromatis* liberaliter conditi sunt, *salsique* præ primis conducunt. Neque remedia duntaxat *puro alkali*, *saleve*, vel *amarore* suo vermes necare, sed simul etiam *purgatione* necatos expellere debent. Et authores sunt, ut illa, dulcibus additis, adhibeantur: quod mihi quoque non displicet. Ast *decoctum* aut *pulverem lumbricorum* non ita multum prodesse existimo. Hæ verò *rotulæ ad vermes*

℞ *mercur: dulc.*
*resin: scammon.* aã. ʒij.
*saccar: alb.* ʒij.
*gumm: tragacanth: aq: card: bened: dilut.* gr. xvi.
*M. F. L. A. rotulæ, quarum singulæ scrupuli unius pondus habeant.*

utilissimæ sunt, è quibus una trimo; una & semis puero sex annorum; duæ duodecim annos nato; sed quatuor adulto quotidie dantur. Aut

*elixi-*

*elixiris proprietatis dulcis*, pueri à guttis decem ad triginta; & *amari*, adulti ad cochlearium dimidium, bis die horam ante cibum ex vino pingui & dulci ſumant. Illud quoque ſcire oportet, quod, ubi per alterutrum non aliquoties in die dejiciunt, plus utendum veniat. Id autem *elixir* conſtat ex his: *aloes*, *myrrhæ* ſingulorum uncia. Jis affunditur *lixivii cineris clavillati* quantum ſatis eſt ad ea bene mollienda. Ubi hoc quinque aut ſex dies in calore, ſubinde agitando, ſtetit, adduntur ſpiritus vini unciæ viginti. Sed antè in eo *croci* uncia dimidia (nam plus opus non eſt, imo potius ei adhuc aliquid demi licet) biduo triduove jacere debet. Deinde etiamnum dies aliquot in vaſe clauſo ad ignem collocari ſatis erit. At, ſi id medicamentum *dulce* amas, ſex vel octo ſeptimanas in cella reponi oportet: & tum demum *ſpiritum vini*, cui *crocus* ante adjectus ſit, addi. Quod ſi homines aut nolunt, aut non poſſunt quoquam uti medicamento, potionem cerealem *non acidam*, in qua *argentum vivum* tamdiu agitatum eſt, donec parum turbida ſit facta, ſingulis diebus puero ad ſex cochlearia, & adulto ad duodecim, inſciis potui dando decipi licet. Vel tantundem aquæ pluviatilis, in qua idem ipſum decoctum

ctum ſit, quæque deinde adhuc fervens aliquamdiu folia theè, aut fabas coffi combuſtas & contritas habeat, quotidie ſorbere debent. At ſciri volo, decoctionem in vaſe terreo fieri oportere: cupreum enim ob id tanquam argento obducitur; & ſtanneum in amalgama tranſit. Si fortè, mercurio vivo ſic adhibito, os leviter, vel intumeſceret, vel exulceraretur, quin frequens ſaliva eſſet, quæ tamen, ubi modus, quem dixi, ſervatur, rarò incidunt, protinus hoc auxilio abſtinere oportet. Idem dictum puta de ſupradictis rotulis. Præter hæc etiam puerorum ventrem bis in die largiter, & ad ignem ex *unguento arthanitæ*, quo & interdum infantibus liquida reddit, perungi convenit. At *oleum colocynthidis* per decoctionem paratum vix quicquam amaroris habet, ideoque nihil poteſt. Cæterum in *aſcaridibus* hæc *collyria*.

℞ *aloes* ʒij.
*præcipitat: alb.* ʒß.
*mell: ad durit: coct.* ʒvj.
*M. F. collyria ſex in oleo lini conſervanda.*

non parum expedire ſum expertus, è quibus unum bis die in alvum demittendum eſt. Hinc namque utplurimum ſemel atque iterum

rum venter movetur, & vermiculi non ita ac antè gignuntur, pruritu etiam minuto. Anum in hoc casu speculo dilatare, quo vulsella arrepti depromantur, dolor non patitur. Et foramen ani melle oblinere ad eos sic foras proliciendos; aut lardi frustulum in eum indere, qui sic inescati protrahantur, præsidia mihi invalida videntur. Adhæc *intestinorum ulcera* melle & oleo olivarum affatim assumptis, nonnunquam sanationem admittunt. Id si non prodesse comperimus, quotidie *radicis consolidæ majoris* contritæ ad drachmas duas adjicere expedit. Hujusmodi remedium *balsamo Lucatelli*, cujus optimam compositionem alias proponemus, multò utilius est. Verum *balsamus Italicus* amarior est, quàm ut intrinsecus detur. Cum autem *colon* occuparunt, hoc

℞ *rad: consolid: major: sicc: minut:*
*concis.* ʒiij.
*hord: crud.* M. j.
*Coq: ex aq: chalyb. ad* ℥viij, *colat: add:*
*ol: rosar.* ʒj.
*mell: rosar.* ʒvj.
*M.*

quod purgandi & consolidandi facultatem habet, ab inferioribus partibus indidisse, bonum est. Quando *intestinum rectum* malè

ha-

habent, aliquoties die ex iſthoc medicamento paulum tepidè & dextrè ob doloris ſenſum, infundi debet. Aut ex *aqua phagadænica*, de qua in lue venerea dicemus, immittere. Tamen niſi linamenta in modum collyrii tenuis compoſita, & *emplaſtro diapompholygos*, cujus uncia dimidia *ſacchari Saturni* ſubtiliſſimè triti grana duo vel tria habeat, largiter, & æqualiter illita, bis die demittantur, rarò finem habitura ſunt. Tranſeo *ad tumorem in inguine cum putredine* conjunctum, in quo, ubi apertus eſt, injectione, quæ conſtet ex multo melle albo in aqua communi diluto, cui paululum *balſami ſulphuris terebinthinati* additum ſit, uti abunde eſt: ſic tamen, ut etiam linamenta *unguento de melle*, vel de *chelidonia* tincta ſuperdentur. Fit autem ille balſamus ex *ſulphuris* & *cineris clavillati* (nam ſine hoc longè tardius conficitur) ſingulorum uncia dimidia, quæ ſimul contrita pauliſper ſuper prunam coquuntur, & aſſiduè moventur; tum inde remotum frigeſcit, & in hepar, ita Chymici loquuntur, tranſit. Huic trito adjiciuntur *olei terebinthidæ* unciæ duæ. Deinde in vaſe terreo, & eo incruſtato itidem ſuper prunam leniter decoquitur uſque, dum color fiat rubicundus. Quod ubi factum eſt,

biduo

biduo interpoſito, balſamus decantatus in vaſe vitreo uſui ſervatur. Atqui hæc eſt compoſitio *Unguenti de melle*,

℞ *vitell: ovi duri*
*mell: alb.* ℥IV.
*M. donec intimè unita ſunt, tum add:*
*terebinth: comm.* ℥Iß.
*& M. F. ung.*

Et *unguentum de chelidonia* hoc modo paratur:

℞ *ſucc: chelidon.* ℔Iß.
*mell: alb.* ℔iij.
*aloes,*
*myrrh.* aã. ℥Iß.
*Coq. donec eis craſſitudo unguenti liquidi fiat.*

Nam quo diutius coquitur, hoc minus purgare deprehenditur. Sed ſciri oportet, hæc medicamenta largiter & calidè bis in die, vel ſi putredo magna exiſtit, ter æquali ſpatio, admovenda eſſe. Tumor verò, qui *ſupra inguen* inter peritonæum & musculos eſt, ſi nondum pus habet, ad ſuppurationem perducendus eſt. Quæ optimè excitatur per *ceratum de cœpis*, quod quomodo fiat, capite tertio mihi dictum eſt; aut ægro jugiter decumbente per *cataplaſma de cœpis*, quod conſtat ex his:

℞.

℞ *cœpar: ſub: cinerib: aſſ: & excort.* no. viij.
*herb: malv.*
*biſmalv.* añ. M. iv.
*farin: fœnigr.* ℥viij.
*Herbæ conſciſſæ, & cum cœpis bene contuſæ coq: ſimul ex aq: comm: ut F. catapl.*

Id autem tepidè, liberaliter, & immediatè ſuper tumorem injiciatur, & per vinculum loco ſuo ſervetur neceſſè eſt. Deinde ubi pus ſubſtat, quod mollities, reſiſtentia, protuberantia, & dolor ſignificant, incidendum eſt ſic, ut plaga ſatis ampla ſit, niſi ſi quis per ſe rumpi mavelit. Tum implicitum in longitudinem linamentum, cui unguentum nigrum, quod βασιλικὸν nominatur, inductum ſit, bis die indere convenit, pure puerili manu expreſſo. Siquidem oriculario clyſtere medicamentum liquidum inſerere non admodum tutum eſt. Verum ad rem quoque pertinet aperturam tam in inguine, quam ſupra illud, patulam implicito linamento ſervare, donec fœtor deſinat, & pus album moveatur; nec amplius quicquam chymi potioniſque, aut ſtercoris prodeat: imo duricies in totum, vel utique maxima ex parte evaneſcat. Tum in inguine aliquot guttas *balſami ſulphuris terebinthinati*, & ſupra id

totidem præter propter *balſami martialis*, qui ſic conficitur,

R *limatur: chalyb.* ℥ij.
*Huic vaſi vitreo capaci inditæ ſuperaff:*
*ol: terebinth.* ℥ijß.
*Tum paulatim per vices inſtill.*
*ſp: nitr.* ℥iß.
*Et diger: leni calore diem unum atque alterum. Tandem decantetur balſamus.*

dicto clyſtere adigere, & in utroque loco fiſtula plumbea uti, utile eſt, donec eodem linamento ſed minori in uſum revocato, non plus puris quam antè feratur. Inter hæc non ignorare convenit, fæcibus balſami martialis adhuc ſemel olei terebinthinæ dimidium modum affundi licere; deinde triduo loco calido eſſe; & tum effundere. Atque hunc balſamum, qui etiam ruber eſt, non minus quam priorem valere. Poſtremò fiſtula in dies minor facta omittitur, ac ulcuſculum ex penicillo tenuibus quibuſdam impoſitis ad cicatricem perducitur. Quæ parum intus procedens quia in exteriorem partem à viſceribus compellitur, ideo herniam naſci videmus, quam contra *bracherium* geſtari debet, ſecus non eſt dubium, quin in magnam molem paulatim increſcat.

C A-

## CAPUT. V.

### *De affectione cœliaca.*

CUm jam de malis, quæ è ſtercore craſſiori lædente fiunt, dictum ſit, ad ea veniendum eſt, quæ á *pituita inteſtinali mala* oriri manifeſtum eſt. Ea verò ſunt *affectio cœliaca*, quam etiam *alvi fluxum ictericium* vocant, *flatus*, & *miſerere mei*. Primò de *affectione cœliaca* explicabo, cujus duæ ſpecies ſunt, una, qui *alvi fluxus chymoſus*; & altera, qui *alvi fluxus chyloſus* nuncupatur. Utriuſque verò *cauſas remotas* communes eſſe puto, ubi quis nimium viſcidis, acidis, & dulcibus; cibiſque, qui difficulter concoquuntur, utitur: & ventrem pedeſque diu ſæpeque objicit frigori. Ex illis verò naſcitur *proxima*, quæ alia *alvi fluxus chymoſi*; alia *chyloſi* exiſtat neceſſe eſt. Siquidem illum *pituita inteſtinalis copioſior* optimè creat, quatenus ſe chymo miſcet, & efficit ut minus è ſtercore chylus ſecedat, ſed penitus ei permixtus deſcendat. At alvi fluxus chyloſus ob *pituitam inteſtinalem*, & eam *viſcidiorem*, quæ oſcula vaſculorùm chyloſorum, id eſt, lacteorum impleat, commodius contingit.

Nam hac de cauſa chylus, quantumvis à ſtercore quidem diductus, tamen ei laxè confuſus excernitur. Vitium poſterius etiam per cicatrices evenire poteſt, è lumbricorum morſu, dyſenteriæ ulceribus, ſimilibuſque oriundas, quæ inteſtini præſertim tenuioris interiorem partem occupantes ſanitatem admittunt nullam. Et utrumque laborantem etiam paulatim non mediocriter extenuare, rationi æquè ac experimentis credimus. Porro, ut ſupradictis affectibus opem afferamus, æger *cauſis remotis* debet abſtinere; cibos aromatis copioſè adjectis ſumere; ſpiritu vini cum ſimplici, tum maximè compoſito, ut aniſato, juniperino, ſtomachali, quiſquis eo delectatur, modicè uti. Adhæc *ſal volatile oleoſum* noſtrum, quod capite primo poſui; vel *liquor cornu cervi ſuccinatus*, qui habet *ſpiritus cornu cervi optimi* unciam, *olei ſuccini albi* drachmam dimidiam, in vaſe vitreo inter ſe mixta, utiliſſimus eſt. Utriuſlibet igitur guttæ triginta vel quadraginta cum cereviſiæ aut vini cyatho, quater in die exhiberi poſſunt. Inter hæc etiam per *pilulas de gummis purgantes*, quarum compoſitionem capite tertio retuli, quotidie ventrem ſolvere oportet. Ubi quis eas quacunque de cauſa non devorare poteſt, ex una tres vel

qua-

quatuor facere, & ſic foliis argenti involutas cum hordei granis ex lacte dulci decoctis dare commodum eſt. Tandem ventri quoque *oleum terebinthinæ* bis die inunxiſſe prodeſt: quem etiam *emplaſtro de labdano*, quod quænam habeat, capite tertio quoque propoſuimus, largiter membranulæ illito, circumdari licet.

## CAPUT. VI.

### *De flatibus.*

IAm ſequuntur *flatus*, qui pro *cauſis remotis* agnoſcunt immodicum rerum viſcidarum, acidarum, dulcium uſum; cibum pleniorem, maximeque ſimul denſiorem, quam ut quis facilè concoquat; frigus, cui venter & pedes diu ſæpeque committantur. Quæ omnia *cauſam* quidem *proximam*, & eam *materialem*, id eſt, *pituitatem inteſtinalem ſuperantem*, creant: nam bilis, ſi nimium alkali volatile & oleum habeat, pro *efficiente* apprehendi debet. Hæc enim id agit, ut plus ignis cœleſtis allectum iſtam materiam in flatus diducat, eâ propemodum ratione, quâ pueros per fiſtulam ſpiritum in aquam, quæ ſaponem nigrum ſibi mixtum habeat,

immittendo, bullas excitare videmus. Eos verò indicat inflationis ſenſus, ſine, vel cum ventris doloribus, quos *tormina* vocant, nonnunquam locum mutantibus, & in præcordia cum anguſtia pervenientibus. Quæ mala, ubi ſpiritus ſurſum deorſumve erumpit, finiuntur, vel utique levantur. Hoc autem genus maximè puerperas exercere ſolet: nec non infantes, ſi pulticulæ glutinoſæ dantur. Verùm lactentes *torminibus algidis* magis eſſe opportunos, in ipſis curationibus experientia docet. Quæ, ubi vehementer plorant, *ſtercus acidum ſpirat*, & *virorem oſtendit*, præcipueque cum aeri fuit expoſitum, innoteſcunt. Hæc tamen duo eſſe poſſe ſic, ut dolor affligat nullus, experimentis cognitum eſt. Quin & ex illis non raro *inſultus epileptici* fiunt, quos adeſſe novimus, cum oculi huc illucque moventur, facieique partes variæ, imo ipſi etiam artus diſtenduntur. Id verò malum ſi grave eſt, aut diu durat, vel tollit imbecillos, vel alia mala, ſtrabiſmum, pedum diſtorſionem, paralyſin particularem, & ſimilia trahit. Neque tam facilè hæc omnia ex adultorum torminibus, niſi cum valentia ſunt, morbum κολικὸν (quibuſdam hodie *dolorem colicum pituitoſum*, ut eum à *bilioſo* diſtinguant, dictum:) Græci vocant, ſequun-

quuntur. Sed minus rectè, quando tam in inteſtino tenuiori, quam in laxiori, quod Græci κόλον nominant, cruciare conſuevit. Atqui in hoc dolorem eſſe, ſcire licet eo, quod in ventris ambitu, & quidem plus in uno loco hæret, cum ſi in inteſtino graciliori eſt, ferè circa umbilicum torqueat, neque unum locum ſervet. Cæterùm ut alvus adſtricta ſæpenumero colicam antecedit, ita hanc ſæpe pectoris dolor, præcordiorum anguſtia, & ſpiritus difficilis ſequuntur. Et eam quoque interdum comitatur vomitus, febris, & *paralyſis è colica* nuncupata. Præterea hoc vitium, ubi in colo eſt, magnam affinitatem habet cum eo, quod νεφρῖτις à Græcis appellatur: ſiquidem in utroque dolor ingens eſt, & is ipſe eodem in loco, plerumque cum vomitu ſine levamine, cumque febre ſymptomatica. Proinde à ſe invicem curioſè diſcernantur neceſſè eſt. Id quod evenit, ubi phœnomena, quæ hujus morbi ſunt, conferimus cum iis, quæ ad nephritidem pertinere novimus. In hac namque dolor ſemper fixus eſt, à lumbis ſecundum latera antrorſum deſcendens, imo per univerſum ventrem diſperſus, & momento incidens, urina etiam quandoque arenulas trahente. Tamen utrumque interdum concurrere experientiâ conſtat: ſed non tam frequenter, ut apud

authores invenimus. Præter hæc dolor colicus etiam non multum abludit ab eo, qui ſæpius, quam multi credunt, *plexum meſentericum* invadit. At hoc genus doloris fixiſſimum eſt ſic, ut ſpiritus nec ventrem diſtendat, nec prodeat foras, femore aliiſve corporis membris ſimul etiam ſubinde dolentibus. Adhæc *flatibus*, qui in inteſtinis verſantur, *quinque morbi flatulenti* annumerari debent: quorum quatuor priores appellare *tumores flatulentos* licet. Nam ubi flatus in ventris cavitate collecti ſunt, τυμπανίτην Græci vocant, quod genus nonnulli hodie è vaporibus internis non liberum per poros exitum habentibus, naſci credunt. Vix aliter quam ab hoc vitio eſt *hernia ventoſa*, quæ πνευματοκήλη à Græcis nominatur, & flatuum collectio in ſcroti ſinu facta finiri poteſt. Quod ſi eos uteri cavitas habeat, *inflationem uterinam* appellant Medici. Verum ſi ſub cute in muſculorum interſtitiis ſunt, audit κατ' ἐξοχὴν *tumor flatulentus*, qui utplurimum articulis incidit. Tandem ob eoſdem inter membranam pleuram & muſculos intercoſtaſtales *pleuris notha* contingit. Hæc autem quinque genera perquam rarò fiunt, in quorum quatuor prioribus flatus efficiunt, ut tenſionis ſenſus ſit, tumor preſſionem expertus

tus foveas non retineat, ſed prementi validè reſiſtat, & ſumma cutis non colorum malum habeat. Quin ut, ubi tumor ingens eſt, bacillo percuſſus ſonitum excitet. Sed in *pleuritide notha* non tenſio duntaxat ſentitur, verum etiam dolor, cum reſpiratio fit profunda, intenditur, ſubinde locum mutans, citra febrem, etiamſi hanc interdum faciat. Jam ratione ſupradictorum vitiorum præviſa, ad eorum curationem veniam. Ad quam *cauſas remotas* evitare oportet; per cibos, ſi cupiditas ſit, aromata ſumere; zythum tenue, cui panis toſtus cum raſa nuce moſchata ſit adjectus, calidiſſimam ſorbere; corpus ſub veſte ſatis multa continere; imo lapidem ſerpentinum, vel ſi is non eſt, operculum terreum calefactum ventri impoſitum; cylindrumque ferreum candentem, at capſulæ ei rei idoneæ incluſum, pedibus admotum habere. Et ſi paulum ſpiritus vini aniſati ſubinde aliquis ſumere velit, id facere licet. Sed febre affligente ab eo, ut &, ab aromatis temperandum eſt. Quæ obſervatio etiam in infantibus, quibus valida nocent, neceſſaria eſt. Inter hæc *torminibus*, *puerperarum* quoque, *morboque colico* hujuſmodi medicamentum,

℞. *laudan: opiat.* gr. 1.
*philon: Rom.* ʒß. vel ʒij.

*ſyrup: fœnicul.* ʒiij.
*aq: fœnicul.* ʒj.
*ſp: nitr: dulc.* gutt. v.
*ol: aniſ.* gutt. iij.
*M. F. hauſt.*

bis in die datum prodeſt. At in *laudano opiato*, cujus in hoc volumine mentionem facio, hæc ſunt,

R. *extract: opii cum ſp: vin: fact.* ʒj.
*croci* ʒj.
*caſtor.* ʒß.
*ol: cinnamom.*
*ſaccin.*
*caryophyll.* aã. gutt. iv.
*M. F. S. A. maſſa pilularum.*

Hoc autem loco ſcire licet, laudanum illud, ſi extractum opii fiat per ſpiritum vini tartariſatum cognominari *tartariſatum*; ſin per ſuccum cydoniorum, *cydoniatum*. Et prius, quia plus *partis reſinoſæ* opii habet; poſteriuſque, quoniam opii *pars ſpirituoſa* magis ſuppreſſa eſt, ſuprapoſitæ compoſitioni in medicina jure poſtponenda eſſe. Porro in vicem ſupraſcripti hauſtus de hac *mixtura*,

R. *laud: opiat.* gr. ij.
*ſal: card: bened.* ℈j.
*ſyrup: menth.* ʒß.

*aq:*

*aq: menth.*
*fœnicul.* añ. ℥ij.
*vitæ Mathiol.* vel.
*ſp: vini rectificat.* vel
*carminativ. S.* ℥j.
*ſal: dulc.* gutt. xx.
*ol: aniſ.* vel
*fœnicul.* gutt. vi.
*M.*

ſingulis horis duo cochlearia dediſſe, donec dolor levatus ſit; & quotieſcunque revertitur, idem feciſſe convenit. Vel manè & poſt cœnam à granis quatuordecim ad quatuor & viginti *maſſæ pilularis Starkeiji* cereviſia, aut potius vino pingui dulcique dilutum ſumpſiſſe. Hoc celebre remedium hæc habet: *ſalis tartari triti* unciam, *olei terebinthinæ* uncias tres, quæ demittuntur in fictile planum, amplum, & incruſtatum, hypocauſto plurimis foraminibus pertuſo imponendum, prunâ ſuppoſitâ, ſic ut aſſiduè calor lenis aſcendat. Ubi id oleum, materiam ter die bacillo ligneo agitando, conſumptum eſt, tantundem olei iterum affundendum, & ut prius faciendum. Cumque adhuc ſemel oleum adjectum ac abſumptum eſt, ſal illud ferè cum oleo in ſmegma album converſum deprehenditur. At ſi calor

juſto

juſto major fuerit, color ad ingredinem vergit. Deinde recipe *opii puriſſimi*, pollinis *radicum ellebori albi*, *nigri*, ac *liquiritiæ* ſingulorum parem portionem, è quibus opio additur ſmegmatis quantum ſatis eſt ad id in mortario diluendum. Tum adjice reliqua arida, & eodem ſmegmate omnia ſic in unum junge, ut theriacæ ſpiſſioris craſſitudo ſit. Quo pacto hæc compoſitio pauculis diebus facta erit, cum modus componendi, quem *Starkeijus* memoriæ prodidit, vel ſex menſes deſideret. Si cui tamen methodus adhuc compendioſior placet, is illud intra paucula momenta ſic conficere poterit.

℞ *opii puriſſimi*,
*pollin: rad: ellebor: alb.*
*nigr.*
*liquirit.* aã. ʒß.
*ſal: tartar: trit.* ʒij.
*reſin.* ʒj.
*ol: terebinth.* ʒijß.

*Reſina in oleo liquatur; deinde cum opio, addito ſale tartari, diu in mortario contunditur; tum cum reliquis ita commiſcetur, ut ſingulorum ubique ſit æqualitas.*

Ubi id, quippe cum ingratum & calidiſſimum ſit, & interdum vertiginem cum nauſea

ſea moveat, ægri palato diſplicet, manè & veſperi *theriacæ cœleſtis*, quæ præterquam quod modo perquam exiguo datur, admirabili & ſudorem movendi, & lenem ſomnum inducendi facultate pollet, grana tria, è quibus duæ pilulæ fiant, adhiberi poſſunt. Hujus autem compoſitionem dignam quidem, quam inſererem huic operi meo credidi; ſed cum de eo per ſe in peculiari volumine ab alio ſcriptum ſit, id facere ſupervacuum eſſet. Si æger ſub ſupradictis non multa veſte opertus in lectulo inſudat, bene habere judicandum eſt, præcipueque cum dolor una diſcutitur. Sin is uno aut altero die non finitur, auxilium, quod ad ventrem, qui opio vel ipſius remedii Starkeiji ſuppreſſus eſt, reſolvendum ſatis valet, ſumi debet. Cujus generis hoc eſt:

℞ *reſin: ſcammon.* gr. xij. vel xiv.
*Quam dilue in paulo vitelli ovi; addendo*
*ſyrup: fœnicul.* ʒj.
*aq: fœnicul.*
*ſp: carminativ. S.* añ. ʒiij.
*nitr: dulc.* gutt. iv.
*ol: carui* gutt. ij.
*M. F. hauſt.*

per quod, alvo ferè cum ſpiritu reddita, dolor ex voto minui ſolet. Quamvis cum, horis duodecim interpoſitis, venter aut nihil,

hil, aut parciùs reddidit, alterum, ſed minus validum, ſubjici licet. At ſupraſcriptorum omnium vicem ſupplere poſſunt hæc *catapotia*,

℞ *reſin: ſcammon.* gr. XIV.
*mercur: dulc.* ∋ß.
*laud: opiat.* gr. I. vel I ß.
*ol: cortic: arant.* gutt. iij.
*M. F. pilul.*

quæ ex potione cereali deglutita cum ſomno dolorem leniunt, & deinde poſt decem præter propter horas alvum movendo in totum tollunt; aut certè ita diminuunt, ut amplius excruciare deſinat. Cæterum *alkalia terreſtria*, ut oculi cancrorum, corallia; & *ſudorifera antimonialia*, ſicut regulus antimonii diaphoreticus, bezoardicum minerale; non multum prodeſſe uſus oſtendit. Idem intelligendum eſt de *mercurio diaphoretico Joviali*. Si per ea, quæ ſupra comprehenſa ſunt, non ſatis maturè proficitur, ægerque aliquid ex inferioribus partibus infundi patitur, hoc

℞ *herb: menth.* M. ij.
*ſem: cumin.*
*carui.* añ. ʒiij.
*colocynthid: in pet: lig.* ʒj.
*Coq: ex aq: comm: ad* ʒx, *colat: add:*
*nitri*

*nitri* ʒß.
*philon: Roman.* ʒij.
*ol: lilior: alb.* ʒß.
*menth: deſtill.* ℈ı.
*M. F. enema.*

uti oportet. Per quod ferè extremam alvum multus ſpiritus, non ſine levamine, ſequitur. Ubi ſuper ventrem aliquis oleo aniſi vel terebinthinæ inunctum, *ceratum de cumino*, quod ſic componere ſolitus ſum,

℞ *empl: diapalm.* ʒxij.
*ceræ flav.* ʒij.
*ol: camomill.*
*aneth.* an. ʒiij.
*philoſoph.* ʒß.
*pulv: cumin.* ʒvı.
*M. F. L. A. Cerat.*

vel *emplaſtrum de labdano* capite tertio deſcriptum, liberaliter membranulæ inlitum, dari ſinit, promptius liberari ſe ſentiet. Si *ex colyca paralyſis* ſequitur, ea eo, quo inferius de hoc vitio dicemus, modo curari debet. Quod verò pertinet ad *tormina algida infantium*: hæc remedio, quod alvum ſolvit, intendi obſervamus; neque remitti acido volatili mixturæ addito: ſed alkalia terreſtria præ cæteris reſpondere deprehendimus. Proinde hujus *mixturæ*

℞ *ocul: cancror. præp.* ℈ i.
*corall: rubr: præp.* ℈ ß.
*ſyrup: papav: alb.* ʒ ß.
*aq: fœnicul.*
*menth.* an. ʒ x.
*ſp: carminativ.* S. ʒ ij.
*ol: aniſ.* gutt. i.
*M.*

infantulo horis alternis cochlearium perquam exiguum dediſſe expediet, donec plorare deſiſtat, blanduſque ſomnus accedat. Et ſi deinde dolor redit, eodem medicamento, ut dixi, utendum eſt. Cum inter hæc alvus firmatur, ſuppoſitorio ægrotuli digiti minimi magnitudinem habente, quod è ſapone veneto exciſum oleo illini, & ſic in alvum ſubter dari debet, fundenda eſt. Porrò, adverſus *tympanitem*, *herniam ventoſam*, *inflationem uterinam* eadem ſumere, quæ ſupra ad tormina & morbum colicum propoſuimus, opus eſt: ſed quoniam dolor adeſt nullus, opio deſtituta. Ut etiam enema rectè præterire poterimus. Extrinſecus quoque oleum aniſi vel terebinthinæ illinere, & ceratum de cumino, vel emplaſtrum de labdano ſuperdare, convenit. Si quis volet cataplaſma, id confici licet è ſtercore vaccino, cui ſat ſeminis cumini vel carui contri-

triti, & farinæ fœnugræci ante in urina coctæ, adjectum ſit. Quod ſi nihil omnino ſic profectum eſt, tympanitem, herniam ventoſam, tumoremque flatulentum ſcalpello vel fiſtula acuta, de quo poſtea, aperire majus momentum habet. At in inflatione uterina fiſtulam obtuſam è cupro factam, ſatis longam, & eam oleo oblitam per vulvam in uterum demittere, quod cum dolore tolerabili fit, neceſſarium eſt. Poſtremò in *pleuritide notha* ante poſita quòque medicamenta aſſumere, & alterutrum emplaſtrum admovere oportet. Verum ſi febris eſt, minus alkali fixi puri, cujuſmodi ſunt ſal cardui benedicti, abſinthii; minuſque olei, ut, anifi, carui, addendum eſt.

## CAPUT. VII.

### *De miſerere mei.*

IAm habemus malum, quod nos non leviter terrere debet: *miſerere mei* ab effectu latini vocant: ut & à ſede *iliacam paſſionem*, ſicut Græci εἰλεὸν. Atque hujus plures ſpecies ſunt. Una, eaque præcipua & frequentiſſima eſt, ubi ſuperior inteſtini pars in inferio-

rem *inflatam*, vel contra, ingreditur, & quaſi devoratur. Cui igitur *devorationis* nomen eſt, cauſæque eædem, quas flatus excitare capite proximo vidimus. Reliquas etiam ſpecies hoc loco ponere non alienum erit. Proinde altera eſt cum nodus inteſtino à meſenterio reſoluto injicitur: *convolvulum* appellant medici. Hoc ſiquidem fieri poſſe, cadaverum inciſiones teſtatæ ſunt. Etiam quin convulſio inteſtinum coarctare poſſit, ut interdum in paſſione hyſterica incidere novimus, dubitatio eſt nulla: quem morbum Græci χόρδαψον nominant, ac pro tertia ſpecie habemus. At quarta eſt, ubi laxius à ſtercore duriuſculo; & quinta à tumore anguſtatur: nam utrumque eſſe poſſe, experimentis credo. Sed inteſtinum humore auſtero, qui in eo reſideat, conſtringi poſſe, mihi veriſimile non fit. Supradictis verò morbis commune eſt, ut iter ſtercori deſcendenti præcludatur. Qua de cauſa præter vehementem dolorem, qui viſcera affligit, alvus compreſſa eſt, ſtercus per os redditur, ſingultus accedit, neque febris abeſt: quæ intra pauculos dies, niſi ſuccurritur, hominem crudeliter jugulant. Itaque danda opera eſt, quantum fieri poteſt, ut feſtinanter ſubveniamus. Idcirco ſi pars ſupe-

perior inteſtini in inferiorem illapſa eſt, id quod facilius, adeoque crebrius incidit, ſpiritum calidum ad ignem folle, cujus fiſtula in anum ſubter data ſit, blandè immittere convenit. Etenim certus ſum hoc utiliter factum eſſe ita, ut pars exigua inteſtini, quæ coarctando corrupta erat, alvo redderetur, ægro ad ſanitatem perducto. Quod ſi nihil profuit, fortaſſe partem inferiorem inteſtini ſuperior excepit. In quo caſu vel aliquot globulos plumbeos, & eos ipſos læves oleoque illitos; vel potius argenti vivi libram unam devorare opus eſt. Quod periculo vacat, quia hujus globuli in unum coibunt, ſi iter ſit clauſum; aut qua via data profluentes ex alvo elabentur. Aſt ubi ſucci in inteſtino acidi ſunt, per hoc auxilium os leviter affici poſſe, uſu compertum eſt. Verum ſciri oportet, laborantem, cum alterutrum deglutivit, ſive per ſe, ſive, ſi vires deſunt, ſub brachiis apprehenſum ambulare debere, vel utique ſtare. Lectulumque, in quo corpus jacet, à quatuor hominibus arreptum huc illucque agitare jubere, cui auxilia priora minus arrident, poteſt. Eadem quoque præſidia ſunt ad convolvulum idonea. Sed in chordapſo conducunt ea, quibus paſſionem hyſtericam curare conſuevimus. Si ſter-

cus duriſculum hoc vitii genus fecit, apta ſunt, quæ ſupra ad tumorem farciminalem poſſe comprehendi. Sin tumor in cauſa eſt, neceſſaria ſunt, quæ poſtea in tumoribus, ubi eò pervenero, utilia eſſe proponam.

## CAPUT. VIII.

### *De aſcite humorali.*

COgnitis vitiis, quæ fiunt è pituita inteſtinali vitioſa, deſcendendum eſt ad ea, quæ ob chylum malè habentem contingunt, id eſt, morbum, quem Græci ἀσκίτην vocant, *lactiſque penuriam*, & *abundantiam nimiam*. *Cauſæ* autem *remotæ*, quæ primum faciunt, mihi eſſe videntur, ubi quis in viſcidis, acidis, & dulcibus ſibi non temperat; ſe ſupra modum implet; ventrem pedeſque juſto leviori veſte contectos habet; quocunque calore relaxatus ſubito frigore excipitur; potionibuſque validis indulget. Ex hiſce chylus viſcidior, quam eſſe naturaliter debet, naſcitur, qui quin *cauſa* quidem *proxima* ſit, nihil dubii eſt. Nam is vaſa chyloſa ſive lactea, per quæ manat, claudit, diſtendit, aperit: quo a-

cre-

credo ſuum quoque confert. At ſcire licet ea aperiri, quæ ex inteſtino ad meſenterii glandulas tendunt, ſiquidem altera ex his ad receptaculum clyli vel potius lymphæ pertingentia non æquè facilè, quoniam chylus à lympha hac glanduloſa attenuatus eſt, obſtructionem admittunt. Ex illis autem vaſis chylus potioque in ventrem confluunt, ſicque humorem in ejus cavitate, quem *aſcitem humoralem* appellare viſum eſt, creant. Hunc enim diſcernere oportet ab altero, qui *aſcites lymphaticus*, de quo poſtea referemus, mihi dicetur. E proxima verò cauſa hæc phœnomena ſunt: venter vehementer intentus; inter initia intus, corpore à latere ad latus moto, ſonus; febris aut nulla, aut levior, aut gravior; minus urinæ quam naturaliter oportet; rubra aliterve colorata in urina ſubſidentia; virium imbecillitas; cibi cupiditas minuta; ſpiritus difficilis; præcordiorum anguſtia; tuſſis; præfocatio. Quæ tamen ut hoc malum indicant, ita non ſemper omnia ſimul infeſtant. Morbique ratione cognita, veniendum eſt ad curationem, quæ neque facilis, neque perpetua eſt. Eam nihilominus ſic experiri licet, ut æger cauſis remotis prohibeatur; ſæpe paulum potionis valentis, cui aſſuevit, accipiat, ut refi-

ciat, neque animum turbet; cibis utatur, qui ſicci ſunt, facilèque digeruntur, maximèque alunt; per eoſque multa aromata ſumat. Sed è medicamentis eſt *ſpiritus vini medicatus*, qui extenuet, & purget optimus: ut hic,

℞ *rad: angelic.*
*galang.* añ. ʒv.
*jalapp.* ʒj.
*caryophyll.* ʒiij.
*ſcammon.* ʒij.
*ſal: tartari* ʒiß.
*M. F. pulvis.*

Qui in vas vitreum anguſti orificii demittitur, ſpiritus vini unciæ viginti ſuperinfunduntur, linteolum ſuper deligatur, & nervires abeant, adjicitur veſicula. Hoc ubi viginti quatuor horis loco calido fuit ſic, ut ſubinde agitaretur, veſiculâ, cum utendum eſt, ablatâ, per linteolum relictum cochleare effunditur, quod vel per ſe, vel additio paululo ſacchari, præcipuèque ſi os acrimoniam remedii non ſuſtinet, potui datur, & quidem manè, ſub meridiem, & poſt cœnam levem. Si per illud ter, aut quater, vel ſummum quinquies venter quotidie liquida reddit, ſatis eſt: ſi crebrius, aliquid demendum eſt; ſin rarius, adjiciendum. Siquidem ea moderatione utendum eſt, ne plu-

res

res dejectiones nimis infirment; neque pauciores nihil juvent. Quando ſpiritus omnis abſumptus eſt, adhuc ſemel affundendus eſt, cum eo, ut etiam radicis jalappæ, ſcammonii, & ſalis tartari pars tertia ejus ponderis, quod prius fuit, addatur. Præterea qui aliud medicamenti genus volet, in vicem ſupraſcripti quater die guttas quadraginta *ſalis volatilis oleoſi* noſtri ex cereviſia vel vino ſumere poteſt ſic, ut etiam quovis tempore matutino *pilulis de gummis purgantibus*, ut capite tertio videre eſt, utatur. Si febris eſt, ſolâ *mixturâ noſtrâ antifebrili*, de qua capite vigeſimo primo dicturi ſumus, uti commodiſſimum erit: etenim ſuprapoſita remedia in hoc caſu pernicioſa ſunt, maximè cum gravior exiſtit. Et quia inter hæc malum increſcit, homo utplurimum moritur. Quod ſi ob humoris abundantiam nimiam in ventre, ſpiritus difficilis, & anguſtia vexat, plus medicamenti, quod purgat, aſſumendum eſt. Id ſi febris prohibet, tamen, cum mixtura antifebrili in pilulis antedictis ſubſiſtendum eſt. Ubi tuſſis infeſtat, pro radicibus angelicæ & galangæ ſubſtitui debent helenii & iridis Florentinæ; & pro ſpiritu vini is, qui aniſi duplicatus vocatur. Ut & in ſal volatile oleoſum pro olcis, quæ habet, olei aniſi æ-

qualis portio; ac in pilulas de gummis purgantes pro oleo caryophyllorum ſupradicti olei totidem guttæ inſumi. Porro morbus, ubi quis ab eo convaluit, quia vaſorum lacteorum vulnera vix glutinari patiuntur, facilè renaſcitur. Quod ut evadat homo, multum olei olivarum, aut potius, *balſamii ſulphuris ex oleo lini*, maximèque, ſi in ſulphuris locum, antimonium ſubtiliſſimè tritum fuerit ſubſtitutum, ſumpſiſſe prodeſt. Illud autem ſcire convenit, quod eo paratur modo, quo *balſamum ſulphuris terebinthinatum* ſupra capite quarto faciendum eſſe propoſui, niſi quod ſulphur cum cinere clavillato non coqui, ſed oleum lini ante coquendo aquâ privari neceſſè ſit. Ejus verò ter die guttæ ſexaginta vel plures dandæ ſunt. At hoc vitium ſudorem, urinam, & vomitum moventibus; & enematis, in quo alkali volatile ſit, diſcuti rarò evenit. Si per ſuprapoſita auxilia duabus vel tribus ſeptimanis venter non ſiccatur, ſed humor nihilominus abundat, celeriori via ſuccurrere oportet, ut is per plagam emittatur. Quam vel *umbilico*, vel *abdomini ipſi* infligere licet, modo vitium non incidit in vetuſtatem, æger ſatis valens eſt, febreque vacat. Ea verò ſit in *umbilico*, ſi vel paulum protuberat,

aut

aut id per cucurbitulam ſine ferro, aut cataplaſmate emolliente conſequi poſſumus: & quidem ſcalpello. Sed hæc moderatio adhibenda eſt, ne altius quam in ipſum humorem penetret; neque latior ſit, quam ut ad eum, quem aquâ craſſiorem eſſe conſtat, emittendum requiratur. Tum linamentum involutum & oblongum, quo vulnuſculum majus non recipit, demittitur; emplaſtrum tenax ſuperdatur; idque ipſum ſuperimpoſito multiplici panno, faſcia vehementer, tolerabiliter tamen, adſtringitur. Quo pacto non difficulter humor (etiam lympha tenuis) in ventre contineri poteſt. Si umbilicus non prominet, nec ita effici poteſt, *abdomen* ipſum aperiendum eſt, idque ſub umbilico, fere tribus vel quatuor interpoſitis digitis, à ſiniſtra dextrave parte; totidemque ad ejuſdem latus, niſi ſicubi linea alba tumeat, quam ibi tum pertundi res nulla prohibet. Hæc autem apertura optimè fit per * *fiſtulam argenteam* pollicis latitudinem parum excedentem, atque ſcriptorii calami anſerini amplitudinem adæquantem, quæ juxta mucronem ſuum acutiſſimum utrinque foramen habeat; & ab altera parte recurvatum in exteriorem partem la-

 brum,

* *Tab. 2. fig. 5. 6.*

brum, ne tota intus delabi poſſit; & ſtylum è ſubere, quo obturetur. Igitur hæc fiſtula oleo olivarum oblita vi quadam uſque ad labrum adigitur ſic, ut ipſum peritonæum quoque tranſeat; & intus relinquitur, ſtylo ſuo curioſè obturata, emplaſtro tenaci vinculoque ſuperdatis. Ubi verò per illam humoris pars effundenda eſt, ſtylus educitur; atque hâc evocatâ demiſſo ſtylo fiſtula denuo clauditur. Quod genus aperiendi longè præfero antiquorum *paracentheſi*, quæ ſcalpello aliove ferramento fieri ſolebat. Ut & *perforationi Sanctorianæ*, quippe cujus fiſtula, quæ noſtrâ multò longior erat, humore emiſſo recipiebatur, & deinde vel in idem foramen rurſus injici, vel ſubinde aliud novum facere debebat: quorum prius vulnuſculum utpote collapſum non patitur; & hoc, quia jam minus venter intentus eſt, minime expeditum eſt. Umbilico abdomineve ſic perforato, ter vel quater die non ultra uncias tres aut quatuor humoris emitti oportet: ea tamen obſervatione adhibita, ut ſi vires minui cœperint, protinus ab emiſſione abſtinendum ſit. Sin, dum inter hæc potione valida, & ſorbitione pleniori reficimus, maneant, opus eo, quo dictum eſt modo, continuare neceſſè eſt, donec nul-

nullum humoris vestigium appareat. Tum quicquid inter viscera retentum est, superioribus remediis discuti convenit. Tandem vulnusculum adhibito *balsamo martiali*, qui quomodo componendus sit, capite quarto docui, glutinandum est.

## CAPUT IX.

### *De lactis penuria; & abundantia nimia.*

QUod verò ad *lactis penuriam*, atque *abundantiam nimiam* pertinet: prioris *causas remotas* esse concipio, si cibi viscidi, acidi, dulces, nimii & sicci fuerint; parum potionis sumptum; mammis non sat caloris servatum, maximè cum mulier eas non sæpe dederit, & thorace vehementer adstrinxerit. Per hæc enim fieri potest, ut chylus plus satis viscidior factus, in quo *causam proximam* colloco, in sanguinem veniat. E quo tum minus chyli in mammis per glandulas, vel potius, arteriolarum extremitates, pro lacte secedat, quem *lactis defectum*, aut verius *penuriam* medici appellant: id quod fœminam juxta hunc naturalem cibum alia minus apta præbere cogit. Itaque ad

lac augendum curatio neceſſaria eſt. Quæ non difficillima eſt, ſi cauſæ remotæ ſubmoveantur, & ſemen aniſi vel fœniculi decoquatur, eaque aqua potui detur, etiam ultra ſatietatem, aut per ſe, aut lacte dulci, eoque non cocto, adjecto. Quæ verò magis delectatur aquâ decoctâ, in qua folia theè jaceant, horum paucula inſumi, & crocum addi, ſicque vel ſine, vel cum lacte dulci bibi, non alienum erit. Aſt lac ebutyratum bibere, per quod nonnullæ mulieres lac copioſius in mammas venire ſentiunt, lactentibus id nocere concipio. Præter hæc ter die guttis triginta vel quadraginta è *ſale volatili oleoſo* noſtro in tribus cochlearibus potionis cerealis non calefactæ uti. Et mammas toties etiam in die *unguento pomato cum aliquot guttis olei aniſi vel fœniculi* mixto, manibus puerilibus potius quam virilibus perfricare. Cæterùm *lactis abundantia nimia cauſas remotas* omnes prioribus contrarias habet, præterquam quod inter has etiam immodicum aromatum, & potionum valentium uſum referri oportet. Quæ omnia id agunt, ut chylus tenuior factus, in quo *cauſam proximam* conſiſtere manifeſtum eſt, in ſanguinem perveniat. Siquidem ex hoc plus chyli, quam naturaliter fieri debet, pro lacte

ſe-

ſecernitur ſic, ut è papillis aſſiduè profluat, cutemque ſummam, quæ mammas contegit, iiſque ſubeſt, interdum, idque cum pruritu doloreve exulceret. Proinde *curandi cauſa* cauſas remotas etiam fugere convenit; ter die *ſpiritus vitrioli* vel *ſulphuris* guttas tres aut quatuor cum *vini rubri auſteri* cyatho ſumere; ſemel aut iterum in ſeptimana *remedio è theo*, de quo capite decimo ſeptimo infra referemus, alvum movere; & mammas manè veſpereque *unguento de althæa cum gummis*, cujus unciæ *aluminis crudi* contriti drachma dimidia adjecta ſit, leniter perungere: habita tamen ratione, ne durities ſubſit aut accedat. Nam tum in priori caſu ab hujuſmodi medicamento abſtinendum; & in inſequente, cujus vix ullus quidem metus eſt, ab eo deſiſtendum. At ut cuti exulceratæ medeamur, *lapidi calaminari* (non præparato, quippe qui minus deſiccat) ſubtiliter trito adjicere *oleum*, donec linimenti craſſitudo fiat, eoque ter die linere, & pannum lineum purum ſuperdare opus eſt. Hoc autem remedii genus paulatim ſiccеſcit: idcirco tum paulum olei iterum addere neceſſè eſt.

## CAPUT. X.

### *De ſanguinis curſu.*

IAm tandem ſequuntur morbi, quorum è ſanguine, qui lædit, origo eſt: id eſt, *ſanguinis curſus*; *peſtis*; *hydrops*; *menſium ſuppreſſio*, & *chloroſis*; *leipothymia*, & *ſyncope*; *ſalivatio ſpontanea*; *vomitus*; *alvi fluxus*; *dyſenteria*; *cholera*; *ſcorbutus*; *febris continua*; *febris maligna*; *lues venerea*; *paralyſis ſanguinea*; *ulcera*; *inflammatio*; *coäleſcentia*; *carnes excreſcentes*; *caro in nimiam molem excedens*; *gutta roſacea*; ac *induratio lienis hepatiſque*. In illis verò primas partes tenet *ſanguinis curſus*, quem remotè concitant cœlum æſtuans, potiones valentes, aromata, nimius corporis motus, ira frequens, ſimiliaque, in quibus proinde *cauſæ remotæ* conſiſtunt. Hæc namque efficiunt, ut ſanguis in partibus, quæ eum transmittunt, omnibus *nimis alkalinus volatilis acris*, *aliquantò viſcidior*, & *ſupra modum fermenteſcens* ſit. Iſque, cum nulla alia interveniente hoc malum faciat, *cauſam proximam* conſtituit. Ex illis autem, quæ jam propoſui, apparet ſanguinis fluxum contingere ob id, quod Græ-

ci

ci διάβρωσιν vocant: præcedente levi obſtructione, & ingenti ſanguinis fermentatione. Ergo non aliqua parte poroſiore ſanguis exit, neque ore alicujus venæ patefacto, neque nimia ſanguinis abundantia. Primam διαπήδησιν, ſecundam ἀναστόμωσιν, tertiam πληθώραν appellant. Porro ſanguinem ex arteriola exigua per interiorem alicujus cavitatis, quæ aut intus tendat, aut foras pateat, partem diſcurrente procedere, mihi manifeſtum eſſe videtur. Quod ſi non promptè ſupprimatur, imbecillitas, animæ defectio, mors accedere poſſunt: igitur ſtum jure terreri poteſt aliquis. Ubi *vitium* aliquando, aliquot diebus vel ſeptimanis interpoſitis repetit, *habituale* vocant, quo corpus paulatim extenuatur, vel utique morbus, cui ὕδρωψ apud Græcos nomen eſt, jugulat. Effluit igitur ſanguis aut *intra corpus* in aliquam cavitatem, ut inter duram & piam matrem, vel in ſpatium, quod pectoris ventriſque & ſcroti interiora non ex toto replerunt: quanquam & ipſe ſibi ſuo impetu moleque ſinum facere queat, ſicut inter duram matrem & cranium; itemque inter muſculos ſub cute nonnunquam evenire certum eſt. Aut *extra corpus* ſanguis effunditur, ſive è naribus, quam αἱμορραγίαν per excellentiam; ſive è

puſ-

pulmonibus, quam αἱμόπλυσιν, Græci nominant; ſive è ſtomacho, quæ *hæmorrhagia ſtomachica*; ſive ex inteſtinis, quæ *excretio cruenta*; ſive ex via urinaria, quæ *mictio cruenta* appellatur; vel denique ex alia quacunque corporis parte externa. Is verò qui in hæmoptyſi redditur, eſt omnium præcipuè tenuis, floridus, & ſine tuſſi prodiens, niſi ſi hæc in cauſa fuerit. At eum nunquam ſpumoſum notare potui, præterquam cum pituita ſpumans aderat. Neque hujuſmodi patientes unquam de pectoris gravitate, nec de præcordiorum anguſtia, niſi cum in pulmonis aliqua parte concreverit ſic, ut non excrearetur, conquerentes audivi. Sed in *hæmorragia ſtomachica* niger, & non rarò grumoſus rejicitur, & quidem ſine vomitu, niſi ex eo cœperit. Nec etiam in hoc affectu gravitas & anguſtia ſentitur: quamvis utrumque, ubi multum ſanguinis in ſtomacho concrevit, non ex toto abeſſe poſſit. At ubi *excretio cruenta* eſt, vel ſanguis purus nigerque fluit, utplurimum quædam cruenta concreta trahens, quibus tamen is, qui è colo inteſtinove recto venit, vacat: vel cum alvo mixtus redditur. Tandem ſi quem *mictio cruenta* afficit, urina primum rubens ſanguineaque apparet; deinde poſt aliquot ho-

ras

ras ſedimentum cruentum ſubſidit. Sed ſi hoc genus grave eſt, etiam ſanguis ſine urina, ſive interdum, ſive ſemper, editur. Supradictis autem morbis ſexum tam virilem, quam muliebrem opportunum eſſe, uſu cognitum eſt. Verum huic ſpeciatim incidere conſuevit *ſanguinis profuſio per gravidarum fœminarum vulvam*, cujus initium eſt maximè ex eo, quòd placenta uterina ab uteri fundo reſolvitur. Id quod etiam frequenter per fœtus motum nimis vehementem: itemque per aliquid violenti, quod extrinſecus accedit, evenire, experimentis cognoſcitur. Hinc primis menſibus ferè partus eliditur; ſed ultimis, quicquid etiam auxilii cauſa moliamur, ſuperveniente crebro animi deliquio, aut mulieres cum partu periclitantur; aut celeriter rapiuntur. Huc quoque pertinet immodicum eorum, quæ λόχεια à Græcis vocantur, *profluvium*: quod & ex *hepate uterino majori*; hujus *protractione vehementi*; *laborum gravitate*; *ſecundinis aut ſanguine coagulato*, quæ intus remanſerunt, accidere poteſt. Jis etiam *nimium menſtruorum fluxum*, qui interdum quoque juſto *frequentior*, & *longior* eſſe deprehenditur, annumerari oportet. Atqui ſcire licet, arteriolarum obſtructionem non hoſce caſus antecedere, ut in

iis, qui utrique ſexui communes ſunt, ſupra poſui. His verò expoſitis, quæ ad vitiorum rationem ſpectant, nunc tranſeundum eſt ad curationem. Hæc autem vult, ut cauſæ remotæ vitentur; cibis acida adjiciantur; glutinoſa ſumantur; cibis dulcia non ſubtrahantur. Medicamentum utique nobiliſſimum eſt *tinctura Saturni*, medico experientiſſimo *Michaeli antiphthiſica* dicta, cujus hæc optima compoſitio eſt,

℞ *Sal: Saturn.* ℥j.
*vitriol: mart.* ℥ß.
*Bene contritis ſuperaffunde*
*ſp: vini* ℥viij.
*Et poſtquam aliquot horis, vel diebus, ſi vis, ſtetit, liquor rubicundus decantetur pro tinctura.*

Pro ſale Saturni, ſi id non eſt, *mellaginem plumbi*, quæ fit ex aceto, in quo ceruſſa vel lithargyrum auri decoctum ſit, evaporando donec ad mellis craſſitudinem venerit, inſumi licet. Ut & vitrioli martis vicem ſupplere poteſt *Anglicanum*, in quo plus ferri quam in cæteris ſpeciebus reperitur. Sed tum minus efficax eſt. At non eſt, ſi in ſpiritus vini locum ſubſtituitur is, cui omnis aqua ſubtracta eſt. Hujus autem tincturæ quâvis ſemihorâ guttæ triginta cum cereviſiæ

te-

tenuis frigidæ cochleario dantur, donec ſanguinis curſus quieſcere cœperit: (quo pacto vel drachmas ſex duodecim horis utiliſſimè uſus fui.) Nam tunc ſingulis, aut binis, terniſve horis, prout res cogit, tantundem ſumere ſatis eſt, idque facere uſque, dum ex toto deſinat. Hoc autem modo adhibetur, ſi ſanguis rapidè currit, & prompto auxilio opus eſt. Alioqui horâ quâlibet quartâ, vel quintâ, ſextâve guttas triginta accipere abunde eſt. Verum noſſe oportet, quod, dum quis iſta tinctura utitur, juſculum carnis vitulinæ ſine ſale & aromatis, ad vires reſtituendas, quàm lac dulce, ſorbere melius eſt. Si id remedium deeſt, & metus ſubeſt, ne prius intereat æger, quam paretur, hoc

℞ *laud: opiat.* gr. i.
*lapid: prunell.* à ʒj. ad ʒij.
*ſyrup: roſar: rubr.* à ʒij. ad ʒß.
*aq: plantagin.* ʒj. vel ʒiß.
*M. F. hauſt.*

aſſumere, eique ſimile, ubi malum continuat, quod tamen rarò evenit, iterum dare neceſſè eſt. Niſi *aluminis crudi contriti* drachmam dimidiam vel ſcrupulos duos cereviſia tenui liquatos, adjecto *laudani opiati* granulo, exhibere mavelis. Quod in hoc

caſu efficaciſſimum, uſu cognovi. Vel ejus loco hanc *mixturam*

℞ *laud: opiat.* gr. 1.
*ſang: dracon.*
*corall: rubr: præp.*
*lap: hæmatit.* añ. ℈1.
*prunell.* ʒ1 ß vel ʒij.
*ſyrup: myrtillor.* ʒß.
*aq: plantagin.*
*card: bened.* añ. ʒ1 ß.
*M.*

cochleatim ſumere, cujuſmodi unâ; etiam duabus, cum morbus timeri poteſt, in die utendum eſt. Neque ignorari oportet, laudanum opiatum præſertim addendum eſſe, ubi aut dolor moleſtus eſt, aut tuſſim in hæmoptyſi aliquis habet: niſi id imbecillitas prohibeat. Quod ſi *febris continua* adeſt, in præcipiti eſt vita, præcipuèque cum alterutrum, aut utrumque grave eſt. In quo caſu hæc obſervatio adhibenda eſt, ut tribus prioribus mixturæ pulveribus contra febrem, & lapide prunellæ adverſus ſanguinis profuſionem pugnetur; ſemperque vitio maximè urgenti magis ſuccurratur. Quando animæ deiectiones terribiles ſunt, *confectionis hyacinthorum* ʒj, & *aquæ cinamomi* ʒj accedere debent. Neque ſanguinis detractio, ſi is

ab-

abundat, aut nimis fermenteſcit, aliena eſt, quanquam neceſſaria non ſit. In cacochymia purgatio à rheo petenda eſt. Sed cucurbitulæ cum cutis inciſionibus, pulvis ſympatheticus linteo ſangine madenti aſperſus, amuleta de collo ſuſpenſa, ſimiliaque nihil omnino, ut uſus pariter ac ratio oſtendit, juvant. Cæterùm ſanguis in cavitatem effuſus coägulatur, atque putreſcit, præterquam cum inde è corpore profluit: quod utrumque neutiquam periculo vacat. Si putridus in cavitate reſidens tumorem, qui oculis patet, excitat, ut artis eſt, tractari debet. Hæc autem de communibus ſuperiorum vitiorum auxiliis propoſuiſſe ſatis eſt: nunc ad propria venire oportet. Sic ubi ſanguis, licet rapidiſſimè, ex naribus fluit, momento temporis id finitur, ſi illarum alas, quam proximè oſſa & imam radicem fieri poteſt, (cæteroqui enim per foramen, quo ſpiritus à naribus ad fauces deſcendit, defluit) pollice & indice comprimamus. Quod ita ſervandum eſt, donec bene conquievit, eo qui in naribus concrevit relicto. Ubi celeriorem ſiſtendi viam velis ſic, ut non facile revertatur, linamentum implicitum in hunc noſtrum *liquorem ſtypticum*,

℞ *aq: fortis dilutæ* ℥xij.
*Cui in vitro capaciſſimo*
*limatur: mart.* ℥vi.
*per partes immitte. Et poſteaquam aliquot dies ſtetit, liquorem per lintcum rarum exprime; & expreſſum uſui ſerva pro magno ſtyptico.*

liberaliter intinctum altè in nares demittere commodiſſimum eſt, & deinde protinus, ſicut ſupra comprehendi, comprimere. Neque ſimul inutile eſt pannum multiplicem in aqua frigidiſſima madefactum ſuper frontem & naſum imponere, idque ipſum ſæpe mutare; laboranti quietem præcipere; nares non fricare; haud loqui; & ſternutamentis, ſi quæ inſtare ſentiantur, oculorum fricatione utendo, occurrere. At ſupra cubitos & genua artus vinculis vehementer adſtringere, & acetum roſarum auribus inſtillare, imbecilla ſunt præſidia. Aquamque frigidam clyſtere in nares adigere nocet; eâ faciem cerviceſque ſubinde perfundere, atque linteum multiplex ex eadem leviter expreſſum ſcroto admovere, non tutum eſt. Cui verò ſanguis è colo deorſum erumpit, ei *epicacuanham* dare ſic, ut vomitum evocet nullum, de quo capite decimo octavo agemus, utile eſt; ſed tincturæ Saturni uſus utilior. Atque etiam hoc

℞

℞ *rad: biſtort:*
*tormentill.* añ. ʒiij.
*cort: granator.*
*flor: balauſt.* añ. ʒij.
*alum: crud.* ℈ı.
*Coq: ex aq: commi: colat:* ʒx *facta*
*enema eſt.*

ex inferiori parte infundere egelidum & frigido propius expedit; idque toties facere, donec, cum redditur, non ſanguine miſtum apparet. Sed plus aluminis additum tormina alvumque movet, & ut ſanguis iterum prorumpat, efficit. Quod ſi ſanguis ex inteſtino recto fertur, illius enematis frigidi paulum ſæpe in anum ſubter dare præcipuè proficit. Tamen in hoc genere pro injectione tinctura Saturni, cui æqualis portio aquæ adjecta ſit, uti ſatius eſt. Ubi ſanguis per gravidæ fœminæ naturam deſcendit, dum anteriora medicamenta dando ruentis impetum coërcemus, è vulva infantem per ſe (nam per expellentia plus ſanguinis fertur) ejici patiendum eſt. Vehementer tamen aliquid remedii expellentis deſideranti mixtura antifebrilis danda. Sed contra dolorem, qui nonnunquam in ventre cruciat, non opio pugnandum eſt. Si ſtomachus illa rejicit, ut in ejuſmodi muliere facilè incidit, uſus

carnis cydoniorum interponendus est. Inter hæc etiam pannum in aceto frigido tinctum super ventrem ponere, sæpeque mutare convenit. At aquam, in qua, quæ adstringant, decocta sint, intrò per vulvam compellere; ant linteum multiplex super naturalia deligando sanguinem intus continere, adeo non prosunt, ut etiam utique inimica sint. In nimio lochiorum fluxu ex laborum gravitate, supradictis medicamentis aliquid ex opio addatur necessè est. Si quiddam secundinarum, aut sanguinis coagulati intus permansit, manu oleo uncta, digitis in cuspidem conjunctis, demissa, educi oportet. Sin, quoniam tempus aliquod à partu præteriit, os vulvæ non ita dehiscit, ut hoc opus fieri possit, lac dulce, cujus unciis decem olei olivarum cochlearia duo, cum dimidio salis, adjecta sint, per alvum infundere contenti esse debemus. Siquidem hoc quotidie semel tantum facto, quicquid intus est, ferè per se pauculis diebus elabitur. Ubi menstrua nimis & frequentius profunduntur, *tincturam Saturni*, ut ante mihi dictum est, dare prodest, cum eo tamen, ut quo tempore naturaliter ferri solent, ab ea abstinendum sit. Cum pluribus, quam debent, diebus fluunt, eodem quoque medicamento uten-

utendum eſt: at non prius, quam procedere deſiverunt.

## CAPUT. XI.

### *De peſtilentia.*

QUia verò in regionibus, quæ montes habent, in quibus mineralia naſcantur, calidæque ſunt, *peſtilentia* frequentiſſima eſt, ideo ex his certas molleculas igne ſubterraneo, & radiis ſolaribus elevatas per ventum ad nos venirè, ac remotè hoc vitium excitare credo: à quibus ergo *cauſas remotas* petere licet. Illæ verò molleculæ, ubi per aerem, dum ſpiritum trahimus, in ſanguinèm vehuntur, eumque inficiunt, *cauſam proximam* faciunt. At cum phænomena, & medendi rationem conſidero, non poſſum quin eas eſſe *ſalinas volatiles corroſivas* judicem. Itaque nec acidum; nec vermiculi in aëre repentes, quamvis eos tempore peſtis haud negemus, in cauſa ſunt. Cæterùm ex cauſa â nobis poſita fit, ut *vires ſubito conſumantur*; *contagium accedat*; *multa variaque ſymptomata ſuperveniant*; & *homines quam celerrimè rapiantur*: quæ quatuor *ſigna* ſe ſemper oſtendunt, adeoque *inſeparabilia*

ſunt. His autem quintum, id eſt, *multos*, non omnes, eodem tempore hoc morbo tentari, addi poteſt. Sed præter hæc quinque ſigna vel phænomena adhuc multa alia ſunt, quæ *nunquam omnia ſimul apparent:* ut ſunt, æſtus internus; alvi fluxus; vomitus; ſitis vehemens; vigilia continua; delirium; tremor; inquietudo; dolores capitis & totius corporis; convulſio; palpitatio cordis; pulſus magnus, robuſtus, parvus, debilis, lentus, celer; febris cum lingua arida ſitique; pulſus intermittens; præcordiorum anguſtia, ſudor frigidus; animæ defectio; ac denique mors. Adhæc ſunt etiam *bubones*, & *anthraces peſtilentiales*, quorum curationes chirurgi ſibi vendicant; atque *petechiæ*. *Bubones* autem in glandulas conglobatas ſub cute infra aures, in alis, in inguinibus, imo in artubus totoque corpore ſitas incidunt. At *anthraces* oriuntur in glandulis cutaneis. Sed *petechiæ*, quæ modo majores, modo minores ſunt; & interdum etiam labeculas à pulicibus induſio lineo illatas referunt, vaſcula ſanguinea cutem perreptantia occupant; & colorem rubrum, aut purpureum, aut lividum, aut nigrum habent. Supradicta verò phænomena *propriè ad peſtem pertinent* omnia. Dantur quoque alia, quæ *eandem*

*ali-*

*aliquando comitari* deprehenduntur. Quæ bina genera *periculum* oſtendere poſſunt. In genere verò de *prioribus* dicere licet, quod quo graviora & plura ſunt, eo minor ſecundæ valetudinis ſpes ſit: & vice verſa. At ſpecialiter *mala* ſunt ſitis vehemens; vigilia continua; delirium; tremor; pulſus parvus, debilis, & celer; feber; pulſus intermittens; præcordiorum anguſtia; ſudor frigidus; animi deliquium; bubonum & anthracum apertorum ariditas; petechiarum livor & nigredo. E contrario *bona* ſunt pulſus magnus, robuſtus, & lentus; bubones; anthraces; petechiarum rubedo. Verum *dubii eventus* ſunt æſtus internus; alvi fluxus; vomitus; & petechiarum color purpureus. Porrò è phænomenis *peſtilentiam interdum comitantibus*, *mala* ſunt facies lurida; oculi madentes; urina tenuis & cruda; ſudor nullus, multus ſine levamine, fœdi odoris; exhalationes fœtidæ per nares, os, penem, & alvum latæ; aphthæ nigræ; nigra & fiſſa lingua; ſolicitudo; pucillanimitas; ſtupor; & metus. *Bona* ſunt urina craſſa & turbida; multus ſudor cum levamine; & aphthæ albidæ. *Dubii* vero *generis* urina parum aut nihil à ſani hominis diſtans; hæmorrhagiæ; & aphthæ flavæ. His cognitis, ad cura-

tio-

tionem veniendum eſt, quam *duplicem* ponere res ipſa deſiderat. In una omnem curam ad *præſervationem*; in altera, ad *ſanationem* transferimus. *Præſervamur* autem, cum potionibus valentibus, & nimio aromatum uſu abſtinemus; cibos acido adjecto ſuminus; ſpongiam vel pannum in aceto vini vel calendulæ tinctum naribus admovemus; edimus horam antè, quam eximus foras; conclave odoribus ſuffimus, petitis ab incenſo ligno juniperino, pulvere pyrio, fune ad eum accendendum facta, tabaco, & id genus aliis. Denique hoc malum, quoad fieri poteſt, evadimus, ſi hujus *aceti medicati*,

℞. *abſinth.*
*ſalviæ, recentium* añ. ℥j.
*ruthæ recent.* ℥ı ß.
*Contuſis affunde*
*aceti vini optim.* ℔ij.
*Poſtquam noctem loco calido, vaſe bene clauſo ſtetit, liquori colato & expreſſo adde*
*pulv: petaſitid.* ℥j.
*theriac.* ℥ß.
*Et ubi adhuc noctem eodem modo fuit, liquor fortiter expreſſus ſervetur uſui.*

quo-

quovis tempore matutino duobus vel tribus cochleariis utimur. Neque *aquam prophilacticam* eadem ratione dediſſe minus prodeſt. Præterea *ſanamus peſtilentiam* minimè per remedia, quæ *alkali volatili*, id eſt, ſale volatili cornu cervi, ſpiritu ſalis armoniaci; aut *alkali fixo puro*, ut ſale abſinthii, cardui benedicti; aut *ſale volatili*, ut ſunt flores ſalis armoniaci; pollent. Etenim hujuſmodi aliena eſſe, ratione pariter ac experientia conſtat. Quæ contra quoquo huic vitio per acida ſudorifera paulo olei ſubtilis prædita maximè ſuccurri poſſe teſtantur. Et quando tum temporis medico ferè multi ſimul ægri traduntur, uno aut altero remedio, & eo ipſo uſu comprobato curandi cauſa uti, utiliſſimum judicarem. Igitur hanc *aquam theriacalem*,

℞ *theriac.* ℔ 1.
*camphoræ cum paulo theriacæ ſubtil: trit.* ℈ 1.
*aceti vini,*
*vini Hiſpanic.* añ. ℔ 1 ß.

*Collocentur in unum juncta loco calido, & vaſe clauſo, per diem unum atque alterdum: tum exprimatur humor per linteum, qui uſui ſervetur.*

vel *eam*, quæ *alexipharmaca* vocatur, cæte-

teris præferrem. E quarum utralibet cochlearia duo horis binis terniſve ſunt aſſumenda, donec, aquam coctam calidiſſimam, quæ falia theè ſibi indita habeat, ſuperbibendo, ſudor erumpat. Ad quod conducit etiam, ſi ægri non multis veſtimentis ſtrangulentur, ſed mediocribus tantum velentur; & corpori ſub his quietem ſervent. Sed interim opera danda eſt, ut eadem potione aquæ ex theè in ſudore maneant. Qui tamen ſi in totum conquieſcat ſic, ut ſanitas non reddatur, ad idem medicamentum recurri oportet uſque, dum aut ſaneſcant, aut certè è vita migrent. Inter hæc quoque ex intervallo cereviſiam calidam, cui medulla limonii, & fruſtum panis ſiliginei aſſum, cum nuce moſchata contrita ſint adjecta, pro lubitu bibere licet; aut hac potione,

℞. *decoct: radic: ſcorſoner.* ℔ i ß.
*gelatin: corn: cervi* ʒ i ß.
*ſucci citrior.* ʒ j.
*aq: cinamom.* ʒ vi.
*ſyrup: card: bened:* q. ſ. ad grat: ſap.
*M. F. potio.*

uti. Si nauſea premit, & vires ſinunt, unciâ dimidiâ *oxyſacchari vomitivi*, quod conſtat ex his:

℞.

℞. *vitri antimon: pulv.* ʒj.
*aceti vini* ℥iv.
*Diger: per horas quindecim in balneo Mariæ: aceto per chart: bib: filtr: adde ſacchari* ℥ij.
*Tum coq: donec ſyrupi tenuioris craſſitudo ſit.*

datâ vomitum ciere opus eſt. Ut & alvum movere per rheum, ubi magna deſidendi cupiditas eſt. Et ſi venter ſuppreſſus eſt, eum enemate vel ſuppoſitorio demiſſo reſolvere ſemper licitum eſt. Etiam fonticulos aut ſetacea in axillis habere utile eſt. Aſt ſanguinis miſſionem, quamvis plethora ſit, condemnamus. Præterea ſupraſcriptæ aquæ theriacali vel alexipharmacæ pro phænomenorum varietate quiddam aliud addere oportet. Etenim ubi *alvus vehementer currit*, laudani opiati granum unum, vel unum & ſemis, uno die immiſceri expedit, cum eo tamen, ne in totum ſiſtatur. *Vomitus* deſiderat idem remedium. In *vigilia continua & delirio* idem quoque conducit. *Convulſionem* juvat cinnabaris, præcipuèque antimonii, quæ vel toto die ſuper lapidem porphyritem trita ſit, aut potius ſexies ſublimatione exaltata. Contra *præcordiorum anguſtiam* paulo plus camphoræ adjiciendum eſt. Quod

*ſu-*

*ſudori frigido* quoque prodeſt. Cum *animæ defectiones* ſunt, confectione alkermes, & aqua cinamomi opus eſt. Si *ſudor nullus* eſt, plus camphoræ requiritur; ſin *multus ſudor* ſine auxilio, aliquid tincturæ Saturni, de qua capite proximo diximus. Ea quoque in *hæmorrhagiis* neceſſaria eſt. Ubi *febris* adeſt, curatio talis eſſe debet, qualis in febre petechiali adhibetur. Si *aphthæ* vexant, ſic faciendum eſt, ut in hoc vitio, quod febrem continuam comitatur, præcipiam. Porrò *bubones* & *anthraces peſtilentiales* ſunt maligni. *Priores* verò incipiunt à tumore, qui quotidie increſcit; tardè ſuppuratur; cum ardore, dolore perquam rodente, & ingenti rubedine, quam *inflammationem* vocant. Rarò diſſolvuntur; ſed ſuppurationem excitant optimè cataplaſmata maturantia, eaque maximè valentia, ut *cataplaſma de cœpis*, cujus modum parandi capite quarto propoſui, quod nec *oleoſa*, nec *alkalina*: unguentum baſilicum, oleum ſcorpionum, cornû cervi, mithridatium, theriacam, fimum columbinum habeat. Cui magis placet emplaſtrum, is utatur *cerato de cœpis*, cujus compoſitionem eodem etiam capite videre eſt, addito tamen multo *emplaſtri de mucilaginibus*. Quamprimum autem ex molli-

litie, reſiſtentia, & majori dolore ſuppurationem eſſe factam manifeſtum eſt, tumorem non remedio, quod exeſt corpus, aperire, ſed emplaplaga incidere oportet. In quam linamentum involutum & oblongum, cui unguentum baſilicum, adjecto ſi vis paululo theriacæ, illitum ſit, demittere, idque bis die mutare commodiſſimum eſt. Et quia plagam diutius, quam in bubone benigno fieri conſuevit, ad pus evocandum patere neceſſè eſt, iſtius linamenti uſus continuandus eſt. Tandem id nihilominus in dies minus reddendum, quo vulnus repleatur: quod per ſe evenire animadvertimus. Tum linamento omiſſo plagæ jam plenæ per emplaſtrum epuloticum cicatrix induci debet. Quod ad *anthraces* verò attinet: hi initium accipiunt à duritie, quæ paulatim accreſcit, cuique aliquot puſtulæ innaſcuntur, modo albæ, modo flavæ, modo lividæ, modo nigræ. Eæ verò ſucceſſu temporis in ulcuſcula exedentia adaperiuntur, quæ deinde in unum coeunt, oculis ſubjiciens carnem corruptam nigricantem: *carbonem* appellant medici. Hic tum paulatim latius atque altius procedit. Nec deſunt quoque ardor, dolor rodens, & inflammatio, quæ & graviora ſunt quam in bubone, & ab ini-

tio ad carbonis finem uſque incrementum capiunt. Curationis cauſa igitur primò ea cura habenda eſt, ne pars carnis corrupta major evadat, quod eam circa bis die ex butyro antimonii ungendo, & *emplaſtrum magneticum arſenicale* ſuperimponendo conſequimur. Id autem emplaſtrum ſic conficitur:

℞. *antimon: crud.*
*ſulphur.*
*arſenic.* añ. ʒij.
*M. F. pulvis, qui in crucibulo colliqueſcat, & magnes arſenicalis nominatur.*

℞. *gumm: ſagapen.*
*ammoniac.*
*galban: depur.* añ. ʒvi.
*ceræ* ʒj.
*terebinth.*
*ol: ſuccin.* añ. ʒß.
*terræ vitriol.* ʒij.
*magnet: arſenical.* ʒvi.
*F. S. A. Empl: magnetic: arſenicale.*

Ubi caro mortua ſerpere deſinit, unguentum baſilicum, addito butyro ſine ſale, liberaliter admovendo, & cataplaſma vel ceratum de cœpis ſuperdando, ab integro reſol-

ſolvi debet. Cum jam à vivo diducta eſt, vulſella arreptam educi oportet. Deinde ulcus, quod relictum eſt, idque ipſum ſordidum, per unguentum ſuperius purgandum; tum ei addita terebinthina vitello ovi mixta implendum; & noviſſimè per emplaſtrum ad id aptum cicatrice obducendum: quæ ſemper concava ſit neceſſè eſt. Authores ſunt quidam in bubones & anthraces peſtilentiales cucurbitulas ſine vel cum ferro eſſe defigendas: quin cutim plagis incidendam: etiam veſicatoria adhibenda eſſe. Quæ tamen omnia jure ut vana, imo noxia repudianda. Poſtremò *petechiæ*, nihil auxilii per ſe deſiderant, quia morbo ſanato, unà & ipſæ ſaneſcunt.

## CAPUT. XII.

### *De hydrope.*

*Hydropis* autem plures ſpecies ſunt, unam καχεξίαν; alteram λευκοφλεγματίαν; & tertiam ἀσκίτην Græci nominaverunt. Ultimo *lymphatici* cognomen imponere viſum eſt, ne eum cum altero *humorali*, de quo capite octavo explicui, confundam. Neque

etiam ignorari oportet, quod aſcites lymphaticus, quem in hoc loco ponam, ex leucophlegmatia naſcitur: nam alter, quem aliàs comprehendam, ubi etiam de *hydrope peritonæi* explicabimus, ſine ea eſſe conſuevit. At aquam inter cutem, quæ ἀναστόμωσις à Græcis vocatur, non eſſe concipio. Et quoniam, ubi acida, viſcida, & dulcia aviditate nimia plus, quam debet, aliquis aſſumit; ſe implere, maximè cibis, qui difficulter concoquuntur, ſolet; frigus, ſi eſt, non cavet; ab omni motu corporis abſtinet; vinum, aliaſque potiones validas copioſius bibit; aquam ex theè aut coffi ultra modum ſorbet, hoc vitio corripitur, id ex iis tanquam *cauſis remotis* fieri patet. E quibus quia ſanguis in omnibus partibus eum continentibus juſto viſcidior evadit; & per lympham vaporeſque internos ſimiliter glutinoſiores, quam oportet, hunc morbum excitat, idcirco illum pro *cauſa proxima* habere non dubito. Quæ id efficit, ut quis in *cachexia* habeat faciem pallidam & tumidam; pedes & crura cum pallore tumentes, qui veſtigia impreſſa aliquamdiu retinent, præcipuèque veſperi, niſi jugiter lecto conquieſcat: quod hodie *œdema* nuncupatur. Utque interdum cupiditas cibi diminuta ſit, urinaque tenuis

& diluta, quam *crudam* dicunt. Major autem cachexia eſt *leucophlegmatia*, in qua non tantum multò graviora, quam in priori ſunt phænomena; ſed his accedit etiam, quod œdema ipſa quoque femora occupat; venter non parum tumet; & ſpiritus difficilis cum præcordiorum anguſtia eſt. Deinde ubi partes inter ungues & genua œdemate adhuc graviori tenentur, veſiculæ, in quibus humor lympidus eſt, oriuntur. Quibus inciſis nonnunquam nigra intra caro naſcitur. Jamque è ſuperioribus conſtat, cachexiam ſæpe converti in leucophlegmatiam: quamvis hæc etiam per ſe, & quidem vel celeriter octiduo; vel tardè aliquot ſeptimanis, fieri poteſt. Si poſterius incidit, ſub eo tempore utplurimum ſpiritus difficultas & anguſtia vexant ex intervallo repetentia, præſertim cum ambulat, aut quam primum expergiſcitur homo. Porro ex gravi leucophlegmatia ſequitur *aſcites lymphaticus*, quando lympha viſcidior vaſa lymphatica per ventris interiora ab exteriore parte diſcurrentia claudit, diſtendit, rumpit: ad quod acrimonia humoris ſalina (ſiquidem ferè ſaporis ſalſi eſſe deprehenditur) mihi aliquid conferre videtur. Hæc igitur aqua ex iſtis vaſis ruptis in ventrem contracta aſcites ſupradictus eſt. Ea verò è ſucco nervo-

ſo magnam partem conſtans, jugiter è ventre oſculis vaſorum lymphaticorum, quæ à tubulis inchoantur, excipitur, per eaque in ſanguinem refluit. Qua de cauſa vires ſubito, aqua per abdomen apertum, quantunvis per intervalla temporis modo perquam exiguo emiſſa, deficiunt ſic, ut intra paucu-los dies mors ferè ſequatur. Scilicet in hoc aſcitis genere, in quo ut plurimum vires deſunt: ſiquidem in altero non tantum vitæ periculum ſubeſſe conſuevit. Poſt aſcitem lymphaticum, lympha per peritonæi productiones in ſcrotum deſcendente, *hernia aquoſa*, ὑδροκήλην Græci appellant, accedit. Quæ proinde nihil aliud eſt, quam aquæ in ſcroto, quod ſimul œdematoſum eſt, collectio. Huic autem vitio, ubi majus eſt, ſemper ſupervenit *tumor* lympidus à ſimilitudine cryſtalli *cryſtallinus* vocatus, quo cutis, quæ circa glandem, eique proximum penem eſt, interdum magnopere diſtenditur. Neque tamen ob id ipſum iter urinæ præcluditur. Ille verò ſi ſcalpello leviter uno loco inciditur, guttula aquæ exit, ſubſequiturque paululum ſanguinis ſic, ut nihil ex tumore minuatur. Jam dixi de hydropis ratione, nunc dicam de ejuſdem curatione, quæ rectè cedit, ſi æger cauſis remo-

motis abſtineat; cibis ſiccis, iiſque qui facilè digeruntur, utatur; per eos multa aromata ſumat; & quamminimum potionis bibat. Ubi aquam coctam ex raſura ligni guajaci, eodem modo, quo ex theè & coffi, aliquis amat, eam in potum aſſumere convenit. Ex medicamentis verò ſolus *ſpiritus vini medicatus*, cujus compoſitionem capite octavo propoſuimus, utiliſſimus eſt. Vel hujus *pulveris*, p. 38.

℞ *rad: angelic.*
*galang.* an. ʒij.
*jalapp.* ʒiij.
*ſcammon.* ʒj.
*magiſter: gumm. gutt.* ℈ij.
*mercur: dulc.* ʒß.
*M. F. pulv: ad ſcatul: dand.*

drachma dimidia, cui tamen, prout corpus magis aut minus exoneratur, demendum aut adjiciendum eſt, bis die data, ſive per ſe, ſive addito ſaccharo albo, etiam maximè ſubvenit. Iſte pulvis quoque cum ſyrupo ſacchari canti ad conditum miſceri, & ſic adhiberi poteſt. Vel denique *ſal volatile oleoſum* noſtrum opitulatur, cujus guttas triginta vel quadraginta in cyathi vino, quaternis horis interpoſitis ſumere ſatis eſt, cum

eo, ut unà quovis manè *pilularum de gummis purgantium* capite tertio positarum, quantum aliquot dejectionibus sufficit, devoretur. Cum verò incidit, ut venter per se satis moveatur, eorum, quæ alvum cient, usus supervacuus est. Sub quibus ut mulier sit, quæ nutrit mammis fœtum, huic tamen ventrem non semper resolvi animadverti. Quod si evenit, ut per supradicta remedia sanguinem excreet, aut alvo reddat aliquis, protinus illa omitti oportet; medicamentum *ex rheo*, sicut capite decimo septimo referemus, factum, ad sanguinem supprimendum dari; & postquam sanguis ex toto quievit, hujus *electuarii*,

℞ *pulp: prunorum* ʒv.
*rad: jalapp.* ʒij.
*diagrid.* ʒj.
*magister: gumm: gutt.*
*tartar: vitriol.* añ. ℈ij.
*saccbari clarificat.* ℥j.
*M. ad fictile.*

quod castaneæ magnitudinem impleat, vel quantum satis est ad ventrem ter quaterve solvendum, deglutiri. Hoc auxilii genus etiam respondet, ubi febris adest, nisi gravis chalybeata, & antimonialia sudorifera faciat necessaria. At teneræ ætates tam valentia,

me-

medicamenta, ſicut priora ſunt, non ferunt. Itaque hoc ultimo; ut & *vino Hiſpanico*, in quod *allium* minutim conciſum ſit conjectum, uti abunde eſt. Præter hæc *alkalia fixa pura*, ut ſal geniſtæ, abſinthii, etiam ad hydropem poſſunt, ſed palato minus grata ſunt. Neque minus *mercurialia:* mercurius diaphoreticus jovialis, mercurius dulcis conveniunt: aſt ſub iis intumeſcentiæ & exulcerationis oris periculum eſt; nam frequens ſaliva in hoc caſu non æque timeri poteſt. *Chalybeataque*, ſive ſit chalybs ſubtiliter contrita; ſive ex ea per acidum medicamenta facta ſic, ut hujus quam minimum ſit inſumptum, minus proſunt. Et adhuc minus proficiunt *antimonialia ſudorifera*, niſi ſit regulus antimonii medicinalis, aut antimonium diaphoreticum, cum duabus partibus nitri paratum. Evocare verò ſudorem per medicamenta ſola, vel unâ cum hypocauſto pedibus admoto, eo quod plurimæ particulæ ſpirituoſæ, id eſt, ſubtiliſſimæ è corpore avolant, pernicioſum eſt. Licet, ubi quis veſtimentis admodum levibus velatus facilè inſudat; plus urinæ excernitur, quam humor aſſumitur; per nares pituita profluit; os humidum eſt; bona ſigna ſunt. Ea quidem, quæ vehementer

urinam movent, etiam prætereo, quippe cum hoc malum vincere nequeant. Nihilominus id interdum ſudore urinaque per ſe motis ad ſanitatem pervenire poſſe, uſus ipſe docet. At promptius alvo per ſe fuſa finiri frequentius contingit. Ante omnia autem ſcire convenit, homini redire hydropem, niſi eadem victus ratione, atque medicamentis, ſed multò minori modo datis, defenditur bona valetudo, quibus reddita eſt. Prævisis iis, quæ ad ipſum vitium pertinent, ad *ſymptomatum urgentium curationes* veniam. Igitur quando œdema, quod pedes cruraque invaſit, curatâ hydrope per ſe diſcutitur, non requirere videtur, niſi ut hæ partes calidæ & ſublimes in ſedili lectove habeantur: quanquam illinere ſpiritu vini camphorato, vel reſiduo liquore ſpiritus frumenti fovere, vel demittere inguinibus tenus in aquam calidam falſam, cui herbæ aromaticæ adjectæ ſint, etiam non alienum eſt. Qui verò *habenulam*, quæ ex epidermi nata radicem unguium contegit, humorem emittendi cauſa, ab ea *diduci* volunt, hujus affectus rationem ignorare ſe oſtendunt. Et *faſcia*, quæ ſupradictas partes ab inferioribus ſurſum injecta adſtringat, nimiam quidem earum intumeſcentiam prohibet; ſed inſuper quoque

lym-

lympham viſcidam ſanguinem verſus compellit, qui inde viſcidior factus minus facilè attenuatur. *Veſicatoria* etiam cum gangrænæ periculo imponuntur. Quod ſi ſine iis veſiculæ appareant, acu aperiri debent. Quo facto ſuapte ſponte ſaneſcunt. Ubi cutis jugitur decumbentis, qua ſuper calcem, genua ab interiore parte, & coxas eſt, livida fit, & emoritur, unguento baſilico liberaliter injecto à viva carne diducitur. Quam deinde emplaſtrum ad id idoneum cicatrice obducit. Cæterùm *aſcites lymphaticus* per ſe ſaneſcit, cum leucophlegmatia ſolvitur. Inter quæ primo minuitur ventris tumor, deinde femorum, tum crurum, noviſſimè pedum. Ubi verò ſanitas non reſtituitur, humorem per ventrem ipſum effundere, non aliud eſt, quam mortem, quæ per ſuperiora auxilia tantum differtur, maturare. Adhæc ut aſcites per leucophlegmatiæ curationem ſanatur, ita per prioris curationem *hernia aquoſa* ſanitatem recipit. Quamvis hæc ſi levis eſt, ubi homo reſupinus jacet ſic, ut pectus humile ſit, coxæ paulum excitentur, per tempus aliquod levatur. Quod tamen, cum exigui capitis humani magnitudinem explet, non evenire deprehenditur. Si aſcites per leucophlegmatiæ ſanitatem non

tol-

tollitur, herniæ aquoſæ ut plurimum ſa-nitate finitur. At hanc acu compungendo ſanitatem moliri non licet, quia id fere ca-lida & dolorifica inflammatio ſequitur, quæ ferè in gangrænam, ut hæc in ſphacelum convertitur. Neque ſane hoc modo curarii poteſt, quoniam, niſi pauculæ guttæ humo-ris lympidi, non exeunt ſic, ut tumor œde-maque nihil ſubſidant. Verum ad ſanitatem nonnunquam venit corpus, ſi *aperiatur ſero-tum*, & ſic humor effundatur. Quod mi-nori cum periculo fit, quam abdomen ad aſcitem lymphaticum ſanandum pertunditur. Tamen hoc non obſtat, cur minus inflam-matio, & ex hac gangræna ſcroto ſuperve-nire queat. Cujus ſinui, in quem aqua con-currerat, etiam putredo accedere poteſt: quam ſanies fœdi odoris, quæ ex vulnere fertur, ſignificat. Aperitur autem ſcrotum vel *fiſtula argentea*, ſicut capite octavo pro-poſui, quod bonum eſt; vel *ſcalpello*, quod melius eſt; vel denique *ſetaceo*, quod opti-mum eſt: & quidem in ima parte cum eo, ut vulnus ſatis magnum ſit. Igitur ad *ſeta-ceum* in acum perquam magnam filum ſeri-cum multiplex, in craſſitudine parti acus retuſæ parum cedens, & ante ex cera levi-ter unctum, conjicitur. Deinde ima ſcroti

pars

pars ſiniſtra manu apprehenſa comprimitur, quo ſic œdemate liberata commodius perforationi pateat. Tum per dextram acu filum ducente tranſuitur ita, ut duo foramina digitorum duorum latitudinem à ſe invicem diſtent; ejuſque fili capita inter ſe deligantur; quotidieque id ex unguento baſilico perunctum movetur. Inter hæc protinus initio per *cataplaſma aromaticoviſcidum cum camphora*, cujus compoſitio hæc eſt:

℞ *herb: ruth.*
*menth.*
*ſcord.*
*ſummitat: abſinth.* añ. M. ij.
*farin: fœnugr.* ℥vi.
*Herbis conſciſſis, F. per macerationem ex urina humana, loco calido, ollâ clauſâ, cataplaſma, cui frigefacto admiſce*
*camph: ſp: vin: dilut.* ℥ß. vel ℥vi.
*& uſui id ſerva.*

quod calidè & largiter vinculo ſuperhabendum, & ter in die mutandum, inflammationi & gangrænæ occurritur. Siquidem ut hujus auxilii *viſcidum* ad inflammationem valere experimentis colligitur, quod proinde perperam à nonnullis hodie vituperatum video; ita eſſe *camphoram* maximè proficientem

tem in gangræna quiſque lubens concedit. Quod ſi fœtore non offenditur, cataplaſmati pro camphora, *ſtercoris humani* aliquot cochlearia adjici convenit, utpote cujus inſignem efficaciam adverſus gangrænam experimentum frequenter approbavit. At *phellandrio* eandem, quæ ſupradictis, diſcutiendi gangrænam facultatem eſſe, animadvertere non potui. Cum jam ſcrotum ab his binis malis tutiſſimum eſt, ad exulcerationem, quæ ſub ſetaceo, ob humoris effluvium ſummam cutem ferè occupat, & dolet, *linimentum ex lapide calaminari*, quod ſub finem capitis noni poſui, aptiſſimum eſt. Et quia tædium humoris diſtillantis, & corpus madefacientis homo non facilè ſuſtinet, linteum purum parti affectæ ſubjiciendum, quod eum excipiat, & ſubinde, priori remoto, aliud dandum. Etiam medici cura eſſe debet, ut inguina inducto linimento pingui, & cataplaſmate emolliente relaxata jugiter deſcendenti aquæ tranſitum præbeant. Etenim ſi hæc itinera claudantur antè, quam è ventre evocata ſit omnis, hernia quidem aquoſa, ſed non aſcites, nec leucophlegmatia ſummovebitur. Ubi ſcrotum, humore effuſo, detumuit, & octo aut pluribus diebus nihil amplius effluxit,

filum diſciſſum extrahi debet; linamenta balſamo ſulphuris terebinthinato intincta vulnuſculis imponi; & linteolum octuplex inter ea injectum emplaſtro tenaci magno contineri. Neque quicquam novi reliqua curatio requirit. At œdema in parte ſuprapoſita relictum per *ceratum de cumino* vel *emplaſtrum de labdano*, quæ quemadmodum fiant, ante docui, reſolvitur. Cæterùm ubi ſphacelus eidem parti incidit, in ſuperiori cataplaſmate præſidium eſt, donec à viva corruptam diduci appareat. Tum per unguentum baſilicum, cui tertia pars unguenti ægyptiaci adjectum ſit, liberaliter & calidè ſuper utramque partem impoſitum undique vitioſa caro excidit. Inter hæc verò, quoties aperitur, quod bis aut ter die fit, detergiturque humor purulentus, corruptum vulſella prehenſum forfice excidi-tur ſic, ut dolor excitetur nullus. Cum ſic mortuum omne ablatum eſt, ulcus purgandum eſt eodem medicamento. Ubi purum erit, produci carnem conveniet, quod poſt unguentum baſilicum, cui parum terebinthinæ mixtum ſit, efficitur. Verum uſu cognovi, hujuſmodi ulcus, licet ſcrotum vitioſum in totum fermè deciderit, tamen non tam repleri, quam ejus oras ad ſe in-

invicem accedere, & id, quod è ſcroto ſano remanſit, teſticulos arctiſſimè complecti. Ex quo manifeſtum eſt, ſcrotum, eo quod corruptum erat ſublato, non renaſci. Ultimum eſt, ulcus quantumvis non ex toto impletum ad cicatricem *emplaſtro citrino*, cujus compoſitio capite vigeſimo quarto habetur, perducere. Nihilominus ubi poſtremò aliquot loci concavi vix ad cicatricem veniunt, ſuccurrunt arida linamenta. Jam ſupereſt adhuc *tumor cryſtallinus*, in quo curatio neceſſaria non eſt, quoniam per herniæ aquoſæ curationem diſcutitur. At *putredini*, quæ ſcrotum, qua humor reſedit, adorta eſt, forfice, cujus alter mucro globulum habeat, latius vulnus aperiendo; melque album in aqua communi liquatum, cui paululum balſami ſulphuris terebinthinati infuſum ſit, & tepefactum clyſtere intus compellendo, opitulamur. Et ſi quando hoc medicamentum vincitur, putredo nos cogit ſinus, qui juxta ſunt, ſupradicta forfice cædere, & cætera poſtea ſic facere, ut paulò ante in ſphacelo præceptum eſt.

# CAPUT. XIII.

## De menſium ſuppreſſione & chloroſi.

EX iiſdem verò *cauſis remotis*, è quibus hydrops, *menſium* etiam *ſuppreſſio* mihi naſci videtur. In quibus tamen pedes quoque & venter frigidi debent poni. Igitur *cauſa proxima* ab illis profecta nil aliud quoque erit quam ſanguis, ubicunque in corpore fertur, ſed maximè in arteriis uterinis viſcidior factus. Hinc ob certos ſolis radios â luna, certarum hujus phaſium cauſâ, reſilientes, & eos in ſe receptos non uſque adeo fermenteſcit, ut arteriarum, quæ in uteri fundo ſunt, pori ſatis ad menſtrua tranſmittenda dilatentur. Hanc rem etiam non mediocriter adjuvat pedum & ventris frigus extrinſecus accedens, & propter partium continuitatem in uterum perveniens. Porro, quia hunc ſanguinem è particulis lædentibus conſtare puto, ideo ab iis, ubi menſtrua non reſpondent, *cacochymiam* oriri manifeſtum eſt. Non *cachexiam*, quippe quam eædem cauſæ, quæ menſtrua ſuppreſſa, faciunt. Neque *ſanguinis abundantiam nimiam*, quando-

quidem is non ſupereſt, ſed intus manens nocere poteſt. Cujus rei cauſâ cum fœminis menſtrua non proveniunt, neceſſè eſt, quædam pars morbo infeſtetur. Hujus autem generis etiam eſt morbus, qui χλώρωσις à Græcis appellatur, ferè in virginibus parum ſanis eveniens. Quod in cauſa eſt, cur in hoc vitio ſimul & *menſes obſtructi*, & *cachexia* ſint. Nec deſunt quoque *paſſio hyſterica*, *cordis palpitatio*, *malacia*, aliaque mala. At in hujus mali, quod hoc loco comprehendo, & curatione, & victu ſimilia his eſſe debent, quæ in hydrope præcepimus: hoc tamen interpoſito diſcrimine, quod ægræ pedes & ventrem calidos habere debeant; purgationes tam validæ non eſſe; ſanguis è pede, præcipuèque aliquot dies antè, quam menſes fluere conſueverunt, niſi cum nunquam adhuc lati ſunt, (cujuſmodi malum etiam difficillimè ſanceſcit,) mitti; in ſal volatile oleoſum noſtrum pro oleis, quæ in eo ſunt, id quod è *ſabina* aut *ſuccino* deſtillatur, inſumi; valentiſſima medicamenta, quæ urinam citent, adhiberi, quod genus *eſſentia cantharidum*, quæ ſic fit,

℞ *cantharid: pulv.* ʒv.

*Lixivio cineris clavillati madef: & per*

*ali-*

*aliquot horas, loco calido, in vitro bene clauſo, colloc. Tum affunde*

*ſp: vini optim.* ℥xx.

*Et poſtquam adhuc diem unum aut alterum, in calore, vaſe bene clauſo, ſtetit, per chartam bibulam filtretur*

*Eſſent: canthar.*

eſt, cujus quotidie guttas viginti, vel viginti quinque ex cereviſia aut vino ſumere ſatis eſt, præterquam ubi plus ferre poteſt mulier, ſic ut urina non rodat; & orificium vitri anguſtum, quod *ſal volatile* habeat, fœminis ſubjectum, bis die, per aliquod tempus teneri, eâ adhibitâ prudentiâ, ne quiddam hujus remedii in naturalia effundatur. At vaporem vaporis balnei; aut cujuſdam pulveris globulorumve in prunam conjectorum fumum vulvâ excipere; vel naturalibus condere peſſarium; vel enema, cui ſal volatile adjectum ſit, in anum infundere; vel linimenta, emplaſtra, fomenta, ſacculos, & ſi quæ plura ſint ejuſmodi ſuper hypogaſtrium injicere, hæc omnia levia præſidia ſunt. Cæterùm, quoniam in *chloroſi* etiam cachexia & menſtruorum obſtructio ſunt, iiſdem quoque auxiliis uti commodum eſt. Per quæ ſimul paſſio hyſterica, cordis palpitatio, & malacia tolluntur. Etiamſi hæc varietas re-

rum quaſdam etiamnum animadverſiones deſiderat, ſicut in ulterioribus, ubi hoſce affectus perſequemur, patebit.

## CAPUT. XIV.

### *De animi deliquio.*

*Animæ defectio* quoque eaſdem *cauſas remotas*, quas hydrops, habet: ut *proxima* ex illis proveniens etiam in ſanguine viſcidiori univerſo, ſed præcipuè cerebri arteriarum conſiſtit. Etenim cum ex eo per arteriolas extremas, è quibus cortex cerebri compoſita eſt, minus ſucci nervoſi, quam naturaliter debet, ſejungitur, oritur color perpallidus, parvus & debilis pulſus, ſenſuum externorum & internorum diminutio, infirmitas motus voluntarii, reſpiratio exigua, & anguſtia præcordiorum: quæ phænomena ſunt levioris animæ defectionis, quam Græci λειποθυμίαν vocant. Hæc verò ferè patienti aliquoties in die, certis, aut plerunque incertis temporibus ſuperveniens ſuos paroxiſmos habet. Quod ſi ſenſus, motus, reſpiratio, & anguſtia, utique prout appareret, ex toto ſublata ſunt, quæ gravioris animi deliquii indicia ſunt, συγκοπὴ à Græcis no-

nominatur. Præterea in hoc vitio, quod interdum vertigo præcedit, extrema corporis, ut naſus, manus, & pedes frigent; facies ſudore frigido madet; imo nonnunquam inſciis urina ſtercuſque effluunt. Quando hæc natura mors ſequitur, hominem non protinus ſepelire oportet, quia uſu venire poteſt, ut pulſus & ſpiritus biduo triduove, ſi ſenſibus fidem habeamus, deſinant, & nihilominus æger ad ſe redeat. Idcirco apud judæos; & alios, cum peſtilentia graſſatur, more peſſimo receptum eſt, mortuos intra diem naturalem efferre. Adhæc animæ defectio à *paſſione hyſterica* & *cardialgia* diſtinguatur oportet eo, quod ſingula curandi viam licet non multum inter ſe diſtantem exigunt. Ut autem curatio rectè procedat, aliter ante paroxiſmum, aliter in eo, aliter poſt eum agere convenit. *Ante paroxiſmum* autem hujuſmodi *mixturæ*,

℞ *confect: alkerm.* ʒj.
*ſyrup: betonic.* ʒvi.
*aq: menth.* ℥ij.
*vitæ Math.* ℥i.
*tinctur: cinamom.* ℥ß.
*ol: caryophyll.* gutt. vi.
*M.*

primum duo cochlearia, deinde qualibet ſe-

mihora, aut hora tota alternave unum tantum, prout malum urget, ſumere expedit. In *paroxiſmo* corpus reſupinum & terræ parallelum molliter jacere opus eſt, loco non gravi, ſed perflatum habente ſine frigore. Etiam, ubi paroxiſmus non ſtatim ſolvitur, ſupraſcriptæ mixturæ quiddam per ſiphonem ſupra linguam adductum in fauces leniter infundi debet. Neque incommodum quoque eſt orificium vitri ſal volatile habentis, vel lintei accenſi fumum naribus ſubjicere, vel faciem aqua gelida reſpergere, & ſic excitare. At ſternutamenta, frictiones, concuſſiones, clamores, ſimiliaque parum juvant. *Poſt paroxiſmum*, ſi aliquantò melius habet, ſecuritatem conſequitur, & in totum ſaneſcit per auxilia, quæ in hydrope prodeſſe diximus: præterquam quod medicamentis, quæ alvum moveant, abſtinere debet. Ejus autem rei cauſa cauſas remotas cavere convenit; omnes cibos valentis materiæ, qui facilè concoquuntur, præſtare; per eos multis aromatis uti; potiones meracas, ſed modicè, aſſumere; potione raſuræ ligni guajaci, vel cereali generis validi, interpoſita: niſi quis magis cereviſia tenui gaudeat. Quibus, ut *ſal volatile oleoſum* noſtrum, qui capite primo continetur, è vino

virium

virium ingentium ſumatur, neceſſariò accedit. Vel pro remedio hujus *ſpiritus vini medicati*,

℞ *cinamom: acut.* ʒij.
*caryoph. nuc: moſch.*
*macid. cardamom.*
*galang.* añ. ʒß.
*cubebar. piper: long.*
*zinzib. croci* añ. ϑi.
*granor: paradiſ.* gr. xv.
*ſantal: rubr.* ʒiß.
*ſp: vini* ℔iv.

*Arida bene contrita demittantur cum vini ſpiritu in vas vitreum bene claud.*

quater die cochleario non inutiliter utetur aliquis. Is ſi guſtui inſuavis eſt, paulo ſyrupi ſacchari canti addito, gratiſſimus palato reddi poteſt. Hoc ſanè dignum eſt, quod quiſque in auxilium valetudinis conſervandæ promptum habeat, dum ex eo manè veſperèque non plus quam cochlearium devoret.

# CAPUT. XV.

## *De ſalivatione ſpontanea.*

UBi mecum conſidero, mercurialia per certas molleculas, quæ naturâ ſalinas repræſentant, ſalivam movere; & in ſcorbuto, qui remotè à ſale eſt, ſæpe ſalivæ plenum eſſe os: non poſſum quin judicem, aerem in quo molleculæ ſalis volent; & cibos multo ſale conditos, cauſas *ſalivationis*, quam πτυαλισμὸν Græci nominant, per ſe oriundæ, ob quod *ſpontanea* cognominatur, *remotas* conſtituere. E quibus molleculæ ſalinæ mercurialibus iſtis ſimiles in ſanguine natæ *cauſa* hujus vitii *proxima* exiſtunt. In hoc autem utplurimum oris & maxillarum intumeſcentia eſt; ſitis premit; exulcerationes modò leviores, per quas ſumma duntaxat pellicula exaſperatur; modò graviores, ſive puræ, ſive putres, os ex parte interiore occupant. Dolor torquet, maximèque, ſi ſumma pellicula tantum exulcerata eſt. Et dentes in ore moventur, aut quia ab illis gingivæ recedunt; aut propter gingivarum corruptarum vitium. Igitur his cognitis, etiam curatio noſcenda eſt, in qua conſide-

randum

randum eſt, num cui ideo ulla difficultas ſubſequatur. Id enim ſi non ſit, quia quod jam corruptum eſt in corpore, id ſic expellitur, ſaliva non eſt ſupprimenda. Sed æger ſolummodo calorem nimium vitare debet; à ſale abſtinere; in cibis aromata non ſumere; potiones valentis generis non bibere; aqua cocta ex theè & coffi temperare. Etiam vigilia, ambulatio, ſermo, & ira aliena ſunt. At eupeptis fluidis uti expedit; & lactaria, juſculaque dempta adipe, ſorbere. Ubi verò aliquid è ſymptomatis, quæ ſuprapoſui, ut ſunt, magna oris intumeſcentia, exulcerationes, aliave, vexat, ſalivæ curſum ſiſti oportet. Id quod optimè fit per *potionem ex rheo*, cujus compoſitionem capite decimo ſeptimo proponemus. Qualis quovis mane danda eſt, addito veſperi *bolo*, qui habeat hæc:

℞ *laudan: opiat.* gr. 1.
*ſanguin: dracon.* ℈1.
*acaciæ* ℈ß.
*diaſcord.* ʒß.
*ſyrup: roſar: rubr.* q. ſ.
*M. F. bol.*

Et quoniam rarò intra biduum triduumve ſanitas redditur, ideo ferè ob dolorem impatiens aliud auxilium deſide-

rat. Proinde nonnunquam hoc,

℞ *boli Armen.* ℈ 1.
*corn: cerv: ſine ign.*
*acaciæ* añ. ℈ ß.
*diaſcord:* ʒ ß.
*ſyrup: myrtillor.* ℥ ß.
*aq: plantag.*
*card: bened.* añ. ℥ 1 ß.
*M. F. mixt.*

loco potionis ſuperioris de die cochleatim totum exhibere convenit. Inter hæc verò id agendum eſt, ut, ſi os maxillaſque tumor invaſit, præterquam quod tepido æger loco continendus eſt, affectis oris partibus *ceratum de cumino* capite ſexto poſitum, imponatur, & caput veſte veletur. Quod ſi intumeſcentia dura eſt, melius prodeſt *emplaſtrum de labdano*, quod capite quarto retuli: quorum altero membranula liberaliter ſit illinenda. At exulcerationibus, quæ leviores ſunt, ſuccurrit hoc: *ſeminis papaveris albi* uncia dimidia ex *decocto hordei* conteritur, cujus unciis octo per linteum rarum expreſſis *cretæ albæ* pollinis drachmæ duæ addantur. Si dolor graviſſimus eſt, *opii* grana octo admiſceantur neceſſè eſt, magnâ curâ habitâ, ne quicquam ejus in ventrem deſcendat. Ubi verò tumor deëſt, *aluminis*

*uſtì*

*ſti* grana tria vel quatuor, celerioris curationis cauſa, addi licet. Sed ad graviter exulcerata, quæ *pura* ſunt, nihil commodius eſt, quam *decoctum hordei*, cujus unciis ſex *mellis roſarum* uncia, & *aluminis uſti* drachma adjecta ſint. Cum *putria* ſunt, idem medicamentum quoque idoneum eſt, cum eo, ut in aluminis uſti locum *unguenti Ægyptiaci* drachma una & ſemis, vel drachmæ duæ ſubſtituantur: ſiquidem hujus plus adjici dolor non patitur. Qui etiam præcipit, ut os utrolibet ex illis duobus remediis tantum eluatur, non per penicillum adhibeatur. Illud quoque ſcire oportet, quod dolor non prius finitur, quam ſaliva quieverit, & exulcerationes ad ſanitatem pervenerint. Adhæc ſi dentes labant, ea etiam ore continenda ſunt, quæ proximè ad ulcera oris valere propoſui. Ea enim ſimul adverſus hoc vitium poſſunt, niſi nimium dentes nudati ſunt, quod tamen rarò in hoc genere contingit. Cæterùm iis, quæ vehementer adſtringant, ad ſalivam prohibendam uti, noxium eſt. Plus autem proficit aqua decocta, in qua folia theè jaceant, ſi ore recipiatur, & in eo retineatur. Denique medicamenta, quæ aquam ſolvendo alvum ſubtrahunt, quæ ſudorem eliciunt, quæ urinam movent, ſive per ſe, ſive inter ſe

mixta

mixta dentur, etiamſi effectus ſuos ſortiantur, tamen nihil juvare uſus oſtendit.

## CAPUT XVI.

### *De vomitu.*

UT verò cœlum, & cibus potioque, quæ tales molleculas, quales remedia vomitum cientia, in ſanguinem inferre poſſunt, *vomitus cauſæ remotæ*; ita eædem molleculæ jam in ſanguinem illatæ *cauſa proxima* eſſe mihi videntur. Etenim ex hac proximè nauſea & vomitus oritur: qui cum *dolore* & *anguſtia* vexat. Hic autem morbus eſt *idiopathicus*: ſiquidem *ſympatheticus* ob communes ſtomachi & aliarum partium nervos contingit; & *ſymptomaticus* ex alio vitio ſequitur. Præterea idiopathicus recens eſt, aut vetus; ſine, aut cum febre: quorum is, qui cum febre eſt, plus periculi affert; vetus tardiùs ſaneſcit, & quidem, ubi cibus non reddi deſinit, ſubſequente macie; & vehemens nonnunquam partum ex utero excutit: præcipuèque ubi ſimul tuſſis infeſtat. Eſt & *vomitus pituitoſus*, qui eaſdem *cauſas remotas* cum hydrope, de qua capite duodecimo egimus, habet. At *proxima* eſt pituita, quæ

ſanguine per tunicam ſtomachi glandulo-
am in eo copioſè coit. In hoc autem vitio,
ut continuè, aut aliquot diebus interpoſitis,
ine vel cum febre, potio, paulò poſtquam
aſſumpta eſt, citra dolorem & anguſtiam, at
non ſine multo ſpiritu, paulatim rejicitur;
eaque lympida, & adeo glutinoſa, ut ab ore
propemodum ad terram uſque pertingat. Ne-
que alia ratione cibus, quam potio, ſed mi-
nus, evomi conſpicitur. Adhæc quod deſ-
cendit, interdum etiam æque glutinoſum,
ac ore reddita, apparet. Neque *vomitum adipoſum*, cujus *cauſa remota*, eſt pinguium abuſus; & *proxima* adeps è ſanguine in ſto-
machum ejecta, ſilentio præterire convenit:
in quo neſcio quid pingue evomitur, flam-
mam cum ſtridore in ignem conjectum con-
cipiens: ægro cætera ſano. Cognitis jam
indiciis, ad curationem *vomitus idiopathici*
tranſeundum eſt. Quæ ut rectè procedat,
æger, ſi non multùm infirmatur, nec aliud
malum accedit, loco tepido contineri debet;
prohiberi ne liberaliter bibat, præcipuèque
hora dimidia ante & poſt cibum, ſi eum cu-
pit; præcipi ut, quantum poteſt, dormiat;
ut in lecto aſſiduè conquieſcat; ut animo
tranquillo ſit. Etiam ad rem pertinet, ſi
cupiditas cibi eſt, cibis ſiccis, iiſque, qui

fa-

facilè digeruntur, addito paululo è lenibus aromatis, id eſt, nuce moſchata, macide, ſic ut etiam parum acidi adjectum ſit, uti; & à medicamentis, dum illa ſervantur, vacare. Siquidem hoc modo quandoque, materiâ quæ ledit eductâ, vitium per ſe finitur. Id verò ſi nihilominus continuat, aut hominem plus ſatis debilitat, id, quod ex his conſtat,

℞ *ſal: abſinth.* gr. XXIV.
*ſucci limonior.* ʒij.
*ſyrup: menth.* ʒj.
*aq: menth.* ʒiij.
*M. in mortario vitreo, ut*
*F. haſtul.*

ſumere oportet. Si quis mavolet mixturam, quæ cochleatim detur, plus aquæ menthæ addi debet. Per quod vix fieri poteſt, ut idem incommodum maneat: nam plus in hoc vitio quam opium proficere comperitur. Ubi ſanitas tamen ex parte fit, duodecim horis interpoſitis, idem iterum dare licet. Si per hoc nondum quieſcit vomitus, *oxyſacchari vomitivi*, cujus compoſitionem ſupra capite undecimo propoſuimus, quæque huic vitio melius ſuccurrit, quam tartarus emeticus, drachmis duabus; vel, ſi non delectatur aliquis vomitu, *hauſtu ex rheo*, quem

ca-

capite proximo referemus, uti necessarium est. At quia hoc à stomacho non facilè retinetur, in tres partes divisum assumere sic, ut cuilibet semihora interponatur, opus est. Si vetustior jam vomitus est, sive imprudèntiâ curantis, sive malo corporis habitu laborantis, sive negligentiâ utriusque, levatur hac compositione,

℞ *spirit: sal: armoniac.*
*tinct: opii.* añ. ʒß.
*ol: macid.* gutt. VI.
*M. ad vitr: bene claud.*

Sed *tinctura opii* hoc modo fit:

℞ *opii* ʒj.
*Cui leniter torrefacto, & contrito affunde*
*lixivii cineris clavill.* ʒIß.
*Et postquam diem unum aut alterum loco calido stetit, adde*
*spirit: vini* ʒx.
*Tum etiamnum dies aliquot vase clauso diger: & filtr: per chart: bibul: semel ac iterum, & F. tinct: opii.*

Istius autem compositionis ter in die horâ ante cibum plus minus quinquaginta guttas in cerevisia frigida accipere oportet. Inter hæc tertio quovis die, hoc medicamento non dato, per potionem ex rheo alvum solvere

vere commodum eſt. Quo pacto æger ad ſanitatem perveniet, dum non deſiſtat prius, quam morbus, uti conſuevit, non amplius revertatur. Hæc ſatis dicta ſunt de curatione hujus affectus ſine febre. Nam ea ſi adeſt, hanc vel ſimilem mixturam,

℞ *corall: rubr. præp.*
*ebor: ſine igne* añ. ℈ı.
*diaſcord.* ℈ij.
*ſyrup: menth.* ʒß.
*aq: menth.* ʒiij.
*cinamom.* ʒvı.
*M.*

duodecim horarum ſpatio totam cochleatim ſumpſiſſe prodeſt. Hæc verò, ſi laudani opiati granum adjicitur, promptius quam oportet, vomitum ſupprimit, quippe cum febrem ac anguſtiam augere deprehendatur. Cui rei rectè occurritur, ſi neque plus quam cochlear, neque prius, quam iterum tertiove vomitus fuit, exhibetur. At cum is, per id, quod poſui, non cohibetur, eodem adhuc ſemel iterumve uti convenit. Cæterùm ubi ſuperiora remedia ſtomacho contineri nequeunt, non ita diu antè, & poſt, quam ſumuntur, à potione abſtinendum eſt, rob ribium in ore retinendum, panis ſiligineus, & is toſtus naribus ſubjiciendus, &

quies

quies adhibenda. Verùm extrinsecus contra ventriculum ipsum, oleum, balsamumve, aut emplastrum, quæ stomacho respondere creduntur, admovere, nihil auxilii afferre comperi. Nunc descendam ad *vomitum pituitosum*, qui pluribus diebus neglectus curari difficillimè potest. In eo autem aliud ex toto sequendum est curationis genus. Siquidem adversus eum, vitatis causis remotis, quæ pituitam contrahere consuerunt, cibos, qui facile concoquuntur, εὐπεπτα Græci nominant, & in iis multa aromata sumere; exque intervallo vinum per se sorbere, & magis etiam, quod aromatis conditum est, expedit. Cujusmodi quoque potionem cerealem quotidianam habere, eamque calidissimam bibere, necessarium est. Præter hæc, si vires non desunt, hæ pilulæ,

℞ *aloes*,
*tartari emetic.* aã. gr. iij.
*ol: macid.* q. S.
*M. F. pilulæ.*

quæ per vomitum multam pituitam cum flatibus evocant, maximèque si simul alvus ciatur, prosunt. Ji flatus, si adeo multi sunt, ut ne spiritum elidant, æger periclitetur, potio quotidiana calefacta interpo-

natur neceſſè eſt. Hujus generis auxilium quovis die quarto adhibere abundè eſt, ſed cum eo, ut ſi nimis aſperum fuerit, unum granum tartari emetici detrahatur. Præterea uſus *ſpiritus vini medicati*, quem capite octavo videre eſt, cuique piperis albi contriti uncia dimidia adjecta ſit, ſummè neceſſarius eſt. Qui, cum vomitum aliquis horret, non rarò per ſe valetudinem bonam præſtat, eo modo aſſumptus, ut quotidie ter, quaterve dejiciat. Ubi malum nonnunquam intermittit, diebus liberis etiam hoc medicamento utendum eſt. Si vitium continuè infeſtat, & ſimul febris eſt, ſpiritus & pilulæ ſupradictæ non conducunt. At tunc melius eſt electuarium capite duodecimo comprehenſum, ubi febris non gravis eſt. Quæ ſi talis eſt, mixtura noſtra antifebrilis, cujus compoſitionem capite vigeſimo primo proponemus, modo cinnabaris adaucto, adhiberi debet. Quod ſi ſub vomitu ipſo, qui intermittens eſt, febris urget, hoc eodem remedio etiam tum temporis contentum eſſe oportet. Præter hæc purgationes per rheum; ut &, medicamenta attenuantia materiæ valentiſſimæ cum opio, quod genus & *pilula Starkeyana* eſt, tantum abeſt ut proſint, ut vomitum primò

cum

cum ingente anguſtia ſupprimant, & poſt aliquot horas id etiam majori impetu compenſent. Quin iſta attenuantia per ſe quoque nihil juvare uſus oſtendit. Tandem ubi id agit laborans, ut medicum, quia tardè ſubvenitur, dimittat, ſtomacho cibi non tenace, deſinere ali, tabe conſumi, quo febris, ſi ſimul eſt, multum confert, & ſic ad mortem præcipitari ſolet. *Vomitus* autem *adipoſus* cauſam remotam fugiendo, atque ſumendo acida, facilè ſaneſcit.

## CAPUT. XVII.

### *De alvi fluxu.*

QUando ſanguis ab aere certo, certoque cibo & potione; nec non, ob cibos diverſi generis affatim aſſumptos; imo ob pedes frigidos, ejuſmodi molleculas accipit, cujuſmodi remedium purgans ſanguini impertiri conſuevit, *alvi fluxus*, qui διάῤῥοια à Græcis vocatur, incidit. Ergo illa, quæ molleculas purgantes creare poſſunt, pro *cauſis* hujus vitii *remotis* habenda ſunt; & molleculæ ipſæ, quibus jam ſanguis polleat, pro *proxima*. Quod ſi ſucci pancreatici fre-

quens dejectio eſt, venter excernit perquam liquida & aquoſa, ob quod diarrhæa cognominatur *ſeroſa*. Si bilis alvo, quod interdum cum ani roſione fit, reddi videtur, perquam liquida & ſubflava deſcendunt; & tum *bilioſæ* cognomen eſt. Quamvis alvus ferè hæc duo, aliaque varia in miſtura quadam repræſentat. Utrumque interdum vehementem in ventre dolorem concitat. Ubi ſolis ardor eſt, gravius afficit. Mulieri gravidæ ſine modo fuſa alvus elidere partum poteſt. Si primum cœpit, celeriter ſanatur; ſin longum tempus accedit, vel tardè ſanationem recipit, vel utique corpus extenuat & conſumit. Præterea modò febris abeſt, modò ea dejectionibus accedit. Si hoc, plus diſcriminis ſubeſt, os ſiccius eſt, cum ſiti majori. Ubi cum ſupradictis cauſis remotis eæ, quæ hydropis ſunt, de quibus capite duodecimo retuli, concurrunt, *alvi fluxus pituitoſus* naſcitur. In eo verò pituitæ muciſque ſimilia, rarò leviter ſubcruenta cum ingenti dolore, anguſtia, ſpiritu difficili, & ſudore, omnibus per intervalla repetentibus; nec non, cum frequenti magnaque deſidendi cupiditate, alvi reſolutione comitata, excernuntur, ſed ita, ut intercedant dejectiones ex cibo rectè coctorum,

rum, ſicut in ſanis evenire ſolet. Hoc autem genus in recto inteſtino conſiſtit. Verùm ubi pituitoſa mucoſaque excernuntur colore ſtercoris flava, & non niſi crebræ dejectiones, cum magno dolore ſuperiùs in ventre moleſtiſſimo ex intervallo vexant, colum mali ſedem eſſe puto. Præterea alterutri, quantumvis rarò, ſanguinis fluxus accedit. Dixi de his, quæ pertinent ad morborum rationem, ſequitur ut de ſingulorum curatione dicam. Itaque ſi duo priora vires non infirmant, & ſine ulla noxa ſunt, cum purgetur corpus, & quod læſurum erat, utiliter effundatur, non protinus depellenda ſunt. Sed æger ſibi, præcipuèque pedibus calorem ſervare debet; ſolis ardorem vitare; cibum mollem unius materiæ, & quem non difficulter concoquat, ſumere: nam ne aridum quidem quicquam ſatis utile eſt, niſi admodum paulum. Etiam lenibus aromatis per cibos modicè uti non alienum eſt. Adhæc cereviſiam tenuem, vitello ovi, dum eum amet aliquis, mixtum, ſorbere convenit: niſi ſi quis magis juſculo è carne qualibet, inprimis vitulinâ, ſine ſale; aut lacte dulci gaudeat, ſic ut cui hoc intus concretum anguſtiam movet, aut alvum ducit, is eo abſtineat. Verùm aliquoties antè cere-

vifia lacteve tingere candens ferrum non multum juvat. Et ſic bibendum eſt, ut ſciamus, huic morbo ſitim modicam prodeſſe; vinumque ex toto circumcidendum, niſi ſit rubrum auſterum, idque parcè ſumptum ad vires, ſi quæ conſumuntur, reficiendas. Præter hæc multus ſomnus, quieſque corporis & animi neceſſaria ſunt. Sed ſalſa, dulcia, & acida aperta ſunt inimica. Ergo lac ebutyratum recens, adjecto cremore lactis dulcis, non ex toto rejiciendum. Hoc autem pacto alvi curſus interdum per ſe deſinit. Si manſit, aut vim corporis minuit, aliove modo nocet, curatio adhibenda eſt, quæ per rheum ab omnibus frequentata nihil habet dubii. Etiam ubi longiore tempore tenuit, vel cum febre eſt. Ejus autem *contriti* drachma in potione cereali accipitur. Si quis id magis alvum adſtringens volet, antè leviter toſti ſcrupulos duos dari oportet, quibus tum nucis moſchatæ ſcrupulum ſemis addere commodum eſt. Quod ſi *potionem* mavolet aliquis, eam *ex rheo* ſic parandam curet,

℞ *rhei* ʒij.
*tartar: crud.* ℈ı.
*infund: in ſ: q: aq: comm: per horam:*

*tum*

*tum colat: mediocrit: expr:* ℥ij. *adde*
*ſyrup: de rheo* ℥ß.
*aq: cinamom.* ℥ij.
*M. F. hauſt.*

Quæ ſi fortis expreſſio accedit, etiam ventrem magis contrahit. Cum venter magnopere dolet, *olei amygdalarum dulcium* uncia dimidia adjiciatur neceſſè eſt. Ubi anus roditur, ex lapide calaminari ſubtiliter contrito, addito oleo roſarum, donec unguenti craſſitudo ei fiat, illinere convenit. Illorum verò alterutrum quovis tempore matutino exhibendum uſque, dum vitium conquieſcat, quod evenit ſic, ut alvus vel moveatur, vel minus fluat, vel protinus conſiſtat. Si hoc ultimum incidat, venterque ſuppreſſius nihil reddat, ferè dolor in eo remanet. Quem deinde lac dulce cum oleo olivarum, adjecto paulo ſalis, per alvum infuſum, liquida ab inferiore parte evocando, reſolvit. Neque ignorare licet, ſupradictum remedium bis terve datum, utplurimum ſatis eſſe ad ſanitatem, ſive ſuccus pancreaticus, ſive bilis profluat, reddendam: niſi diu duravit. In quo caſu id agendum eſt, ut medicamentum eo, quo dictum eſt, modo, magis adſtringat; eoque non manè ſolo uti, ſed

inſuper etiam veſperi hoc,

℞ *ebor: ſine ign.*
*cretæ alb.* aã. gr. xv.
*mithridat:* ʒß.
*ſyrup: roſar: rubr.* ʒiij.
*aq: fœnicul.* ʒiß.
*M. F. hauſt.*

ſubjicere expedit. Si per hæc parum proficitur, ei laudani opiati granum addere opus eſt. Quod ſi ne his quidem æger remediis ſanatur, confugiendum eſt ad ea, quæ vehementer alvum adſtringant. Ad quod conſequendum horis binis vel ternis ſcrupulo uno, vel drachma dimidia corticis granatorum, aut radicis tormentillæ bene contritæ, ſive ex cereviſia, ſive lacti dulci incocta uti prodeſt. Vix enim fieri poteſt, ut per hæc alvus non ſupprimatur. Sed & ſciri volo, alterutrum ex his dari licere, quamvis lingua arida eſt: ſiquidem, hoc malo victo, quod plerumque intra biduum fit, rurſus madere incipit. Item, ut primum alvus quieſcere cœpit, eorum uſu abſtinendum eſſe. At hujuſmodi remedio uti antè, quàm rheum datum ſit, author non eſſem: nam ſic rarò corpus, quod profluvio laborat, continetur; & ſi hoc fit, periculum eſt, ne febris continua ſuperveniat;

aut

aut certè dolor ingens ventri incidat, qui non niſi alvo iterum fluente, ſolvitur. Idem etiam ferè perpetuum eſt, ſi quis corpore non purgato, per *opiata* ventrem comprimit: licet iis *alkalia terreſtria*, quæ ſimul leniter adſtringunt, ut ſunt corallia rubra præparata, bolus Armena; & *pulveres viſcidi*, id eſt, cornu cervi & ebur, utrumque ſine igne præparatum, (hæc enim aquâ calidâ, quæ in ſanguine eſt, in gelatinam convertuntur) adjecta ſint. Præterquam cum levior, dum recens, eſt morbus. Contra quem in hiſce poſterioribus quidem per ſe datis, auxilii vix quicquam eſt. Porrò in qualibet diarrhæa, vel ipſorum infantium, alvo viridia reddente; & ſi jam ætate aliquis proceſſit, venterque graviter dolet, *ipecacuanha*, quæ radix Americana, & ea ſubamara ac adſtringens eſt, vomitumque ciet, in omnia idem, quod rheum, ſed valentius, & minori pondere data poteſt. Sed qua ratione adhiberi debeat ſic, ut ne vomitum quidem citet, capite proximo comprehendam. Si, vel vomitu per eam excitato, diebus aliquot nihil ſuccurrit, cortex granatorum, vel radix tormentillæ, ſicut antè poſitum eſt, utenda venit. Si febris, quæ adeſt, gravior exiſtit, hæc mixtura,

℞ *cornu cervi ſine igne,*
*corall: rubr: præp.* añ. ℈j.
*diaſcordii* ʒj.
*ſyrup: card: bened.* ʒvi.
*aq: card: bened.*
*meliſſ.* añ. ʒiß.
*cinamom.* ʒß.
*M.*

îdonea eſt, cujus alternis horis cochlearia duo aſſumpta leniter ventrem tenent, hac tamen moderatione adhibita, ut, quo plus ex morbo minuitur, eo minus diaſcordii addatur. Poſtremò in alvi curſu ſeroſo iis, quæ aquam; & in bilioſo quæ bilem per alvum educant: illa ὑδραγωγὰ, hæc χολαγωγὰ Græci nominant, uti ſine vel cum rheo alienum eſt. Ne referam medicamenta, quæ certis humoribus ejiciendis ſint, non dari. Et quin ſudorifera acria noxia ſint, dubitatio eſt nulla. At enematis, quæ adſtringunt, externiſque auxiliis opus non habemus. Cæterùm *alvi fluxus pituitoſus* ad ſanitatem perducitur, ſi præterquam quod cauſis remotis prohibendus æger eſt, in cupeptis multa aromata ſumit; quotidie cereviſiam iis conditam, eamque calidiſſimam bibit; maximèque ſi *pilulis de gummis purgantibus*, quarum compoſitionem capite tertio

po-

posuimus, aliove remedio non adstringente, quod alvum moveat, utitur. Sed cum unà sanguis fluit, aromatis rejectis, cerevisiâque frigidâ sumptâ, in istorum pilularum locum potio ex rheo supra posita danda. Siquidem remedium purgans semel, iterumve, die integro interposito, devorasse satis est ad sanitatem restituendam. Quo solo experimento abundè discitur, quod purgationes, ut nonnulli contendunt, ex toto non sint expellendæ. Quin *sal volatile oleosum* per se, vel additâ *tinctura opii*, sumpsisse, teste experientia, nihil prodest: sed sanguis, si unà sit, ut rapidius profluat, efficit.

## CAPUT. XVIII.

### *De dysenteria.*

DIarrhæa major & cruenta, in qua intus intestina exulcerantur, δυσεντερία Græcè vocatur. Hujus proinde *causæ* tam *remotæ*, quam *proxima* non distant ab iis, quæ illam creant, nisi eo, quod graviora sunt. Neque ab ratione abhorret, eam non esse contagiosam: etiamsi non rarò epidemica deprehendatur. Idcirco frequenter militibus,

bus, qui in caſtris degunt, incidit, ſive cum fructibus acidis non temperent, ſive quia multi interfecti fœtore ſuo aerem inficiunt. Oritur etiam per æſtatem crebriùs quam hieme. Morbi autem, quem ferè uno aut pluribus diebus alvi curſus cum magno ventris dolore præcedit, indicia ſunt, ubi quædam quaſi mucoſa deſcendunt, quæ ſperma ranarum non peſſimè referunt; immodicum tormentum in ventre cruciat; cruore quoque nonnunquam matulæ adhærente. Sed perquam rarò dolor, quàm in alvi fluxu levior ſentitur; & ea, quæ deſcendunt, juſculum carnis vitulinæ exprimentia, citra cruorem aliquid ſpermati ranarum ſimile habent. Et iſta mucoſa interdum ſubcruenta in ſtercore aliquo ſemper liquido, & ob cruorem ſimili aquæ cuidam, in qua caro recens lota eſt, natant. Utplurimum verò iis, quæ excernuntur, materia purulenta abeſt: quæ ſi ſit, aut ſtercori immixta eſt, aut per ſe emittitur, indicatque malum aliquem diu traxiſſe. Et cum illud ſtercoris genus ſubnigrum, putre, & peſſimi odoris eſt, inteſtina ab interiore parte putredine affecta eſſe teſtatur. Neque deëſt dejiciendi cupiditas, vel ex intervallo revertens, vel aſſiduè affligens ſic, ut

aut

aut exiguum aliquid ano reddatur, aut nihil ex eo manet: τεινεσμὸς à Græcis appellatur. Cæterum in tenuiori inteſtino, an pleniori conſiſtat, dignoſci poteſt è ſede doloris: nam ſi is in medio ventre premit, tenuius læditur; ſi in ambitu, plenius. Deinde, ubi vehementior eſt, & quidem cum pluribus mucoſis, & ſtercore minus cruento, gracilius malè habet: in laxiori contraria his ſunt. Tum, ſi in illo noxa eſt, inter initia protinus vomitus, ſingultus, & anguſtia vexant, quæ cum poſtea paulatim intenduntur, accedentibus animi deliquiis, mortis periculum ſubeſſe denunciant: ſecus ſe habet, ſi laxius laborat. Noviſſimè, ubi vitium laxius occupat, dejectiones celerius tormenti exacerbationem ſubſequuntur. Adhæc in dyſenteria ſemper febris eſt aut levis, aut mediocris, aut gravis, totius corporis calore, celeri & ferè magno pulſu, lingua ſicca, ſiti, vigilia, & nonnunquam delirio, quod peſſimum eſt, ſe oſtendens. Tandem affectus vel recens natus eſt, vel in vetuſtatem incidit. Si hoc eſt, ſi corripuit hominem imbecillum, ſi epidemicum vitium eſt, ſi febris gravis urget, vix ulla medicina periculo ſubtrahet. Sin res his contraria habet, utplurimum facilis ad bo-

nam

nam valetudinem recurſus eſt. Igitur, cum ferè celeriter jugulet, quamprimum fieri poteſt, curatio adhibenda eſt, quæ talis eſſe debet, qualem in alvi fluxu, capite proximo, comprehendi. Sed in ea quædam propriæ obſervationes ad medicamenta pertinentes neceſſariæ ſunt. Nam manè & veſperi medicamentum ex rheo dare convenit, cum eo ut, ſi morbus inveteraverit, aut epidemicus fuerit, magis adſtringens efficiendum ſit; ſi æger vehementer torquetur, ut ferè evenit, laudani opiati granum, cum olei amygdalarum dulcium uncia dimidia adjiciatur neceſſè ſit; &, ſi vomitus infeſtat, oleo remoto, remedium per partes, paulo temporis interpoſito, ſumere oporteat. Ubi ſic biduo triduove non remittit, etiam corticis granatorum, vel radicis tormentillæ uſus, ut capite proximo dixi, interponendus eſt. Cujus rei ſi faſtidium oritur, ſicut in hoc malo quam in alvi fluxu frequentius incidit, pro eo aquæ pluviatilis, in qua radicis tormentillæ contritæ uncia ſemis decocta ſit, uncias tres, quibus una ſyrupi myrtillorum adjecta ſit, cochleatim uno die aſſumi opus eſt. Vel pulveri & ex rheo toſto, & ex radice tormentillæ aut cortice granatorum ſyrupus myrtillorum, donec bo-

bolus mollior fiat, addi poteſt, ſive per ſe, ſive è vino rubro auſtero ſumendus. Si hujuſmodi auſteris datis oppreſſionem pectoris natam æger ſuſtinere nequit, mixtura, quæ mithridatium, vel potius diaſcordium habeat, interponenda eſt. Illud autem ad rem pertinet ſcire, quod contra febrem, licet ea admodum gravis ſit, non pugnandum eſt, quippe quæ, dyſenteriâ victâ, ſimul quoque evincitur. Quamvis cum alvus etiam viridia excernit, alkali terreſtre unà addi debeat; & ubi æger de anguſtia conqueritur, quæ nauſeæ è vomitu finito relictæ ſit, paulo aquæ cinamomi uti liceat. Aſt ſi anguſtia alterius generis eſt, eaque vehemens; anima quandoque deficit; magnaque virium infirmitas eſt, cujus notæ ſunt pulſus intermittens & debilis, ſpiritus frigidus, imbecillus corporis motus, oculi cavi, facies collapſa, extremarumque partium frigus, hujuſmodi mixtura,

℞ *corall: rubr: præp.*
*cornu cerv: ſine ign.*
*pulv: marchion.* añ. ℈ß.
*confect: hyacinth.* ʒß.
*ſyrup: de rheo* ʒiij.
*aq: plantag.*
*card: bened.* añ. ʒj.

*cinamom.* ʒvi.
*ol: macid.* gutt. iij.
*M.*

cochleatim duodecim horis totâ utendum eſt, & bibendum vinum rubrum auſterum, neque effuſè, neque timidè. Ubi vitium eſt in inteſtino laxiori cum dolore intolerabili, hoc medicamentum

℞ *fol: biſmalv.*
*malv.* an. M. ij.
*ſem: lini* ʒij.
*capit: papav: cum ſemin.* no. iij.
*Conciſa & contuſa coq: ex lacte dulci ad* ʒx. *Colat: adde*
*axung: porci vitell: ovi mixt.* ʒj.
*M. F. enema.*

ex inferiori parte infundere commodum eſt. Cum infuſum eſt, quantum fieri poteſt, non primæ cupiditati dejectionis protinus cedere debet: ubi neceſſè eſt, tum demum deſidere. Neque ventrem ex unguento populeo, cui opium admixtum ſit, perungere, alienum eſt. Quod ſi remedia interna, quæ ſupra poſui, parum proficiunt, aut iis uti aliquis non vult, aut non poteſt, dolore non urgente, enema adſtringens, quod capite decimo comprehenſum eſt, infundere inimicum non eſt: vel, ubi exulcerationes ob

ſpa-

ſpacium materiam purulentam ferant, id quod capite quarto in coli ulceribus præcepi, ſed, radice conſolidæ majoris ſubmota, ubi putredo adeſt, è qua tamen ferè mors ſequitur. Porro, ut dejectiones vomitui, ita vomitus dejectionibus præſidio eſt. Ergo dyſenteria radice *ipepacuanha*, quæ vomitum utplurimum ciens efficaciſſima eſt in ea, ferè triduo curatur. Ferè, inquam: etenim gravior plures dies requirit. At curandi ratio hæc eſt. Iſtius verò radicis quamoptimè tritæ, & per cribrum trajectæ ſcrupulus tempore matutino ex cereviſia datur, quem ſtomachus, licet vomitu, ſi is ſimul eſt, ſollicitetur, tamen continet. Si quis delectatur hauſtu, is addito ſyrupo & aqua donea parari inde poteſt. Sin bolo, eum adjecta conſerva roſarum rubrarum confice-e liberum eſt. Verùm ex drachma ſupradictæ radicis per infuſionem facere potionem; vel ex drachmis tribus enema, operæ pretium non eſt. Præterea hoc medicamentum adeo tutum eſt, ut granum ejus vel infantulo ſemeſtri adhibere integrum ſit: ſiquidem paulò poſt aut nihil, aut ſemel iterumve vomet; deinde melius habebit; imo cibi cupiditas ex parte reddita erit. Cæterùm horâ præter propter poſt aſſumptum

ab adulto remedium præteritâ, vel pituita, vel bilis, vel acidum aliquid, vel neſcio quid aliud, ſive per ſe, ſive ſimul in miſtura, leniter per os redditur. Per hoc protinus omnia incommoda remitti conſueverunt, & quidem longè melius, quam ſi rheum toſtum cum laudano opiato exhibitum fuerit. Igitur poſt vomitum ad ægrum reficiendum, & alvum adſtringendam aliud quiddam dare ſupervacuum eſt: præterquam cum vitium non facilè quieſcit. Semelque in die id remedium ſumere triduo ſatis eſt, niſi ubi gravior morbi impetus eſt: tum enim idem veſperi repetendum venit, magis, cum vomitum non movet. Imo in graviſſimo hoc vitio, vomitu non ſequente, ter, etiam quater in die, illo utiliſſimè uſus fui. Sed quando æger debiliſſimus eſt, vel delicatulus vomitum æquo animo non fert, aut alia de cauſa eum aliquis non amat, quâvis horâ octavâ grana ſeptem, vel duodecimâ decem aſſumi opus eſt: hoc namque etiam ex voto juvat. Adjicitur tamen celeritati, ſi ita detur, ut vomitum quantumvis ſemel excitet. Quod ſi inter initia die uno aut altero huic auxilii generi dolor & alvi curſus non cedit, laudanum opiatum addi non expedit, quia ſic futurum eſt, ut anguſtia major ac-

cedat: ſed intra illud manendum eſt, nam vix fieri poteſt, ut ſic paulatim non vincatur. Id ſi tamen non fiat, radix tormentillæ, vel ejus decoctio ex aqua, vel ejus bolus mollior ex ſyrupo myrtillorum, ut ſupra dictum eſt, interponatur oportet. Quin ſi, ubi non interemit, ſed longius tempus habet, æger omnia iſta horret, ex ipecacuanha, adjecta mucilagine gummi tragacanthi, catapotia formari, atque devorari queunt. Porro hujus radicis *radix tormentillæ*, ſi illa non eſt, *cum grano uno aut altero tartari emetici*, vicem ſupplere poteſt. At vitrioli albi ſcrupulus vel dimidius, vel totus, licet vomitu non concitato, id quod excernitur, nigrum, craſſius & minus cruentum, minuſque fuſam alvum efficit. Tamen quando dolorem ventri intolerabilem infert, cum tanta præcordiorum anguſtia, ut ægrotantem in lecto quieſcere non ſinat, ſed is corpore quaquaverſum moto è vita migraturus videatur, ab eo abſtinere præſtat. Quamvis ſi tunc in copioſo è carne juſculo detur, non ex toto rejiciendum eſſe judico. Poſtremò ubi morbus ad ſanitatem inclinat, in dies magis magiſque venter primùm mollia, deinde figurata, utraque flava reddit; ac incommoda minuuntur omnia. Vitio au-

tem ſic finito, ubi diutius manſit, plerunque aliquamdiu mollis alvus, & adhuc ſæpius quam ex conſuetudine fertur ſic, ut paulatim eo genere victus habito, qui ſupra comprehenſus eſt, inteſtina tandem, ut naturaliter eſſe oportet, firmentur.

## CAPUT. XIX.

### *De cholera.*

SÆpe ſimul & dejectio & vomitus eſt. At quando hic priori gravior eſt, & id, quod evomitur, maxima ex parte bilem repræſentat, morbum hunc χολέραν Græci nominarunt. Verùm illud ſcire convenit, id, quod redditur, non ſemper ſolam bilem flavam eſſe: nam interdum etiam aquoſum aliquid effunditur, quandoque acidum ejicitur, aliquando vomitus viridis, rarò ſalſus eſt, & nonnunquam pituita ſe promit. Ex quibus apparet, id vitium inter inteſtina ſtomachumque verſari ſic, ut cujus potiſſimum partis ſit, non facilè dici poſſit: eſt namque ſtomachi & inteſtini tenuioris commune. Et quamvis in eo humor copioſiùs, frequentiùs, & impetuoſiùs excernitur, quam in ordinario vomitu fieri conſuevit, ta-

tamen minus doloris ſubeſſe experimentis conſtat. Hanc verò excretionem præcordiorum anguſtia; ructus mali odoris; febris, quæ vel antecedit, vel ſequitur, cujuſque ſigna ſunt celer pulſus, os ſiccum, & ſitis; interdum multus ſpiritus; & animi deliquia comitantur. Quibus concurrentibus mirum non eſt, ſi quis ferè intra quatriduum expiret. Cum hoc genus adverſæ valetudinis in quoque timeri maximè poſſit, curationem differre minimè expedit. Igitur protinus, ubi iſta cœperunt, per victus rationem & medicamenta pugnandum eſt. E quibus illa talis ſit, qualem ad vomitum & alvi fluxum ſupra præcepimus. Sed ex his cum non poſſit vehementi malo, niſi æquè vehemens auxilium ſuccurrere, hæc *mixtura*,

℞ *laud: opiat.* gr. ij.
*boli Armeni*,
*terr: ſigillat.*
*ebor: ſine ign.* añ. ℈j.
*confect: hyacinth.* ʒj.
*ſyrup: roſar: rubr.* ʒvi.
*aq: menth.* ʒiij.
*cinamom.* ʒj.
*ol: nuc: moſchat.* gutt. iv.
*M.*

cſſe debet. Cujus quidem ægrum primò quavis ſemihora, deinde ſingulis alterniſve horis, prout malum deſiderat, cochlearium ſumere commodum eſt, donec ſomnus accedat, vel utique vomitus quieſcat: etenim pars ſanitatis eſt, eum eſſe ſuppreſſum. Qui ſi paulò poſt, nam facilè recurrere conſuevit, recrudeſcit, ex eodem remedio iterum dandum eſt. Inter hæc ægri vires curioſè aſſidens medicus inſpicere debet: ex iis enim colligat neceſſè eſt, laudano opiato ſubtrahi, an adjici oporteat. Et quia utplurimum ſiti cruciatur, hujus *amygdalati*,

℞ *amygdal: dulc: excort.* ℥ iß.
*ſem: cucumer.*
*melon.* añ. ʒiij.
*F. emulſio ex decocto hordei ad* ℥xv, *add:*
*ſyrup: violar.* ℥j.
*aq: roſar.* ℥ iß.
*M.*

quantum libet, bibere prodeſt. Id autem, ſi ne ſub ſupradicta quidem mixtura ſatis quies facta eſt, ſimul ſomno aptum reddi licitum eſt. Quod fit, cum in vicem binorum ſeminum ejus, quod ex *papavere albo* eſt, uncia dimidia datur; vel pro ſyrupo violarum, is, qui *papaveris albi* eſt, pari

modo

modo ſubſtituitur. Hoc remedii genus uno die totum aſſumere ſatis eſt, cum eo ut, ſi ſic plus ſomni, quam neceſſè eſt, accerſitur, minus è mixtura ſumendum ſit. Eſt enim ea moderatio aptiſſima, ut neque ſomnus vim corporis minuat, & tamen valetudinem bonam præſtet. Adhæc illud quoque, ſi in locum aquæ roſarum eam, quæ è *cinamomo* diſtillat, ſurroges; quin inſuper *matris perlarum præparatæ* ad drachmam addas, non paulum viribus ſimul reficiendis erit. Quod ſi poſt ſuppreſſam choleram febricula manet, hanc mixtura antifebrili noſtra, quam capite de febre continua referam, curari opus eſt. Tandem medicamenta, quæ ſuper ventrem imponantur; ac crura quoque & femora brachiaque pluribus locis deligare, vix quicquam auxilii adferent. Enemata, quæ adſtringunt, ad partes affectas pervenire nequeunt. Et ſemicupium aut noxium eſſe exiſtimo; aut certè frequenter vomenti non reſpondet.

# CAPUT XX.

## *De ſcorbuto.*

UBi quis aërem calidum, ſive apud nos in tempeſtate calida, ſive in plagis mundi calidis, trahit; in locis maritimis degit; in longinquas regiones trans mare vehitur; cibis ſalſis indulget; varietate ciborum non utitur; diu multumque conquieſcit; per cibos multa aromata ſumit; & potiones valentis generis ſorbet: aut ſi hæc omnia deſunt, aërem certis particulis imprægnatum accipit, corripi poteſt morbo, qui *ſcorbutus* appellari ſolet. Et quando illa in ſanguine *alkali volatile* & *paulum viſcidi* creare, eumque *tenuiorem*, quam naturaliter eſſe debet, reddere queunt, pro *cauſis remotis*; ſicut hæ particulæ, quæ jam ſanguini inſunt, pro *proxima* habenda veniunt. Ergo non acidum & viſcidum in cauſa ſunt, ut multi hodie opinantur. At ipſa evidentia eorum opinioni repugnat. Quam ob rem paucis hujus morbi naturam indicare neceſſè erit. Propter hanc verò cauſam is plura incommoda offert curantibus. Quorum præcipua ſunt, 1, *infirmitas totius corporis* ſic, ut parti-

ticulis ſpirituoſis vel ſubtiliſſimis è ſanguine evolantibus, laborantes ſæpe aut ambulare non valeant, aut ex utroque latere claudicent: quæ igitur ab una, quam *ſanguis viſcidior*; & altera, quam *ſuccus nervoſus viſcidior* afferre conſuevit, luce meridiana clarius diſtat. 2, *Sitis*. 3, *Sanguis ex gingivis* exiens, maximèque non contactis, & quidem calefacientibus aſſumptis, copioſè. Interdum vehemens tuſſis, infantiumque fletus ſanguinem quoque extundit. 4, *Dentes labantes*, gingivis neque ſphacelo, neque ulceribus affectis. 5, *Gingivarum gangræna*, quæ his indiciis cognoſcitur: ubi eæ ſubnigræ & tumidæ ſunt; vel uno pluribuſve locis maculæ ſubnigræ apparent, quæ ſanitatem recipere poſſunt, quamvis nihil corrupti ab integro reſolvitur. 6, *Sphacelus gingivarum*, quæ hoc ipſo nigræ, & tanquam cruore tumentes, hinc inde conſpiciuntur, neque niſi vitioſa caro excidit, ſaneſcunt. Hoc autem vitium nonnunquam ſubito, præcipuè infantibus, oritur, vel momento, cum vehementer plorant; aut os durius, quam oportet, penicillo tractatur. 7 *Caries alveolorum*, qui, dum ſphacelus in putredinem tranſit, ſubnigri fiunt, & cum magna fœditate odoris vitiantur. 8, *Dolores genuum*

*crurumque.* 9, *Malus corporis habitus*, qui ob longum ſpatium contingens pallore, tumore pedum œdematoſo, & cibi cupiditate minuta ſe prodit. 10, *Salivatio.* 11, *Ardor urinæ atque ſtranguria.* 12, *Ocelli adipis* in ſumma urina natantes. 13, *Urina* clara & rubra, vel turbida & craſſa. 14, *Maculæ lividæ*, vel *minores*, eas, quibus linteum pulices inficiunt, exprimentes, quæ maximè per crura oriuntur; vel *majores* imperialis, palmæque manus magnitudinem æquantes, quæ utplurimum brachia femoraque invadunt, & ſenſu nullo aut aliquo præcedente, at rariſſimè cum dolore, veniunt. 15, Intumeſcentia mollis & livida, quæ ferè manibus pedibuſque incidit, quamque non niſi *gangrænam* eſſe concipio. 16, Hujus deinde ſi color nigreſcit, ſi pars minus ſentit, ſi adjiciuntur veſiculæ cruentæ, ſi ſub his, quicquid eſt, corrumpitur, ſi ſenſus ex toto perit, & ſi humor cruentus fœdi odoris fertur, quin *ſphacelus* naſcatur, nihil eſt quod dubitem. Atqui ſcire licet, non omnia hæc mala ſimul, nec æquè graviter ægrotantem unquam tentare. Nunc de curatione loquar, in qua cauſas remotas vitare debet; & in cibis paulo aromatum, & ſimul multo acido uti. Proinde poma primo ci-

bo ſumere non alienum eſt. Etiam lactucæ intinctæ in aceto, cui paululum olei olivarum adjectum ſit, veſperi aſſumptæ huic vitio ſunt medicamentum, quod hodie, quippe cum acidum aliquid corpori inimicum eſſe putent, diligenter inculcandum eſt. Præterea mihi in uſu eſt hæc *medicamenti potio*,

℞ *fol: ſenn.* ℥j.
*ſem: aniſ.* ʒj.
*infund: in ſ: q: aq: comm: tum add:*
*fol: acetoſ.* M. vi.
*cochlear.* M. ij.
*tamarind.* ℥iß.
*& coq: ad* ℔ijß *colat: adjice*
*ſyrup: de rheo* ℥ijß.
*M. F. apozema.*

cujus manè & cœnato uncias tres, vel quantum ſatis eſt, ut alvus, (quæ in hoc vitio facilè cietur:) aliquoties in die moveatur, dediſſe, brevi bonam valetudinem reddit, niſi vitium hominis acceſſit. Nam curioſo victu cavere debet, ne raphanum majorem, cochleariam, aliaque id genus liberaliter per ſe ſumat, ex quibus in ſcorbuto, ſed perperam, auxilium eſſe vulgus hominum credit. Quin ſi cui ſupradictam potionem palato

lato ingratam reddit cochlearia, ſine hac illam parare licet. Et quoniam medicamentum pro opibus eſſe debet, ne humili deſit, pro uncia foliorum ſennæ incocta, ejus drachmæ tres bene contritæ ſuprapoſitæ potioni colatæ addi poſſunt. Vel, ſi mavis, tres aut quatuor partes acetoſæ, cochleariæ unam partem, in ſero lactis coquere; vel contundere, adjecto eodem ſero; & hujus expreſſi cyathum ſubinde ſorbere licet, cum eo, ut inter hæc tempore matutino foliorum ſennæ contritorum drachma dimidia ex potione quotidiana devoretur; vel aqua cocta, in qua calidiſſima foliorum ſennæ drachma una & ſemis, cum paulo ſeminis aniſi jaceat, ſicut aqua ex theè, bibatur. Ubi quem ſcorbutus tempore vernali invadit antè, quam acetoſa & cochlearia naſcantur, hoc,

℞ *Fol: ſenn.* ℥j.
*ſem: aniſ.* ʒj.
*poſt infuſionem ex aq: comm: adde*
*tamarind.* ℥iij.
*& coq: ad* ℔ijß. *colat.*
*adjice*
*ſyrup: de rheo* ℥ijß.
*ſp: cochlear:* ʒij.
*ſalis* ʒj.

*M.*

*M. F. apozema.*

eodem modo, quo ſuperior medicamenti potio, adhiberi debet. Verùm cujus guſtui hæc inſuavia ſunt, vireſque debiles, hujus *vini medicati*

℞ *fol: ſenn.* ℥ i ß.
*cochlear.* M. ij.
*ſem: aniſ.* ʒij.
*Quibus in vitro bene claud: affund:*
*vini Gallic.* ℔ vi.
*& poſtquam diem naturalem loco calido ſtetit, add:*
*fol: acetoſ.* M. iij.
*tamarind.* ℥iij.
*limonior: conciſ.* no. ij.
*& F. vin: antiſcorb.*

cyathus manè, ſub meridiem, & poſt cœnam ab eo ſumatur. Cæterùm non æquè remedia chymica prodeſſe uſus ipſe docet. Tamen tribus partibus ſpiritus cochleariæ unam ſpiritus ſalis adjicere, ejuſque ter die guttis viginti quinque ex cereviſia vinove tenui uti, hoc *pulvere*,

℞ *cremor: tartar.* ʒj:
*diagrid.* ʒß.
*ſacchari alb.* paululum.
*M.*

quolibet mane unà dato, etiam aptiſſimum eſt.

eſt. At ſcire oportet, quod, quo ſcorbutus vetuſtior eſt, malo corporis habitu ex eo ſequuto, hoc minus acidi dari debet. Sed acido exhibito nullo, ſecunda valetudo vix unquam continget: continget verò, ſi ſola acida dentur. Atqui morbus eo, qui ſupra ſcriptus eſt modo, optimè vincitur, & non repugnat, niſi cum ipſa vetuſtate penitus inſedit, & ſimul arthritidem, aliumve affectum comitem habet. Imo ſalia (alkalia) volatilia, ut ſpiritus cochleariæ, ſalis armoniaci; & ſalia volatilia oleoſa, id eſt, ſal volatile oleoſum noſtrum, liquor cornu cervi ſuccinatus, per ſe data, non ſolummodo malum continuant, ſed etiam in eo peſſima ſunt. Et ſanguinis miſſio neceſſaria non eſt, niſi ſi ſanguis abundat: in quo caſu eam pati poſſum. Porro ex incommodis ſupra comprehenſis ea, quæ urgent, propriam curationem deſiderant. Etenim cum *ſanguis ex gingivis exit*, *denteſque labant*, diu vitandus cibus, quiſquis mandendus eſt; & gingivæ melle, cui alumen uſtum contritum, donec ſatis adſtringat, & pollinis cinamomi paulum odoris gratia adjectum ſit, aliquoties die illinendæ. Vel radices biſtortæ & iridis Florentinæ, cum cortice granatorum æquis portionibus conterendæ, tum

mel

mel adjiciendum eatenus, ne id ex ſpathula diſtellet, eoque gingivæ leniter inungendæ. Qui potius medicamentum liquidum volet, quod per penicillum gingivis admoveat, is *tinctura gummi laccæ*,

℞ *gumm: lacc: contrit.* ℥j.
*alum: crud.* ʒvi.
*aq: ſalv.* ℥xiv.
*Cog: lento igne, donec aqua rubicunda evadat, quæ decantetur pro tinctura.*

quæ oris exulcerati cauſa compoſita eſt, uti poterit. Vel ſi ea non eſt, aquâ, in qua aluminis crudi quantum ad bonam adſtrictionem ſatis eſt, liquatum ſit. Aut utrumlibet ex his ſæpe ore continere, eodemque gingivas eluere. Contra *gangrænam gingivarum* idem, ſed cui paululum ſpiritus cochleariæ infuſum ſit, prodeſt. *Gingivarum ſphacelo* idem quoque, at paulo ſpiritus ſalis inſtillato valentius factum ſuccurrit. Cui ſi quis parum mellis roſarum miſceat, conſequetur ut a viva corrupta pars citius diducatur. Ulcera, quorum exinde initium eſt, ampla & ſordida per illud idem quoque medicamentum purgantur, coarctantur, ſanantur. *Alveolorum* autem *caries* innoteſcit eo, quod gingivis denudati albi, ſubnigrive,

prout corruptio minor vel major fuit, apparent. Et si etiamnum sub iis deliteſcunt, ſpecillo ſentiri queunt. Huic vitio quoque, quod in gingivarum ſphacelo, ſuccurrit: idque injicere oportet, donec os carie vexatum, moveatur. Hoc quidem digito ſpecillove explorare opus eſt, & intra ſextam ferè ſeptimanam evenire experimentis cognitum eſt. Tum hamulo, aut vulſella, aut ferramento, cui à ſimilitudine roſtri corvini nomen eſt, pro oſſis vitioſi altitudine atque magnitudine, arreptum, extrahatur neceſſè eſt; & ulcus relictum per idem remedium ad ſanitatem perducatur, cicatrice concava remanente. Hæc tamen obſervatio adhibenda eſt, ut, ſi omne os carioſum ſublatum eſt, idem, ſpiritu ſalis remoto, toties admovere non conveniat. Ad *ardorem urinæ & ſtranguriam* laudani opiati granum unum aut alterum; vel tincturæ opii, cujus compoſitio capite decimo ſexto habetur, à guttis triginta ad ſexaginta, uno die ſumpſiſſe ſatis eſt. *Maculas* vero *lividas*, ubi cutem penis & ſcroti occupant, ex ſpiritu vini camphorato perfricare; aut illinere unguento nervorum, cui quarta pars ſpiritus ſalis armoniaci immixta ſit, idque ter quaterve die, commodum eſt. Per quod

ſol-

ſolvuntur ſic, ut color flavus, qui echymoſi diſparenti eſſe conſuevit, iis ſuperveniet nullus, præterquam ubi corpus mali habitus eſt. *In gangræna manuum pedumque* cataplaſma camphoratum capite duodecimo poſitum ter die imponere optimum eſt. Etiamſi ſpiritus vini camphoratus, eoque pannus quadruplex imbutus, & ita ſuperdatus, etiam non parum proficiat. Sed hoc cum inaruit, iterum ſtatim madefaciendum eſt. Et ne vires in auras abeant, ſuper pannum veſicæ ſiccæ pars injicienda eſt, curaque etiam danda, ut ſub his membrum affectum loco calido & alto commodè reponatur. Si poſt hæc gangræna non diſſolvitur, ſed in ſphacelum vertitur, uſus tamen horum continuandus eſt uſque, dum à vivo mortuum reſolvi conſpiciamus. Tum cætera poſtea ſic facienda ſunt, ut capite proximè dicto in ſcroti ſphacelo præceptnm eſt. Etenim partem prominentem, quamvis malum uſque ad os penetravit, tamen in ſcorbuto præcidendam non judico: ne quidem methodo â *P. Adriano*, quem hodie inter maximos chirurgos eſſe pono, propoſita. Quod ſi è ſphacelo ſit ulcus ſcorbuticum, id qua ratione curandum ſit, cum venero ad ulcus putridum, dicam.

# CAPUT. XXI.

## *De febre continua.*

FEbres autem in duas ſpecies medici diviſerunt, aliaſque ex his *intermittentes*, quæ certum, incertumve circuitum habent; alias *continuas*, quæ aſſiduè inhærent, de quibus hoc loco dicam, eſſe dixerunt. Vulgatiſſimum verò, peſſimumque corporis vitium eſt *febris continua*, cujus *cauſas remotas* eſſe modò cœlum juſto calidius aut frigidius; particulas peregrinas, quæ in eo ſalubri volant; cibos potioneſque, quæ tales particulas ſanguini impertire queunt; & ubi quædam contra conſuetudinem aliquis, præcipuèque ſupra modum, ſumit; omnia ad victus rationem pertinentia: modò particulas pravas, quæ vel in intimo ſanguine, vel in latibulo corporis aliquo reconditæ ſunt; concipio. At ex iis particulis, quas illa victus ratio in ſanguine creaverit; vel quæ, quod frequentiſſimè evenit, ex intimo ſanguine extricatæ ſint; vel ex latibulo ſolutæ per vaſa lymphatica in ſanguinem venerint, *cauſa proxima* mihi conſtare videtur. Etenim ſanguinem impurum, ejuſque *mixtionem perturba-*

*tam*

*tam* efficiant neceſſè eſt. In qua igitur hujus *vitii eſſentia* conſiſtit. Ergo non in *fermentatione vel calore aucto*, quippe qui in febre algida eſſe non animadvertitur; & arteriæ ſæpe in febre ſubmittunt ſe & frigore, & immodico acidorum uſu, & quiete diutina, & triſtitia. Nec in *circulatione aucta*, quia pulſus quidem tardior, quam ex conſuetudine, ſe mihi obtulit; & ſæpe arterias concitat & reſolvit ſol & potiones valentes, & labor, & ira. Nec denique in *præternaturali fermentatione*, ut quæ mixturam perturbatam ſubſequatur. Cum verò particulæ pravæ è latibulo per vaſa lymphatica in chyli, vel potius, lymphæ receptaculum, & ex hoc per ductum ſpinalem lymphaticum in ſanguinem vehuntur, ægri utplurimum neſcio quid in dorſo juxta ſpinam aſcendere ſentiunt. Deinde pulſus celerior ſequitur, quem ferè pro ſigno febris inſeparabili, quod παθογνωμονικὸν Græci vocant, habent medici, quamvis plus ſemel eum tardiorem obſervaverim. Arteriis enim perperam maximè credimus, fallaciſſimæ rei; quia ſæpe iſtæ lentiores, celerioreſque ſunt & ætate, & ſexu, & corporum natura. Imo interdum omnibus modis inæqualiter agitantur (quod timeri poteſt) brevi ad quietam æqua-

litatem redeuntes. Febrem verò, ubi pulsus tardior existebat, fuisse judico eo, quod urina sedimentum trahente, dum simul symptomata desinebant, arteriæ ad pristinam celeritatem revertebantur. Idcirco pulsus vel celerior, vel tardior, quam naturaliter esse debet, signum inseparabile est. Isque cum aliis phænomenis conjunctus efficit, ut quis febre laborare dicatur: quæ proinde *ordinarias* esse *notas* existimo. Siquidem in febre considerari oportet, 1, *subjectum*, qui sanguis est. 2, *Causas suprapositas*, id est, remotas & proximam. 3, *Essentiam febris*. 4, *Signum pathognomonicum*. 5, *Ordinarias notas*. Et, 6, *symptomata urgentia*. In *ordinariis* verò *notis*, quæ utplurimum, non semper, huic morbo adesse deprehenduntur, numero, 1, *horrorem*, vel frigus perquam leve, à quo febris incipit. Tum horâ unâ aut alterâ interpositâ, 2, *calor* erumpit, se faciei rubore ostendens. Sub horrore verò plerunque, 3, *pulsus minor & imbecillior* est: at in calore, 4, *major & robustior*; rarò minor & imbecillior, quod malum signum est. Illud quoque nosse oportet, quod periti medici est, non protinus, ut venit, apprehendere manu brachium febricitantis; sed primum residere hilari vultu, percunctarique, quemadmodum

dum ſe habeat. Cæterùm, 5, pulſus rarò ſimul celeritate, magnitudine, & robore *inæqualis* eſt: ſed frequenter arteriæ non æquis intervallis moventur. Eæ interdum ſemel ſe non attollunt, qui, 6, *pulſus intermittens* eſt, & ferè inter mala indicia refertur. Etiam, 7, *lingua ſicca* eſt, quæ quò aridior, eò periculoſior febris exiſtit: licet quoque, 8, *humida* eſſe poſſit ſic, ut non metus omnis deſit. Sed, 9, *linguæ color integro ſimilis* optimus eſt; 10, *albidus* pejor; 11, *ſubniger* peſſimus. Ferè, 12, *ſitis* eſt, quæ quia nonnunquam lingua arida ſine ea, & cum ea humida reperitur, à faucium ariditate proficiſci non cenſenda eſt. Etiamſi quoque, ubi febris aliquem non habet, ſitis vexare queat. 13, *Guſtus* ferè *depravatus* eſt; 14, interdum *os amarum*; 15, ſæpius *ſalſa ſaliva*; 16, utplurimum *cibi faſtidium*. At ut pulſus, ſic *urina*, cui credimus, æquè fallax eſt: nam hæc quoque multum variat. Tamen inter initia ferè, 17, *pura* & tenuis eſt, eaque vel *diluta* citra ullum odorem ſaporemque, quæ peſſima eſt; vel *citrina* cum aliquo odore & ſapore, quæ melior eſt; vel *rubicunda* cum majori odore ac ſapore, quæ pejor eſt, & in febre ardente frequentiſſima. Plerumque duabus

poſteriobus quædam quaſi, 18, *nubeculæ* innatant, & vel in ſummum aſcendunt, vel in imum deferuntur. Verùm ſingulæ in magna *cruditate*, cujus rei cauſa *crudæ* nominantur, eſſe conſuerunt, & ſæpe, antequam ſpatio matureſcant, hominem rapiunt. Crebrò quoque, 19, *dolor caput* infeſtat, qui ab eo, in quo arteriæ in capite moveri ſentiuntur, ut in febre ardente evenit, differt. Sub eo dolore etiam ferè, 20, *membra dolent*. Et *corpus* denique, 21, velut labore *fatigatum* eſt. Febris verò, quam ſuprapoſitæ notæ vel phænomena ordinaria indicant, ſæpe ſuas *exacerbationes* habet, quas ex horrore interveniente, & calore, qui eum paulò poſt ſequitur, intelligi licet. Eaque *idiopathica* eſt: ſiquidem *ſympathetica* ex alio morbo per nervos; & *ſymptomatica* ex eo ſine his, naſcitur: de quibus duobus generibus hoc loco non referam. Igitur febris continua idiopathica eſt vel *diaria*, quæ à Græcis ἐφήμερος dicta intra diem naturalem deſinit; vel *ſimplex* aut *non putrida*, quæ intra quatriduum decedit; vel denique *putrida*, quæ hoc tempus excedit: illa leviora, nam ſæpe tantilla eſt, ut neque tantulum cibum impediat, neque crebram ſitim faciat; iſta graviora; & hæc graviſſima trahit ſympto-

mata.

mata. Adhæc eadem eſt, aut accreſcens, aut eundem vigorem ſervans, aut decreſcens: priorem ἐπακμαστικὴν; inſequentem ἀκμαστικὴν; hanc παρακμαστικὴν Græci vocant: quanquam omnis in noctem ferè augetur. Porrò è ſupradictis febribus *putrida* timeri maximè poteſt: etenim quo ſymptomata leviora gravioraque ſubſequuta; & vires ægrotantis majores minoreſque, ſunt, eo vel ſeriorem ſanitatem mortemque, vel maturiorem denunciant. A phænomenis vel indiciis, quæ ordinaria ſunt, ad *ſymptomata* veniendum eſt, *quæ urgent*; ob quæque febri diverſa nomina imponi poſſunt. Ea verò ſunt, 1, *ardor*, à quo *febris ardens* nomen traxit, quam Græci καυσώδη vocant. Qui eam ad bilem retulerunt, nominarunt *bilioſam*. At ego alkali volatile & oleum in cauſa eſſe credo. Hæc verò acuta febris non leviter terrere nos debet; fervorem ingentem habet; pulſus perquam magnus & robuſtus eſt; æger arterias in capite moveri ſentit, quem *dolorem capitis pulſativum* appellant medici; lingua aridiſſima, ſubnigraque eſt; ei adeſt aſpritudo; ſitis intolerabilis eſt; languor nullus; urina rubicunda; alvus ſuppreſſa; in fœminis, maximè puerperis, fluor albus; etiam quindecim diebus à partu exactis, fluxus

xus menſtruus; &, ubi febris æquè concitata continuat, imbecillitas extrema. In hujuſmodi febre ob ſanguinis cruditatem, & laxitatem itinerum urinæ vitium contingere poteſt, quem Græci διαβήτην nuncupant, in quo potio maximè redditur, qualis aſſumpta eſt; idque nullo fermè ſpatio interjecto. Itaque non rectè profluvium urinæ dicitur. Rariſſimè verò incidit, & per ſe in metu non eſt, licet febris ardens, cui ſupervenit, ſatis periculi affert. Neque macrorem, qui nonnunquam eſt, ex eo, ſed ex ipſa febre non admodum acuta, oriri puto. 2, *Delirium*, quod febri ex ſale volatili acri accedit. Sequitur ferè ingentem *capitis dolorem & vigiliam continuam*, quibus etiam vires ægri convelluntur. Eſt autem nihil aliud quam mentis alienatio, qua perperam aliquid febricitans dicit aut facit. Quod ſi in prima febre protinus mens eſt turbata, in malis æger eſt. Et ut in initio non ſemper delirium eſt, ita hoc, ubi eſt, aliquando in furorem vertit. Tumque φρενίτιν Græci vocant: at παραφρενῖτις ab iis nominatur, ubi furore intermittente, febris levior eſt. Hujus autem generis febres non per cerebri membranarum inflammationem provenire, ut multorum vana opinio eſt, nullam con-

tro-

troverſiam recipiet, ſi quis animadvertit, in iis iſtas mortuorum inciſorum membranas æquè ſine, ac cum inflammatione repertas fuiſſe. Etiam ſcire convenit, quod ægri ex hiſce caſibus ferè intra octavum diem, niſi convaleſcunt, moriuntur. 3, *Salivatio*, in qua multum ſalivæ, propter tales molleculas, quales medicamenta mercurialia cum ſanguine communicant, decurrit. 4, *Vomitus*, quem molleculæ, quibus remedia vomitoria pollent, faciunt. Adeſt ſemper anguſtia cum dolore; & ſimul ferè ægrorum de animi deliquio querela. Interdum unà alvus cita eſt. 5, *Alvi fluxus*, qui à molleculis purgantibus excitatur. 6, *Sudor*, quem molleculæ ſudoriferæ creant. Iſque eſt vel *calidus*, cui *ſudor Anglicus* nomen eſt, ſanguinis ex naribus curſum quandoque comitem habens; & corpus imbecillius reddens. Vel *frigidus*, qui magno periculo fit, & ſæpe mortiferus eſt. 7, *Urina copioſa*, quam διύρησιν Græci appellant, quæ ex molleculis diureticis eſt. 8, *Subitanea corporis extenuatio*, in qua id ob ſal volatile erodens veluti colliqueſcit, cum calore, & ocellis oleoſis in ſumma urina natantibus. 9, *Sitis immodica*, quâ febris ſæpenumero affligit, cujuſque cauſa ſal in ſa-

liva mihi esse videtur. 10, *Tussis*, quæ per sputa viscida maximè evenit, & aliquando vomitum sympatheticum movet. 11, *Asthma*, quod è sputis viscidis fit, simul copia sui malè habentibus. 12, *Pectoris dolores*, quos sputa viscida salsaque inferunt, præcipuè vexantes, ubi quis spiritum altè trahit, sic ut unà frequenter spirare cogatur; tussiat; & sputa ferè cruenta proveniant. 13, *Coryza*, quæ, quatenus humorem noxium absumit, vulgò salutaris esse dicitur. Oritur autem à succo nervoso viscidiori & salso, similique muco, corpore caloribus relaxato, & deinde subito frigore excepto: quamvis alii post calores solos hoc vitio corripi deprehenduntur. In eo verò dolorifica capitis gravitas est, membra dolent, æger difficulter per nares spiritum trahit & emittit, sermonem non clarum explicat, frequentia sternutamenta sunt, distillat humor de naribus super labium superius, quod ob id in inflammatione est, & cum dolore exasperatur. Is humor etiam quasi à capite in pulmonem distillans raucedinem, quam βράγχον Græci nominant, & tussim catarrhalem dictam concitat. 14, *Erysipelas*, quod in febre succurrens è quodam viscido & salso vasculis sanguineis inhærente accidit.

dit. Hujus verò phænomena hæc ſunt: eſt intumeſcentia rubra, quæ digito preſſa veſtigium album accipit, ſed protinus iterum dimittit. Non ſolum vulneri, ulceri, ſimilive vitio externo ſupervenit, ſed ſine hoc quoque, aut in eminentibus partibus, aut in facie, aut in faucibus, aliiſque membris oriri conſuevit. 15, *Flatus*, qui à pituita inteſtinali abundante, & bile nimis alkalina volatili oleoſa proficiſcitur. Ægrotantis ideo præcordia inflantur; alvus cum multo ſpiritu, & ſpiritus ore redditur; aliquando etiam ſpiritus ſimul & gravis, & frequens eſt; pulſus major, non robuſtior; & venæ tumentes. 16, *Tormina*, quæ ab hiſce flatibus, ubi acrimoniâ ſalſâ lædunt, pendent. 17, *Lumbrici*, qui è muſcarum ovis ſtercore craſſiori conditis per calorem excluduntur; & cum ſub ipſa febre, tum ſub ejus fine deſcendere conſueverunt. At perquam rarò urina eos ſine malo odore habet. 18, *Dolor dentium*, qui è ſucco nervoſo viſcidiori & ſalſo nervulos eorum radicibus inſertos afficiente exoritur. 19, *Dolor membra prehendens*, cujus itidem origo eſt è ſucco nervoſo ſimiliter vitioſo, ſed nervos per membra diſperſos vellicante. 20, *Cardialgia*, quæ ſucco eodem ſimili modo

do lædente, verùm in nervos per orificium ſtomachi diſcurrentes veniente provenit. Etenim dolor, qui verè in ſumma ventriculi parte conſiſtit, quaſi præcordia infeſtat; & interdum, ut anima deficiat, efficit. Adhæc pulſus inæqualis eſt, & minor, quam naturaliter eſſe oportet. 21, *Paſſio hyſterica*, quæ cum maribus, tum maximè fœminis è ſucco eodem ſimili ratione noxio, at nervos reſpiratorios irritante, naſcitur. Hi verò cum inde diſtenduntur, ſpiritus difficultas, præcordiorum anguſtia, & interdum animi defectio, cum pulſu modo majori, modo minori, atque æquali, vel inæquali, fiunt. 22, *Convulſiones*, quæ neque unquam in febre continua non terribiles, ob eundem ſuccum, ſed adhuc ſalſiorem, ex capitis utplurimum doloribus incidunt; &, niſi brevi ſuccurritur, hominem opprimunt, conſumunt, tollunt. Quod ſi fibrillæ cerebri duntaxat diſtenduntur, delirium, nonnunquam in furorem tranſiens adeſt, idque cognoſcitur, ubi illud accedit, ut membra ſimul leviter convellantur. 23, *Frigus*, quod adfert ſanguis acidus, & viſcidus. Pulſuſque parvus & debilis eſt; urina diluta; rara ſitis. 24, *Fri-*

*gus*

*us externum*, & *calor internus*, quorum prius vapores acidi viſcidique; & hunc bilis, quæ nimium alkali & olei habeat, faciunt: cujus generis febrem λειπυρίαν Græci nominant. 25, *Reſolutio nervorum*, quam παράλυσιν Græci vocant, & ſuccus nervoſus viſcidior excitat. 26, *Languor*, qui è ſalſo & viſcidiori ſanguine factus *febrem* efficit *lentam*, quâ diû detinetur æger, & paulatim extenuatur. Hæc verò apud eos, qui cauſam eſſe pituitam exiſtimant, *pituitoſæ* nomen habet. In qua pulſus parvus & debilis eſt; calor lenis; urina utplurimum pura, quamvis in ea, ubi malum ad ſanitatem ſpectat, aliquando etiam quiddam ſubſidit. 27, *Lenta corporis extenuatio*, quam excitat ulcus utplurimum in pulmone conſiſtens, quod vel *diſperſum*, vel *congregatum* eſt. *Illud* appello exulcerationem, quæ per pulmonis ſubſtantiam ducta ſit. Nam ubi eum è pectore phthiſici mortui depromptum hinc inde incidas, tumque comprimas, & materia purulenta ſpumans ex inciſis locis; & pus maturum è diſſectis bronchiis prodire cernitur. *Ulcus* autem *congregatum* voco cavum purulentum, è quo pus factum in bronchia exit. Et ut prius ulcus tuſſim inveteratam; ita poſterius abſceſſum, vel ſanguinis

nis ſputum ſequitur. Utrumque autem ulcus molleculas ſalſas, viſcidaſque in ſanguine creat, ex quibus febris lenta fit. Illam extenuationem φθίσιν, & hanc febrem ἑκτικὴν Græci nominant. Utraque res ſimul diutius & periculoſè eos malè habet, quos invaſit. Tamen ubi contingit ob abſceſſum, periculi minus eſt. Si ſanguinis ſputum in cauſa eſt, plus periculi facit. Sin tuſſis, quæ inveteravit, vix quicquam ſperari poteſt. Quamvis in ægri corpore multum diſcrimen eſt, pro quo major vel minor metus ſubeſt. Igitur, ubi *ſputa puruleuta* ſunt, licet protinus ſcire, hunc morbum eſſe. Ea quidem aliquando difficulter à ſputis, quæ purulentis ſimilia ſunt, dignoſci poſſunt, præterquam cum multo pure mixta, aut pauco ſeparato prædita ſunt. Adhæc iſta ſputa ſunt ſimul vel glutinoſa, vel aquoſa: quorum illa interdum raucedinem excitant; & hæc, ſi vehementer tuſſiendo expelluntur, ſpumantia, facilius quam illa excreantur: id quod ſemper per tuſſim evenit. Quæ in phthiſi frequens eſt, vomitum quoque nonnunquam excitans; & etiam interdum efficiens, ut ſputa cruenta ſint; imo purum ſanguinem aliquis expuat. Præter hæc ſupradicta ſputorum genera ſive ſeparatim, ſi-

ſive mixta, quod plerumque incidit, proveniunt: & quidem maximè tempore matutino, ubi æger expergiſcitur. Cæterùm cibi cupiditas varia eſt, modo major, modo minor, ſed rarò integra. Horâ unâ & alterâ poſt prandium ferè horror accedit, quem brevem excipit calor, qui paulò major, quam ubi æger ſanus erat, eſſe conſuevit; cum facie leviter rubra; etiam ſubinde cum ſudore hominem reſolvente. Itaque ut matutinum tempus leviſſimum eſt, ſic â tempore meridiano omnis æger ferè pejor fit. Tandem in urina quandoque ſedimentum bonum conſpicitur, quo febris tenuata eſt; aliquando febris intentione pura eſt. Et pulſus pro majori minorive calore etiam major minorve tactu ſentitur. 28, *Somnolentia*, in qua laborans ſomno ultra debitum urgetur. Ejus verò cauſam ſuccum nervoſum viſcido oleo imprægnatum, quod genus particulæ in opio ſunt, eſſe concipio. Hujuſmodi malum, ſi gravius eſt, λήθαργον Græci nominarunt. 29, *Anguſtia immodica*, quæ è ſanguine perquam viſcido pendet, & ſæpe periculum oſtendit: etenim quo mors maturior eſt, eò ferè magis anguſtatur aliquis. Cujus rei indicium eſt, ubi eundem locum non ſervat; brachia & crura nudat,

&

& inæqualiter diſpergit; lectulum dimittit, repetitque; multùm ſudat maximèque frigido ſudore. 30, *Animi defectio*, quæ ſanguinis viſcidiſſimi culpâ fit. Porro, cum febris ad ſanitatem inclinat, ferè ſemper in urina ſedimentum apparet; interdum ſudor vel lenis, vel multus oritur; nonnunquam alvus liquida fit, ſæpe labia & nares per puſtulas cruſtulasque exaſperantur; & ſomnus, ſi antè vigilia torſit, accedit. Cognita febris ratione, ad ejus curationem tranſeundum eſt. Quæ rectè procedit, ſi ſanguis laxus reddatur ſic, ut particulæ excrementitiæ ex eo ſecernantur, eique priſtina puritas & mixtura reſtituatur. Propter hæc verò locus, in quo æger degit, tepidus eſſe debet, ſive ſurrectus vivat, ſive quieſcat in lectulo. Quod præfero: nam melius in quiete febris impetus ſuſtinetur. Imo quibuſdam imbecullioribus, ubi modò, ut cubile molle reddatur, à lecto ad ſedile uſque, in quo inſideant, ingrediuntur, anima deficit. Si cœlum friget, id ignem exſtruendo, ægrum veſtimentis operiendo, feneſtras claudendo, aliisve modis calidum efficiendum. Sin plus ſatis calet, contraria his facienda ſunt, cum eo tamen, ne tantillum frigoris ad corpus perveniat. Potio debet

eſſe

esse generis aquosi, ut & sitim tollat, nec corpus incendat: sed mediocriter sumpta. Nam omnibus febricitantibus ut parcior, ita & nimius humor alienus est. Proinde aquam pluviatilem decoctam ex herba theè, aut fabis coffi combustis & contritis, vel cerevisiam materiæ tenuissimæ, bibere oportet. At aqua putealis minus conducit. Serum lactis respondet iis, quorum venter nihil reddit. Corporibusque infirmis, si febris non gravis est, id, quod unà parum nutrit, potui dandum est, ut jusculum è carne qualibet, adjecto sale nullo, & adipe adempta; aut, si opes patiuntur, lac amygdalatum; aut lac dulce non coctum vel per se, vel ubi sitis vehemens est, addita aqua ex theè vel coffi. Cui vero lac acescit, vel ex hoc frequens dejectio incidit, is ab eo abstineat necesse est. Si quem magis juvat cerevisia, frustum panis siliginei tostum demitti satis est. Quod si quis potionem calidam amat, id, quo ejus causa utitur, aut tepefactum assumat, aut adeo calidum sorbeat, ut, si fieri potest, sudorem moveat. Eum verò multis vestimentis evocasse nihil prodest. Ast duo extrema vitare debet, ne aut ea bibat, quæ febrem accendant, id est, potionem cerealem valentis generis, vinum,

quantumvis dilutum: aut ea, quæ cruditatem moveant, ut ſunt, cereviſia acida, ſerum lactis acidum, lac ebutyratum; quo julapia quoque veterum medicorum pertinent: etiamſi ſumpta corpus non affeciſſe uſus ipſe oſtenderit. At non ſequitur, ut, quod alium non afficit, id ne alteri quidem noceat. Tamen illa, ubi ſanguis ſupra modum inalgeſcit, & hæc, ubi is incaluit; vel particularum noxiarum ſecretio jam aliquamdiu cœpit: & eadem vehementer cupit aliquis, admitti queunt. Super hæc, ſi æger non ex toto cibum faſtidit, ei humidus eſt aptiſſimus, aut humori certè quam proximus, iſque modicus dandus. Tandem cura domeſticorum, ſi cui incumbat; & ea, quæ animum exaſperatura ſunt, vitanda. Quorum etiam ſi quid fortè incidit, ægrotantis notitiæ ſubtrahendum. Hæc de victus ratione dicta ſunt. Jam tranſeo ad medicamenta, quæ adverſus febrem continuam accommodata ſint, quale eſt, quod habet,

℞ *ocul: cancr: præp.*
*antimon: diaphoret.*
*cinnabar: antimon.* aã. ℈ß.
*ſyrup: card: bened.* ʒij.
*aq: card: bened.*

*ſca-*

*ſcabioſ.* aā. ʒj.
*cinamom.* ʒj.
*M. F: mixtura.*

Si quem color cinnabarinus offendit, ejus addita confectione alkermes, vel in antimonii diaphoretici locum regulo antimonii diaphoretico ſubſtituto, in mixtura mutatio fiat. Cujus manè, tempore meridiano, & veſperè, non plus quam cochlearium ſumi opus eſt: nam non magna mole pugnandum, niſi cum pulſus tardior exiſtit; vel admodum inæqualis, quin intermittens nos terret. Tum enim vel duas mixturas quotidie exhibere neceſſarium eſt. Iſthoc dato concoctionem molimur, eo quod cruditatem maximè horremus. At mixtura, in qua pro aridis grana quatuor vel quinque *mercurii diaphoretici jovialis* ſint, quem quidam hujusmodi morbo utiliſſimum eſſe dicunt, periculoſè, licet eodem modo, datur, quia in febre, quam in alio quovis morbo, oris exulceratio, & frequens in eo ſaliva promptior eſt. Quamvis, cum iſto mercurio aquâ abluto, & deinde per ſpiritus vini tartariſati accenſionem edulcorato utitur aliquis, hæc incommoda aliquomodo evadere queat. Per ſuprapoſitam verò mixturam ordinaria febris ſymptomata, id eſt, *ſitis*, *os amarum*,

*rum*, vel *salsum*, & *dolor capitis membrorumque* finiuntur. Cujus rei causa non propriam curationem desiderant, nisi admodum urgent. Idcirco tum *siti* aliquid medullæ è tamarinda in ore retinere, & deinde expuere subvenit. Siquidem res acidæ, vel è sale petræ factæ, cum sanguis non vehementer fermentescit, inimicæ sunt. Nitrosa tamen in siti, citra febrem, utilissima sunt, dum æger simul res salsas & alkalinas fugit, & potionem materiæ aquosæ non nimium multam, eamque calidissimam bibit. Itaque adsitim aqua decocta, in qua folia theè jaceant, eaque calidissime sumpta, melius valet quàm è nitro parata medicamenta. Etiam fovere os aqua calida, vel illud eluere acceto, in hoc vitio aliquid adfert auxilii. Eademque auxilia quoque ad *os amarum* proficiunt: acida namque, & remedia cholagoga aliena sunt. *Gustui salso* eadem quoque prosunt sic, ut simul in potione ex theè sibi non temperet. Si quis tamarindæ vel aceti acorem sustinere non potest, paulo sacchari adjecto ea lenire convenit: vel invicem eorum roboribium substitui licet. In *dolore capitis membrorumque* expedit adhibere ea, quæ acrimoniam involvendo, atque inducendo somnum dolorem levant: ἀνώδυ-

να

ναι Græci vocant. Ideo *laudani opiati* granum mixturæ antifebrili ſupraſcriptæ addere commodum eſt. Quoties autem laudanum opiatum poſuero, ſcire oportebit, id eſſe, quod ante capite ſexto deſcripſimus. Iſtis verò anodynis uti, ſi imbecillitas urget, alienum eſt. Quæ his indiciis cognoſcitur: ubi pulſus debilis, parvus, & intermittens eſt; ubi non ambulare valet, ſed anima, dum vel paululum ingreditur, deficit; minus facilè ſermonem explicat; manus tremunt, cum aliquid apprehendit; facies collapſa eſt; oculorum anguli illachrymant, &c. Ob hæc medicus neque in tenebris, neque à capite ægri debet reſidere, ſed illuſtri loco adverſus eum, ut omnes notas ex vultu quoque cubantis perſpiciat. Opitulatur etiam hoc,

℞ *opii ol: roſ: ſolut.* ℈ 1.
*ung: popul.* ʒij.
*M. F. linim.*

ex quo veſperè manèque fronti & temporibus inducitur, præcipuè ſi dolorem circa has partes habet. Vel habere pitacium, quod latitudinem frontis, longitudinemque æquet ex hoc medicamento,

℞ *aq: betonic.*
*lavendul:* aã. ℥IV.
*ſp: vini.* ℥ij.
*opii.* ʒj.
*creci* gr. XV.
*M. F. epithema.*

impoſitum, dum madet, prodeſt. Itaque ut inareſcat, non eſt committendum; curioſèque proſpiciendum, ne ex eo quicquam imprudenter aſſumatur. Quidam caput non inutiliter devinciunt. Quod verò ad alia contra febrem remedia pertinet: *alkalia terreſtria*, ut oculi cancrorum, corallia, vel per ſe, vel cum *pulveribus viſcidis*, cornû cervi, ebore ſine igne, data id agunt, ut lingua, quæ humida eſt, inareſcat; lingua arida minus celeriter madeat; tardius urina habeat quædam ſubſidentia, quam per mixturam antifebrilem ſuprapoſitam. Hoc autem genus ſignifico, quoties in ulterioribus mixturæ antifebrilis mentionem habebo. Eadem quoque præſtant *ſudorifera antimonialia*, id eſt; regulus antimonii medicinalis, bezoardicum minerale; cum *electuariis opiatis*, ut ſunt, mithridatium, diaſcordium mixta. At ſimul his omnibus, ſed etiam parcè, ſicut mixturâ ſupradicta, adhibitis, effectus ſimiles iis, quos illa ſortitur,

tur, oriuntur. Verùm *ſudorifera acria* puta ſal volatile coru cervi, ſal abſinthii, flores ſalis armoniaci, oleum macidis, ſal volatile oleoſum, maximè febrem incitant. *Remedia purgantia*, quamvis, febre incipiente, nihil exhibita mutant, tamen offendere credo. Ex *remediis* etiam, *quæ vomitum citant*, intenditur febris, licet, ſi inter initia adhibeantur, aliquando promptè ſuccurrant. Sed ſanguinem mittere, cum æger deſiderat, ſanguine abundat, & robuſtus eſt, modo ne quid nimis; emoritur enim vis, ſi quæ ſupererat, hoc modo erepta, licet. Præter hæc mixturam antifebrilem quotidie mutare convenit ſic, ut pro oculis cancrorum corallia vel conchæ uſtæ præparatæ; pro regulo antimonii diaphoretico antimonium diaphoreticum vel bezoardicum minerale; & pro cinnabari antimonii ea, quæ nativa vel factitia eſt, ſubſtituantur. Hujuſmodi remedio utendum eſt uſque eo, donec in urina ſubſidat aliquid, quod *ſedimentum* à medicis vocatur. Illud quoque noſſe oportet, quod eam in vitrum urinarium mundum demitti neceſſarium eſt; hoc aliqua re contegi; quietum loco nec nimis calido, nec nimis frigido, collocari; & tum horis quatuor vel quinque interpoſitis uri-

nam contemplari. Sedimentum verò aut in ſumma urina natat, aut in media hæret, aut in imam, quod plerumque fit, defertur. Præterea id quod ſubſidit, eſt vel album, vel flavum, vel rubrum, vel ſubnigrum: è quibus priora magis ſalutaria ſigna ſunt. Interdum etiam denſum & coactum fertur; nonnunquam disjunctum fluctuat: quod utrumque bonum eſt. Aſt id, quod laxum & nebuloſum eſt, difficilis ſanitatis teſtimonium eſt. Etiam modo plus, modo minus apparet: utrumque decedentis febris nota. Præter ſedimentum quoque interdum urinam tegit pellicula tenuiſſima, quæ ſanitatis ſpem etiam oſtendit. Quod ſi quis illud ſicceſcere, urina per chartam bibulam transmiſſa, ſinit, illique humorem acidum vel alkalinum auffndit, fermentationem animadvertet nullam. Poſtremò in diaria ſtatim ab initio, vel certè intra viginti quatuor horas cernitur; in ſimplici continua intra diem quartum; & in putrida ferè circa diem nonum. Verùm ad numerum dierum, quaſi alius alio eſſet potentior ad liberandum vel perimendum, reſpiciendum non eſt, quia nihil rationis ſub hujus rei quidem authoribus reperitur. Et ut febrem aliquando ſubitus ſudor exolvit, ita quoque

per

per alvum fluentem interdum ad integritatem venitur. Ea verò rarò continuatur, & convertitur deinceps in lienteriam. In quo casu laudanum opiatum cum alkali terrestri & pulvere viscido sanitatem reddere nequit. Sed radice ipecacuanhæ exhibita, (lege caput decimum septimum) adstringentibus primum & deinde laudano opiato uti, oportet. Si è contrariò alvus triduo quatriduove nihil ejecit, dejectio à *suppositorio*, in quo sunt,

℞ *spec: hier: picr.* G. ʒß.
*sal: gemm.* ℈ı.
*trochisc: alhand.* gr. ıv.
*mell: ad durit: coct.* q. s.
*M. F. supposit.*

petenda est, quod oleo illitum ex inferiore parte indatur, ægerque supinus cubet, necessè est. Nisi si quis antè globulum saccharatum experiri mavelit. Sed cum alvus ultra quatriduum compressa fuit, ea hujusmodi lotione,

℞ *herb: bismalv.* M. ij.
*flor: verbasc.* M. j.
*sem: lini* ʒij.
*colocynth: in pet: lig.* ʒj.
*Coq: ex aq: comm: ad* ℥x. *colat: add:*
*ol: lilior: alb.* ℥j.

ducenda eſt. Quæ eo nomine opus eſt, ne quod deſcendit, duritie ſua dolorem ingentem moveat. Id autem quod infunditur, tepidum eſſe oportet. Hæcque obſervatio in omnibus enematis neceſſaria eſt. Sæpe quoque urina conſpicitur craſſa turbidave, ſub qua mixturam antifebrilem ſumere abundè eſt, donec ex illa aliquid deſidat: quod ferè intra triduum evenit. Interdum uſu venit, ut urina ſedimentum ſuum amittat, ſive per ſe, ſive per medicamenta, ſive per recidivam, ex qua, ægrotante etiamnum imbecillo, ſummum periculum eſt. Febri illud quoque interdum accidere ſolet, ut os ab interiore parte per ſerpentia ulcuſcula utplurimum alba, quæ ἄφθας Græci nominant, exaſperetur. Hoc quidem vitium timeri debet, non per ſe, quia ad ſanguinem purgandum facit; ſed eo, quod dolorem excitat; ubi in œſophago conſiſtit, obſtat, quo minus aliquid facilè deglutiatur; & ubi intus aſperam arteriam occupavit, ſpirandi difficultatem creat: ſicque hominem non leviter exercet. Magis, quod demum ei incidit, cum vires deficiunt. Aphtharum verò auxilia ſunt ſucco è rapis coctis expreſſo, adjecto ſaccharo, antè calefacto ſubinde

os

os eluere; vel mel roſarum miſcere cum ſyrupo violarum & diamorum, ſic ut omnium par modus ſit, eoque os, qua reſidet malum, linere. At hæc remedia non tantum ori admoveri, verum etiam paulatim deglutiri opus eſt. Cæterùm, ubi jam ſedimentum in urina conſpicuum eſt, docet concoctionem fieri, febremque levari, quanquam hoc protinus ſemper ſentiri nequeat. Jam tempus eſt, deſiſtendi ab uſu mixturæ, præterquam cum quis ad vitandum, ne id rurſus deſinat, ejus paululum, quotidie dandum judicet, donec æger optimè ſe habeat. Idem quoque, etiamſi urina ſedimentum trahat, ubi ſymptomata, additiis iis quæ contra ea poſſunt, urgent, faciendum eſt. Sed id nonnunquam, cum interitus periculo incidit, quoniam, ſedimento ſic diſparente, febris iterum adaugeri poteſt. Igitur, ſi ſymptomata ferri poſſunt, præſtat potionem aquoſæ materiæ, eamque calidiſſimam affatim ſorbere, eatenus ut ſanguinis ſordes eluat, & ex toto abſtinere medicamentis. Quod nemini mirum videri debet, ſi conſideret febrem, ubi deſunt ſymptomata gravia, ſæpe per ſe finiri; & quo minor eſt, eò magis, quando materia morbifica naturaliter digeritur, ubi propter faſtidium ni-

nihil novi accedit. Imo medicamenta ſtomachum lædere, malique ſucci eſſe. Sedimentoque jam in urina continuante, cum indiciis febris ad ſanitatem ſpectantis, quæ ſupra comprehendi, phænomena ordinaria decreſcunt. Etenim calor remittit; pulſus minor & debilior, etiam æqualior, & non amplius intermittens eſt; lingua à lateribus incipit humidior fieri, & rubere; ſitis minuitur; guſtus naturalis redit; dolor capitis membrorumque quieſcit; corpus fatigatum eſſe deſinit; cibi cupiditas redditur; & ſic ſanitas reſtituitur. Inter hæc aliquando *ſurditas* naſcitur, quæ ſi ſanitas non contingit, ad ultima jam ventum eſſe teſtatur. Ea verò ſenſim per ſe diſcuti ſolet. Sin minus, aurem calido pane ſubinde calefacto foveri oportet ſic, ne nimius is calor ſit, ſed facilè à parte ſuſtineatur. Quod ſi nunc cupiditas cibi, vel à principio ſervata, vel etiam poſt faſtidium orta eſt, æger ſemper incipere debet ab aliquo ex materia leviſſima, ut eſt, lacte madens panis bis coctus, addito butyro liquefacto; lactaria; aliaque ſimilia: & deinde ad cibum generis durioris tranſire; ſæpe cibum capere, ut nutriat, neque oneret; nulla varietate ſolicitari, ne plus aſſumat, quam concoquat; in horto,

ſi

ſi ſit, ubi res boni odoris naſcuntur, verſari. Jam tandem loquar de *ſymptomatis urgentibus*, in quibus eadem victus ratione, qua in febre ſimplici, utendum eſt, paucis tantum mutatis. Igitur, 1, ſi *ardor* abundat, proximum eſt, ut mixturæ antifebrili lapidis prunellæ vel nitri antimoniati grana ſex vel octo; aut ſpiritus nitri bene dulcis guttæ octo vel decem addantur: dum poticnis ex theè, ejuſque calidiſſimæ quantum volet, aſſumat. Etenim ſi ſic ſudor prolicitur, ardor brevi ſe remittet. Etiam ubi ſanguis ſui copia malè habet, ut ei aliquid, ratione virium habita, detrahatur, author ſum, quippe quo protinus ex ardore minuitur. In initio verò, ubi ſatis validæ vires ſunt, nonnulli ſalis vitrioli albi ſcrupulos duos vel drachmam exhibent, ut vomitum moveant: atqui ego hoc nunquam tentare auſus fui. Neque remedia acida, quæ bilem corrigant, eamque per alvum educant, adhibere. Sed non alienum eſt, naribus quoque æſtuantis admovere, quod reficiat: ut eſt, acetum vini vel roſarum. Verum ſi quis manus ſuas abluere cupit, id ne faciat aquâ frigidâ, ſed calidâ, quæ ſic temperanda eſt, ut manu contingenti jucunda ſit. Idem dictum puta, ubi os aqua fovere aliquis

quis amat. Porrò cum dolore capitis pulsativo conflictatur, mixturæ antifebrili granum unum, vel unum & semis laudani opiati adjici opus est, cum eo, ne plus sumatur, quàm ut dolorem reddat tolerabilem. At si æger non satis virium, aut arterias admodum concitatas habet, hoc remedio opiato abstinere; sed suprascripto linimento vel epithemate, in spiritus vini vicem aceto rosarum substituto, contentum esse oportet. Quin *placentam rosaceam* ex aceto egelido capiti imponere etiam convenit. Linguæ aridissimæ, subnigræ, & asperæ succurrit oxycratum, adjecto paulo syrupi canti, si eo subinde os eluatur; vel, si lingua detergatur primum penicillo ex aqua: deinde mixtis inter se syrupo limoniorum & violarum. Cum febris sitim intolerabilem accendit, tum maximè, nitro mixturæ antifebrili, ut supra in ardore posui, addito, aquam exigit. Proinde vel potionem theè liberaliter sorbere; vel lac dulce cum ebutyrato decoquere, &, sublatis his, quæ coierant, quod quasi serum supererat, bibere expedit. Neque ad rem, subtrahendo potionem aquosam, malè haberi ægrum pertinet. Docendus etiam ille est, ubi febris conquieverit, protinus sitim quoque quie-

quieturam. Eſt autem proficiens ad alvum ſuppreſſam ſuppoſitorium vel enema antè propoſitum. Uſus juſculi è carne vitulina vel è pullis ſine ſale, & adipe, fluori albo prodeſt. Aut gelatinæ cornu cervi uncia, adjecta confectionis alkermis drachma dimidia, cum paululo ſacchari, quotidie uti præſidio eſt. At fluxum menſtruum, ſi vires admodum exhaurit, lapide prunellæ, cujus multò plus mixturæ antifebrili addatur, curare oportet. Ubi vires quotidie debilitantur, incidit interdum ut unà pulſus minor & tardior quam antea fiat, & nihilominus æqualis ſit, cum lingua arida, absque ſiti. Quæ indicia medicum alias ſatis peritum nonnunquam decipiunt, dum ex iis judicat, nihil ſubeſſe periculi, quum in malis jam ægrum eſſe teſtentur. At in imbecillitate extrema ferè ſupinus æger jacet, porrectis manibus & cruribus; plus ſatis dormit; non audit, aut non videt, omnisque ſenſus intercidit; in veſte floccos legit fimbriasve diducit; manibus geſticulatur; ſine voluntate inferiores partes vel urinam, vel etiam ſtercus excernunt: In quo caſu, quia ne finitæ quidem vitæ ſatis certæ notæ ſunt, quibus medici crediderint, hujusmodi *mixtura cardiaca*

℞ *matris perlar. præp.* ℈ı.
*pulv: marchion.* gr. xv.
*lapid: bezoard: occid:* gr. vı.
*ſacchar: perlar:* ʒß.
*aq: meliſſ.*
*betonic.* añ. ʒıß.
*cinamom.* ʒj.
*M.*

cujus ſingulis ſemihoris cochlearium ſumatur, efficax eſt: utpote quæ vitam, cruditate ſanguinis ſolutâ, interdum reddit. Ad diabetem poteſt plus cinnabaris, quam mixtura antifebrilis habet. Neque potet æger, neque nimium ſiti crucietur. Alkalia terreſtria quibus facultas leniter adſtringendi eſt, etiam huic vitio apta ſunt: cujus generis ſunt lapis hæmatitis, bolus Armena, ſanguis draconis, aliaque ſimilia. Aſt vehementer adſtringentia, ut eſt, tinctura Saturni, cujus compoſitionem capite decimo videre eſt, propter febrem, non ſatis tuta ſunt. Igitur hoc genus demum, febre prius ex toto diſcuſſa, eodem valet. 2, Si *caput vehementer dolet, continuataque nocte & die vigilia* eſt, laudani opiati granum unum, vel unum & dimidium, mixturæ antifebrili miſceatur oportet; eoque uti, ut in dolore capitis pulſativo ſupra ſcriptum eſt

Aut

Aut hac mixtura ſine hoc opiato ſumpta, amygdalatum ſomniferum capite decimo nono propoſitum, quod ſemen & ſyrupum papaveris albi ſimul habeat, potui dando ſomnum moliri abundè eſt. Semperque ratio habenda eſt & ſomni, & celeritatis pulſus, & virium hominis. Etenim ubi corpus quieſcit, arteriæ celeriter agitantur, & vis corpori deeſt, vel minus, vel nihil omnino ex opio dandum eſt, ne, quem obdormire volumus, excitare poſtea non poſſimus. Adhæc moderandum eſt, ut interdiu vigilet, noctu, ſi fieri poteſt, conquieſcat. Etiam loco obſcuro & tranquillo cubare debet ſic, ut à ſermone quoque abſtineat. Sed cum dolor tolerabilis eſt, quamvis interdum aliena loquitur, opiatis melius abſtinetur, quoniam iis exhibitis, interdum febris ad gravius delirium, imo ad furorem præcipitat. Ergo non omnibus ægris eadem auxilia conveniunt. Nihilominus ubi ſimul & aliena loquitur & aliena agit, ſupradictam mixturam vel amygdalatum anodynis inſtructum in uſum revocare commodum eſt. Et ſi delirium tranſit in furorem, non eatenus alterutro utendum eſt, ut ſomnus, qui in hoc morbo difficilior eſt, accedat, quia ſic, viribus corporis motu convulſis, in lethargum

ſæpe convertit, hominem brevi rapientem. Atque ſic fieri poteſt, ut ſumma in eo pernicies ſit, quod auxilii cauſa fuit inventum. Tandem ſcire licet, ſæpe hoc malum finiri ſine ullo medicamento, quod ferè reſpuit: nam levato febris impetu, mens redit. Adhæc delirantem vel furentem in lectulo detineri neceſſè eſt; & in tenebris haberi, quippe quæ ad quietem animi ferè conferunt aliquid. Verùm ſi quocunque modo pateat, tenebras ei eſſe terribiles, in lumine habendus eſt. At ubi nullum tale diſcrimen eſt, ſi vires habet, loco lucido; ſi non habet, obſcuro continendus eſt. Par ratio eſt de adſtantium ſermonibus, & loci tranquillitate: nam habere eum, qui ſono movetur, in ſilentio; eum, qui tranquillitate, in turba convenit. Et non oportet eſſe vel ſolum, vel inter ignotos, vel inter eos, quos aut contemnat, aut negligat. Sæpius tamen aſſentiendum, quam repugnandum eſt. Præter hæc ſi motus corporis noceat, vinculis coërcendus eſt: nam eum onerare aſperioribus coërcitionibus ſupervacuum eſt. Neque ſanguinem, ſi cui is abundat, & quidem plus ſemel, ubi neceſſitas urget, detrahere alienum eſt: nec antè finis faciendus eſt, quam anima deficiat, ea tamen prudentia ad-

adhibita, ut brachium bene deligetur, & ſic habeatur, donec valens cicatricula ſit, quæ in hujusmodi caſu non celeriter confirmatur. Hæc autem omnia proſunt ad ſomnum accerſendum, & mentem componendam, quò omne conſilium dirigi debet. 3, *Si per os continua ſaliva defluit*, exigit ut pro cinnabari cornu cervi vel ebur ſine igne præparatum mixturæ antifebrili addatur, & dimidio plus aſſumatur: dum æger moderatè lac dulce; vel juſculum carnis ſine ſale, & adipe ablata, bibit, donec ſaliva quieſcat. At rarò poſthæc gravis ſomnus, rarò ſudor, rarò alvi dejectio ſalivæ curſum finit. Remedia leniter adſtringentia, de quibus antè in diabete retuli, etiam non aliena ſunt. Sed quæ vehementer adſtringunt, febrem adaugent. Qua ratione verò incommoda, quæ ſalivatio excitare conſuevit, curentur, in ſuperioribus capite decimo quinto comprehenſum eſt. 4, Si quis *vomitu* tentatur, ubi levis eſt, tartari emetici granum dari integrum eſt: ſi gravis febris eſt, hauſtulum vel mixturam ex ſale abſinthii capite decimo ſexto compoſitum, præfero: addito ubi ſimul fuſus venter eſt, laudani opiati grano. Per illud ſi ſemel atque iterum, duodecim horis interpoſitis,

exhibitum vomitus nondum prorſus deſinit; vel ita deſivit, ut ſine eo adhuc nauſeët aliquis; mixtura, quæ è coralliis rubris cæteriſque conſtat, & eodem loco poſita eſt, præſtans auxilium eſt. ſ, Si *alvus fluit*, nec graviter aliquis febricitat, victus tantum ratione contentum eſſe oportet. Cum alvi fluxus continuatur ſine febris remiſſione; aut febris tantilla eſt, rapiduſque alvi fluxus, rheum non toſtum, aut potio ex rheo ſine expreſſione colata, ut capite decimo ſeptimo docui, adhibenda eſt, Verùm ubi utrumque urget, mixtura ex coralliis rubris antedicta conducit. Quod ſi alvus currere pergit; aut ad quietem venit cum febris intenſione, utrobique viribus deficientibus, in præcipiti æger eſt. Quam ob rem ad vires reſtituendas, cum alvi profluvium non minuitur, ſuperiori mixturæ unciam aquæ cinamomi; aut ubi finitur, tantundem ejuſdem aquæ mixturæ antifebrili adjicere neceſſarium eſt. Inter hæc pro potione quotidianâ cereviſia generis tenuioris, cum vel ſine vitello ovi, pro lubitu ægrotantis, immixto, cui fruſtrum panis ſiliginei toſtum; & paulum nucis moſchatæ contritæ adjectum ſit, optima eſt: vel è pullis mollibusve jus aliquod ſale & adipe deſtitutum,

tum, ſed macide trita præditum: vel ſuccolata, ſaccharo parcè adjecto: vel potio ex multa theè, addito lacte dulci. 6, Ubi corpus *calido ſudore* digeritur, ejus impetum minui, non in totum tolli, ne febris intendatur, nec accedat delirium, utile eſt. Quod ut conſequamur, æger tepido, non calido, conclavi tenendus eſt, & levi veſte contegendus; potioniſque quantum volet aſſumendum, & quidem lactis dulcis, vel alterius ex iis, quæ paulò antè in alvi fluxu propoſui. Per quæ ſi parum proficitur, ſudor coercendus eſt drachma tincturæ Saturni mixturæ antifebrili infuſa. Quod ſi corpus poſt hæc pariter inſudat, pugnandum eſt hac compoſitione,

℞ *cornu cervi ſine ign.* ʒß.
*pulv: marchion.* gr. xv.
*confect: hyacinth.* ʒj.
*ſyrup: roſar: rubr.* ʒvi.
*aq: plantagin.*
*card: bened.* añ. ʒiß.
*tinctur: Saturn.* ʒiß.
*M. F. mixtura.*

die naturalis ſpatio tota cochleatim ſumenda, idque faciendum, donec ſudoris impetus ſe remittit. Si ſedimentum, quod ferè eſt, inter hæc continuat, ſpem curatio-

gis oſtendit; ſi non continuat, metus ſubeſt. Ubi ſanguis è naribus profluit, maturè ſupprimi oportet, ſicut capite decimo dixi. Cum *ſudor frigidus* eſt, hoc genus *cardiacæ mixturæ*,

℞ *confect: alkerm.* ʒj.
*ſyrup: card: bened.* ʒvi.
*aq: meliſſ.* ℥ij.
*menth.*
*cinamom.* añ. ʒj.
*ſal: volat: oleoſ.* gutt. xxx.
*ol: caryophyll.*
*macid.* añ. gutt. iij.
*M.*

ſingulis ſemihoris cochleario uti, donec frigus decedat, opus eſt, dum æger præcipitur, ut ſe multa veſte operiat vel operiri jubeat; firmam ex frumento potionem, eandemque fervidam ſorbeat; & nonnunquam potionem valentis materiæ, ut vinum pingue, ſi eo delectatur, interponat. 7, Ad *diureſin*, ſi eam aliquis habet, bibere aquam coctam, in qua multum theè jaceat ſic, ut validè adſtringat, expedit. 8, Ubi *ſubito corpus emacreſcit*, tepido, non calido loco æger continendus; potio materiæ glutinoſæ, qualis eſt juſculum carnium ſine ſale cum adipe; vel lac dulce coctum; vel ſuccolata;

vel

vel cereviſia tenuis admixto ovo crudo, bibenda; mixturæque antifebrili pro cinnabari pulvus viſcidus addendus, ejuſque dimidio plus dandum. Quæ vim leniter adſtringendi habent, de quibus ſupra in diabete mihi dictum eſt, etiam non rejicienda ſunt. At potenter adſtringentia inutilia, imo noxia concipio. 9, Si quis *vehementi ſiti* conflictatur, curatio talis eſſe debet, qualem ſiti intolerabili in ardore antè adhibendam eſſe propoſui. 10, Quando *in tuſſi* aliquis laborat, ei extrinſecus veſte pectus velando; & intrinſecus omnia calidè exhibendo, calor ſervandus eſt. Inter hæc cum primis referenda eſt aqua cocta, quæ fabas coffi combuſtas & contritas, adjecta radice liquiritiæ contuſa, habeat. Trochiſcique fruſtulum è ſucco liquiritiæ ſub lingua ſubinde liquari ſinere, huic morbo præſidio eſt. Ubi ea ſomnum prohibet, ad utrumque valet *laudanum opiatum*, cujus granum mixturæ antifebrili adjiciatur oportet. Si ne id quidem proficit, radicis conſolidæ majoris recentis conciſæ unciam dimidiam cum pari pondere radicis liquiritiæ ex aqua pluviatili decoquere, donec duæ libræ remaneant; & hanc potionem tota die nòcteque ſumere ſic, ut inter hæc eadem mixtura non omittatur,

maximèque ſi unà ſimul & ſaliva & alvus profluit, imprimis convenit. Per quæ auxilia tuſſis, ſputo nonnunquam excreato, elicitur, vomitusque, ſi qui ſimul adſit; ut & ſalivæ alvique curſus quieſcit. 11, Adverſus *aſtma*, ſi quis eo prematur, proſunt omnia, quæ jam nunc tuſſi apta eſſe dixi. Sed ir ſuper mixturæ antifebrili *florum benzoini* granum, *aquæ aſtmaticæ* unciam ſemis, & *tincturæ croci* drachmam addi; & ejusmodi duas mixturas, re exigente, viginti quatuor horarum ſpatio cochleatim calidèque ſumi, neceſſè eſt. Compoſitio verò *aquæ aſtmaticæ*, quæ gravem ob ſputa viſcida ſpiritum expedit, hæc eſt,

℞ *cardamom.* ʒiij.
*zinziber.* ʒi ß.
*unc: moſchat.* ʒj.
*galang.* ℈ij. gr. v.
*piper: long.*
*caryophyll.*
*calami aromat.*
*irid: Florent.*
*croci oriental.*
*ſantal: rubr.* añ. ʒß.
*flor: lavendul.* gr. xv.

*Omnia ſubtiliter contrita in vas demittuntur, & ſuperinfunduntur*

*ſpi-*

*ſpirit: vini.* ℔ IV.

*Et poſtquam aliquot dies loco calido, vaſe clauſo, ſtetit, exprime, & edulcora*

*ſacchari alb.* ℥ij.

*mell: alb:* ℥iij. diſſolutis in

*aq: hyſop.* ℥ IX.

*M. & filtretur per chart: bibul.*

Superque pectus ceratum de cumino, cujus compoſitionem in ſuperioribus capite ſexto comprehendi, liberaliter membranulæ illitum poni. 12, *Pectoris doloribus*, qui febri accedunt, eadem auxila, quæ in tuſſi retuli, etiam accommodata ſunt: illo tantum interpoſito diſcrimine, quod in mixtura antifebrili in cinnabaris vicem *ſpermatis ceti* grana quindecim ſubſtituantur. Si dolores, maximè ſub tuſſi, intolerabiles ſunt, laudani opiati granum in mixtura præterire nequaquam oportet; eamque ſemel aut iterum, prout neceſſitas urget, totam die naturali ſumere. Item circumdare latus cerato de cumino. Quod ſi dolor & tuſſis per hæc nondum ex voto levantur, tunc pro potione è coffi dulci bibat æger hanc *potionem pectoralem*,

℞ *rad: liquirit.* ℥ VI.

*helen.* ℥ ß.

*herb: hyſop.*

*hord: crud.* añ. M. j.
*ſem: aniſi* ʒiij.
*fœnicul: dulc.* ʒi ß.
*ficuum* no. x.
*Coq: ex aq: comm: ad* ℔iij, *colatura detur uſui.*

cujus interdum cyathum calefactæ ſorbeat, ſic, ut biduo triduove tota ſit aſſumpta. Inter hæc mixtura antedicta cum laudano opiato haud omitti debet, cum eo, ut quantum dolori decedit, tantum etiam laudano opiato ſubtrahatur. Neque ignorare convenit, quod per hujusmodi potionem longè facilius, quam per mixturam, in qua ſperma ceti, flores ſulphuris, ſpecies diaireos, aliaque ſimiliá ſunt, ſputa excreantur. Sed ab illa, ubi quis paſſione hyſterica, in qua dulcia inimica ſunt, laborat, abſtineri debet. Cum ſputa cruenta ſunt, pro oculis cancrorum in mixturam corallia rubra inſumi poſſunt. Verùm dolor, tuſſis, reliquaque ſymptomata cum febre vix ante deſinunt, quam ſputa facilè extuſſiuntur, & urina ſedimentum trahit. Hæ igitur notæ ſpem oſtendunt; & ubi non ſunt, in malis jam ægrum eſſe teſtatur. Qui ſi plethoricus eſt, ſatis virium habet, & dolor vehementer torquet, præcipuèque ſi æſtas eſt, neque in-

ter-

tereſt, morbus recens ſit, an pluribus diebus eum tenuerit, ſanguinem mittere minimè inimicum eſt. Etenim plerunque ſub eo dolor levatur, & ſpiritus liberius altiuſque trahitur. Quod ſi non fit, à periculo non tutus eſt. 13, Adverſus *coryzam* quidem in mithridatio vel theriaca auxilium eſt, ſi alterutrius ex his drachma dimidia, cum uncia aquæ ſimplicis mixturæ antifebrili adjiciatur; eaque bis viginti quatuor horis cochleatim tota ſumatur: dum potionem aquoſam calidiſſimè dando, & ægrum non multis veſtimentis ſtrangulando, ſudor movetur. Plus autem opii mixturæ addere, quam in iſtis electuariis eſt, capitis gravitas non ſinit. Ad ſternutamenta nares inungere ſevo, & illis inſtantibus oculos fricare, proficit. Si quid de naribus diſtillat, olfacere quoque ſal volatile non alienum eſt; deinde emungere; & tum protinus ſuper prunas ſuccino trito, vel aliquo ex contritis & inter ſe mixtis maſtiche & thure impoſito, naribus fumum trahere, undique veſte circumdata, ne is dilabatur. Quamvis hic ſuffitus ſine ſalis volatilis uſu ferè ſolus curationi ſufficit. Inflammationi verò labii ſuperioris ſuccurrit *linimentum ex lapide calaminari*, quod capite nono poſui, quo illud antè linteo molli leniter

ter dæterſum illinitur. Raucedinem tuſſimque ad ſanitatem perducit ſudor ſupraſcripta mixtura evocatus. Si tuſſis ſic non finitur, inſuper duo vel tria catapotia ex maſſa pilularum de cynoglosſa, quorum ſingula pondus quatuor granorum habeant, die toto devoret æger. 14, *Eryſipelati*, quod febricitanti ægro ſupervenit, nihil æquè prodeſt atque crocus, cujus ſcrupulus dimidius manè & veſperi ex cereviſia ſumendus eſt. Vel pro eo mixtura antifebrili, mithridatio aut theriaca adjecta, ut paulò antè in coryza propoſui, uti convenit ſic, ut ſimul ſudor, & cum eo eryſipelas evocetur. Quod, licet per ſe calore diſſolvi poſſit, tamen citius adhibito auxilio tollitur. Cujus rei cauſa ſuper id farina tritici tepefacta, aut ubi dolor moleſtus eſt, cataplaſma viſcidum ex alica avenæ minuta, quæ hieme ex lacte dulci, & ſi æſtas eſt, ex aqua communi decoquatur, donec ei mollities ſit, imponatur neceſſè eſt: ſiquidem per hoc intumeſcentia diſſolvitur, & id, quod rubrum eſt, inalbeſcit. At tutius faciei eryſipelati, maximè bulloſo, quod, priusquam foras procedit, non nunquam delirium, anguſtia, paſſio hyſterica, aliaque incommoda præcedunt, farina ſuccurritur. Etenim ab una

parte

parte medicamentis, aliisque rebus, ut vino & aromatis, quæ potenter attenuant, ut quibus vitium nimis promptè solvatur; & ab altera, refrigerantibus, quippe quæ obstant, cur minus malum egrediatur, abstineri oportet. Magis, quia utrobique febris exasperatur, sæpe delirio & morte subsequente. Quæ etiam sequitur, ubi alvi fluxu superveniente, è tumore minuitur. Hoc igitur quamprimum observatur, alvus opiato quopiam sistenda. Nec quoque, licet vitium satis erupit, ne rursus intro convertatur, supradicta mixtura in totum omittenda. Quando erysipelas faucibus incidit, ubi se rubro tumore, & dolore, præcipuè eo tempore, quo aliquid deglutitur, manifestat, id coercet hoc,

℞ *rad: liquirit.* ℥ß.
*ficuum* no. x.
*auricul: jud.* no. vi.
*hordi crud.* M. j.
*Coq: ex aq: comm: colat:* ℔ i. *adde*
*lapid: prunell.* ℥ß.
*M. F. Garg.*

cujus cochleario subindè calefacto gargarizatur; ac insuper rectè extrinsecus ceratum de cumino, vel emplastrum de labdano, cujus

jus. compoſitio capite tertio comprehenſa eſt, injicitur. Plus quam drachmam ſemis lapidis prunellæ gargariſmati adjicere nimiam pituitam evocat. Adhæc experimentis cognitum eſt, febrem ſemper antecedere eryſipelas, non eryſipelas febrem: quamvis alii magis philoſophi quam medici diverſa de hac re ſentiunt. Hoc autem confirmatur eo, quod quo eryſipelas magis increſcit, hoc febris magis decreſcit: nam in ea ex eryſipelate auxilium eſt. Aliquando incidit, ut febris alicui finiat per intumeſcentiam planam totius unius, aut utriuſque cruris, quæ eryſipelati quoque annumeranda mihi videtur, & vel ſine rubedine eſt, at tum altior reperitur; vel cum eadem. Etiam utrilibet modò dolor eſt, modò non eſt. Ferè ubi ſolvitur, ſequitur œdema. Per œdema graviſſimum, idemque dolorificum inter ungues & inguina etiam quandoque febris finitur. Quod ſi, uno ex hujusmodi tumoribus nato, febris manet, metus eſt: ut &, ubi illo declinante, febris augetur. Igitur non tantum diſcutere ea, quæ in parte affecta coierunt, neceſſarium eſt; verùm etiam opera danda, ut quicquid lædit, è ſanguine in locum tumentem expellatur. *Hoc* autem conſequimur per mixtu-

ram

ram ſudoriferam antè ſcriptam; & ut *illud* fiat, aquam, in qua crus vitulinum contuſum decoctum ſit, herbis aromaticis cum ſale adjectis, fervefacere oportet; deinde in ſitulam conjicere, &, cum jam homo pati poteſt, crura demittere, ſuperque pallam dare, & veſtimento tegere; paulatim deinde juxta labrum ipſum ex eadem aqua leniter infundere, ne calor intus deſtituat; hæcque tota hora bis die facere ſic, ut corpus levi tantum veſte velatum vel nihil, vel parum inſudet. Inter hæc *ſale volatili oleoſo*, quod quoties poſuero, ſcire licet, id eſſe, cujus compoſitionem capite primo propoſuimus, uti convenit. Ubi graviſſimum œdema dolorificum febri ſuccurrit, eadem ſunt adhibenda. Imo non nunquam in ſupradictis intumeſcentiis, ubi dolor vehementer torquet, veſicatoriis opus eſt. Si ſub his abſceſſus ſubſequuntur, ii, ubi pus eſſe certis indiciis colligitur, aperiendi ſunt, & curandi, ſicut ſuo loco docebimus. Gangrænæ verò ſpiritus vini camphoratus præſidio eſt. De qua, ut &, de ſphacelo capite duodecimo videre licet. 15, Si *inflatio* in ventre tumorem fecit, bonum ſignum eſt flatus ſurſum erumpens, ſonitu ſque ventris ad inferiores partes devolutus, magisque etiam, ſi ſi-

ne

ne difficultate cum ſtercore excedit. At malum, ſi ſpiritus difficulter ore redditur, vel infra transmittitur nullus. Igitur ad ægrum explicandum, non modò abſtinendum à rebus, quæ inflant; verum etiam mixturæ antifebrili ſpiritus carminativi Sylvii uncia dimidia, ſpiritus nitri dulcis guttæ novem, & olei carui gutta una addenda ſunt, talesque mixturæ duæ quotidie cochleatim dandæ Inſuper quoque operculum terreum calefactum ſuper ventrem impoſitum habere, digerendo ſpiritum inflationes levat. 16, Ubi *tormina* febricitantem prehenderunt, mixturæ jam in flatibus propoſitæ granum laudani opiati addendo, eaque ut ſupra in dolore capitis pulſativo mihi dictum eſt, utendo, dolorem lenire prodeſt. Si verò imbecillitas urget, ſi febris graviſſima eſt, ſi denique alvus fluida eſt, laudanum opiatum prudenter adjiciendum eſt. In hoc autem caſu præſtat ab opio abſtinendo alvum liquidam ſervare; vel, ſi calor non ingens eſt, olei amygdalarum dulcium unciam ſemis bis die exhibendo: pro potione quotidiana juſculo carnis, vel lacte dulci imperato. Si alvus nimis profluit, curatio adhibenda eſt, quæ antè hoc capite in alvi fluxu præcepta eſt. 17, Cum *lumbrici* ſunt, qui maximè te-

teneras ætates infeſtant, interdum cum dolore ventris conjuncti, curationi mixtura antifebrilis aptiſſima eſt, ſi aquæ ſimplices, quæ in ea ſunt, cum argento vivo agitantur, donec turbidæ conſpiciuntur. Et cereviſia tenuis potui data, ſi in ea raſuræ cornu cervi drachmæ duæ, donec totidem libræ remaneant, decoquuntur. Ubi in urina ſunt, eadem proſunt. Si febris leviter vexat, iis uti, quæ ad lumbricos capite quarto proficere dixi, non alienum eſt. 18, *Dolori dentium* &, 19, eis, qui *membra invadunt*, occurrit laudanum opiatum, cujus granum mixturæ antifebrili addatur, eaque eo ſumatur modo, quo ſupra in dolore capitis pulſativo comprehendi. Etiam propriè ad dentium dolorem valet, fruſtulum opii in ore liquari ſinere, & tum expuere: atque extrinſecus imponere emplaſtrum oxycroceum, lanaque id comprehendere, caputque velare. Et dolores membrorum manè & medio die drachma dimidia pulveris lumbricorum, veſperèque drachma integra ejuſdem aſſumpta, juxta mixturæ antifebrilis laudano opiato carentis uſum, ſolvuntur: & quidem ſic, ut inter hæc urina ſedimentum, ſi quod in ea erat, retineat. Neque pro eo à drachmis duabus ad unciam ſemis

liquoris lumbricorum mixturæ infundere, inimicum eſt. 20, Quando febris *cardialgiâ* cruciat, laudanum opiatum in mixtura antifebrili datum etiam idoneum eſt. Aſt ubi animæ defectio adeſt, eidem aquæ cinamomi unciam dimidiam, tincturæ macidis drachmam, & olei diſtillati è nuce moſchata guttas tres adjicere, melius prodeſt. 21, Cum alicui febricitanti *paſſio hyſterica* eſt, mixturæ antifebrili aquæ hyſtericæ unciam ſemis, tincturæque caſtorei drachmam, addi neceſſè eſt. Quales duas mixturas quotidie cochleatim ſumere licet. Fit autem *aqua hyſterica* ex his,

℞ *rad: pœoniæ* ℥j.
*leviſtic.*
*ſem: aniſ. ſiler: montan.* añ. ℥ß.
*herb: meliſſ. puleg. nepith.*
*menth. ſabin.* añ. M. ß.
*ſp: vini.* ℔ijß.

*Stent in infuſione, loco calido, vaſe clauſo, per triduum: tum add: aq: comm:* ℔iijß; *& deſtill: per veſicam, donec primo* ℔ i *prolexeris, quam ſeorſim ſerva; & deinde adhuc* ℔iij. *Jam*

℞ *ſp: primæ deſtillat.* ℔ß.
*caſtor.* ℥ij.

*In-*

*Infunde per triduum, ut ante, cola cum expreſſione, & colaturam miſce ſecundæ deſtill. Tum*

℞ *myrrh.* ʒij.
*lixiv: ciner: clavill.* qs.

*Cui, ex quo etiam per triduum loco calido ſtetit, affunde reliquam*
*ſp: primæ deſtill.* ℔ß.

*Et infuſione iterum per triduum facta, tincturam admiſce quoque ſecundæ deſtillat: quæ aq: hyſterica eſt.*

Inter hæc ægrotans res dulces acidasque & corporis motum fugere debet. Si hæc nihil proſunt, mixturæ inſuper adjicere ſpiritus ſalis armoniaci guttas quindecim vel viginti, cum olei ſuccini guttis tribus oportet. Quod medicamenti genus, etiamſi venter & dorſum ob hoc vitium intolerabiliter dolent, melius opitulatur, quam cum laudani opiati granum admixtum fuerit. Etiam ad rem pertinet, ſub ipſo paroxiſmo juxta galbanum incendere, aut cornu cervinum. Hæc enim cum comburuntur, odore fœdo movent. Ubi inclinata jam in melius valetudo eſt, ſola rurſus mixtura antifebrili, ſi febris deſiderat, utendum. 22, Cum *nervi convelluntur*, ſine vel cum delirio furore-

ve, mixturæ antifebrili cinnabaris ſcrupulum ſemis adjici opus eſt, quales duæ vel tres uno die ſumi debent. Ex medicamentis enim nihil majorem uſum præſtat, quam cinnabaris, quâ audacius uti licet. Quamvis is pulvis, qui authorem *Michaelem* habet, & *ſpecificum cœphalicum* appellatur, per ſe ſumptus etiam non parum juvat. Concinnatur autem hoc modo:

℞ *cinnab: antimon: rectif.* ʒij.
*nativ: Ung.* ʒvi.
*corn: cerv: ſine ign.* ʒiij.
*ung: alc.* ʒij.
*cran: human.* ʒiß.
*unicorn: foſſil.* ʒvi.
*ſuccin: alb: præp.* ʒv.
*fol: aur.* no. xv.
*M. F. pulv: ſubtiliſſ.*

& ter die ad drachmam dimidiam datur. Sed addito laudano opiato ſomnus ſæpe homini delirium aut furorem, ſi antè non erat, movet; aut ſi erat, auget. 23, Si *frigus* ingens eſt, calidis omnibus uti, & calorem moventibus oportet. Idcirco æger loco calido tenendus eſt, multis veſtimentis operiendus, cylindrus ferreus candens, qui capſulæ ad id aptæ incluſus ſit, pedibus admovendus. Item vinum pingue, & aquam pluviatilem pa-

paribus portionibus miſceri, idque calidiſſimum bibi convenit: vel potiones meracas aſſumi; quin, re exigente, portionem vini cum pipere exſorberi. Præterea mixturæ antifebrili ſalis volatilis cornu cervi grana quatuor, aquæ vitæ Mathioli drachmæ ſex, & olei caryophillorum guttæ tres addantur neceſſè eſt: ſyrupi quoque drachmis duabus adjectis. Quod genus vel bis die aſſumi commodum eſt. Etenim niſi magna vis frigus cogit, brevi ferè actum eſt de ægro. Frigore jam victo, evinci adhuc debet febris, quæ ſupereſt, per mixturam antifebrilem. 24, Ubi *leipyria* hominem malè habet, corpus extrinſecus, ut jam in frigore dictum eſt, calefaciendum; & intrinſecus ea danda, quæ in ardore ſupra proficere diximus. 25, Cum quis *paralyſi* laborat, ſive ea ſit linguæ, qua reſoluta vel obmuteſcit æger, vel certè minus facilè ſermonem explicat; ſive brachii, cui inde motus perit; ſive cujusvis alterius partis, vitari debet, ne alkali aliquod vel volatile, vel fixum purum, nec oleum deſtillatum mixturæ antifebrili addatur: nam ea id agunt, ut febris maximè intendatur ſic, ut vel delirium, vel ipſa mors ſequa-

tur Itaque primò febris ſananda, deinde paralyſis ad ſanitatem perducenda. Præter hæc partem affectam calidam habere neceſſarium eſt; ſi paralyſis linguam occupavit ſpiritum vini camphoratum ſubinde ore excipere, in eo retinere, & tum reddere; ſi ea brachium prehendit, id ex oleo terebinthinæ bis in die ad ignem perfricare. 26, Quando alicui *languor*, *febrisque lenta* eſt, plus cinnabaris mixturæ antifebrili adjicere expedit. Etenim medicamenta, quæ admodum movent, ut ſunt, *viſcidum potenter attenuantia* & *ſudorifera acria*, vel per ſe, vel *purgantibus* mixta, nocent. Alvus autem ſi ſuppreſſa eſt, veſperi dejectionis cauſa duo catapotia ex aloes ſex granis facta danda; vel in alvum aliquid, quod eam ducat, ex inferioribus partibus indendum. 27, Ubi quis *lenta corporis extenuatione* implicatur, animadvertere oportet, quid ſit, in quo laboratur. Et quia id utplurimum *ulcus in pulmone* eſt, ideo ad id curandum omne conſilium dirigi debet, auxiliis pro ſymptomatum diverſitate mutatis. Proinde ſi *ſputa* duntaxat *purulenta* ſunt, nec aliud incommodum affligit, adjuvat vini Hiſpanici cochleare cum vitello ovi ſumptum, dum ne amplius id, quam manè fiat; & balſami,

qui

qui *Lucatelli* esse dicitur, manè & vesperè, quod nucis moschatæ magnitudinem æquet. Hoc autem saccharo albo involutum devoratur. Is verò balsamus cum omnibus ferè ulceribus & vulneribus internis accommodatus sit, tum iis præcipuè, quæ in pulmonibus sunt, habet hæc,

℞ *ceræ flavæ puriss.* ʒiv.
*ol: hyperic.* ʒx.
*vini Hispanic.* ʒijß.
*Coq: lento igne ad vini consumpt: tum per linteum rarum cola, & denuo liquato adde*
*terebinth: Venet: ter oprimè*
*aq: fœnic: lot.* ʒiij.
*balsam: Peruvian.* ʒß.
*pollin: santal: rubr.* ʒij.
*& M. F. bals.*

Si imbecillitatem vereri cœperit medicus, gelatinæ cornu cervi unciam, cum drachma confectionis alkermes, addito saporis gratia paulo sacchari, quotidie dando subveniat. Inter hæc rectè sumitur in potum lac dulce, maximè caprinum, ab animali adhuc calens, vel ad ignem calefactum, cui sacchari albi parum, ne intus concrescat, nisi quis id fastidit, adjectum sit. Si nihilominus lac intus coit, & angustiam creat,

vel etiam redditur coägulatum, eo abſtineri melius eſt; & juſculo è pullis ſine ſale ſineque adipe, vel ſuccolata, vel cereviſia uti: nam ego experimentis quemque in ſe credere debere exiſtimo, lacte potius, an alia potione utatur. Atque etiam hujusmodi potionis quam plurimum eſſe convenit. Et cibi eupepti liquidi, vel utique molles, quos poſthæc capite vigeſimo tertio in atrophia comprehendam, debent eſſe, qui ſecurius dantur matutinis horis: nam cibum quam maximè ſemper ab acceſſione febris poſt meridiem futura reducere expedit. Ubi cibi faſtidium eſt, ægro in cibo indulgere neceſſè eſt. Etenim ſi omnia iſta faſtidiet, ad excitandam cibi cupiditatem interponatur aliquid minus utile, ſed magis gratum. Inutilia verò ſunt, imo noxia, omnis potio valentis materiæ, id eſt, vinum, ſpiritus vini, cereviſia craſſior: item, aromata, ſalſa, oleoſa: ea namque ſumendo æger in exitium ſe ſe præcipitat. Porro, ſi corpus aſſiduè *friget*, ex remediis *balſami ſulphuris* vel communis, vel potius antimonii, ſive ſint aniſati, ſive terebinthinati, optimi ſunt, è quorum aliquo guttæ quatuor vel quinque, in potione quotidiana, ter die dantur. Ubi æger ſupra conſuetudi-

nem

nem *febricitat*, *ſpecificum antihecticum*, quod ſub authore *Poterio* fertur, ſæpe commodè reſpondere experimenta teſtantur. Id habet,

℞ *reguli antimon.* ʒiij.
*Fluant in crucibulo, tum injic:*
*ſtanni Anglic.* ʒiß.
*effund: & quam optimè tere. Dein*
*cum triplo nitri, adinſtar antimon:*
*diaphoret: inflamm: edulcor:*
*& ſiccetur uſui.*

Cujus bis die ſcrupulus exhibetur. Ad *tuſſim gravem* hoc idoneum eſt,

℞ *rad: conſolid: maj.*
*liquirit.* añ. ʒvi.
*tuſſilag.* ʒiij.
*herb: veronic.*
*hyſop.* añ. M. i.
*ſummitat: hyperic.* p. i.
*ficuum* no. x.
*ſem: aniſ.* ʒiij.
*Coq: ex' aq: comm: ad* ℔iij: *colat: add:*
*ſyrup: liquirit.* ʒiß.
*M. F. apoz.*

E quo æger ſubinde cyatho calidè utatur ſic, ut triduo totum aſſumptum ſit. Si *inſputo odor fœdus* eſt, pro dulcibus, quæ apozema habet, ei mellis albi unciæ ſex addi debent, idque dari, donec ſputa fœtere deſinant. Adhæc ſi ſputa

purulenta ſimul vel glutinoſa, vel aquoſa, utraque copioſa ſunt, idem apozema conducit, cum eo, ut, *ſi ſupra modum glutinoſa* ſunt, aquæ aſtmaticæ uncia una & ſemis addatur: aquâ coctâ, in qua fabæ coffi combuſtæ & tritæ, addita radice liquiritiæ; vel in qua crocus, paulo ſacchari canti albi ore retento, jaceat, potui quotidie datâ. Si unà *raucedo*, adeoque aſtma ſit, *ſpiritus aſtmatici*, qui *Michaële* authore fit ex his,

℞ *virid: æris* ℥iv.
*gumm: ammoniac.* ℥ij.
*ſulphur: crud.* ℥iß.
*M. & deſtilla ex arena per retortam. Spiritus ab oleo fœtido per chartam bibul: ſeparatus tingatur croco.*

bis vel ter die à guttis decem ad viginti, ex cereviſiæ calefactæ cochleario ſumatur. Plus autem hujus medicamenti exhibere nocet. Quod ſi quis ei parum confidit, bis, aliquot horis interpoſitis, toto tempore matutino guttas tres balſami Peruviani cum paululo ſacchari albi, dare poteſt. Sin ſputa *maximè aquoſa* ſunt, fumus ſuccini, benzoini, maſtichis, aliorumve ſimilium contritorum, & in prunas conjectorum, per nares in pulmonem ſubinde trahatur: dum lac dulce, ſuc-

ſuccolata, aliave potio generis viſcidi in potum ſumitur. Ubi *tuſſis intolerabiliter* vexat, tria *capita papaverum ſine ſeminibus* conciſa ſimul cum iis, è quibus ſupradictum apozema fit, incoquantur. Si per tuſſim *ſputa cruenta* ſunt, ſemel aut iterum de die tincturæ Saturni guttis quindecim cum cæteris uti, ſatis eſt. Verùm ubi *purus ſanguis* ſe oſtendit, eum magna feſtinatione hanc tincturam dando, ſicut capite decimo præcepi, ſuccurrere oportet. Quando *multus ſudor* oritur, tincturæ Saturni guttas quindecim ter die adhibere abundè eſt, donec magna, non omni, parte conquieſcat. Ubi *alvus compreſſa* hominem exercet, aliquid ex inferiori parte indendo, vel mannæ uncias duas dando, quoties aliquot diebus nihil deſcendit, ducenda eſt. Validiora namque medicamenta, quæ alvum movent; ut & omnia, quæ ſanguinem extenuant, acremque reddunt, inimica ſunt. Si cubantem ægrum *fluens alvus* malè habet, neque per alimenta quicquam corpori accedit, mixtura ex cornu cervi ſine igne, cæterisque in alvi fluxu cum febre graviori capite decimo ſeptimo poſita uti, non alienum eſt. Si vires deficiunt, ei confectionem alkermes accedere, & aquam cinamomi augere convenit.

nit. Sed ferè ubi alvus fluere incipit, in malis æger eſt, nec vires facilè reſtituuntur. Cæterùm ubi curatio parum vel nihil procedit, niſi virium imbecillitas, vel aliud quid prohibet, tartari emetici granis duobus vel tribus, quovis octiduo, datis vomitu pectus purgare licet. Tandem, per ſupradicta auxilia interdum ſanitas redditur, præcipuèque, ubi poſt potiones valentes totius corporis habitus non vitiatus eſt; ubi ulcus ab exteriori vel ſuperiori parte in pulmone conſiſtit; & ubi id ex vomica pulmonis ſequutum eſt. Si non redditur, paulatim ægrotans infirmatur: ob quod ſputa non amplius extuſſire valet. Quæ ergo in pulmonis fiſtula hærent, & pectore ſonoro cum ingenti anguſtia occidunt. 28, Si *gravior ſomnus* preſſit, cinnabaris ſcrupulum mixturæ antifebrili adjici expedit: etenim cum febris deceſſu decedit ipſa ſomnolentia. At alkalia volatilia mixturæ addita febrem intendunt. Ægrum verò in lumine habere, atque ſermonibus afficere non inimicum eſt. Quod ſi ſomnus gravior fiat ſic, ut morbi ſoporoſi periculum ſit, ſpiritus ſalis armoniaci guttas viginti mixturæ inſtillare; cutimque cervicis emplaſtro è cantharidibus adurere inter valentiſſima medicamenta ſunt. Verùm ſi

febre ſublata aſſiduè dormit aliquis, vinum, cereviſiam materiæ valentis, aromata, aliaque id genus ſumere commodum eſt. 29, Quando *anguſtia* magna aliquem corripit, exigit ut mixturæ antifebrili aquæ vitæ Mathioli drachmæ ſex, aquæ cinamomi drachmæ duæ, tincturæ croci drachma una, & olei macidis guttæ tres addantur: cujusmodi duabus toto die naturali uti convenit. 30, Ubi quem *animi defectio* occupat, mixturæ antifebrili confectionis alkermes drachma dimidia, ſpiritus vini rectificati uncia ſemis, tincturæ cinamomi drachmæ duæ, & olei corticum arantiorum guttæ duæ adjiciantur oportet, quales duas vel tres, prout res deſiderat, rectè tota die ac nocte æger ſumet, cum eo, ut, quo magis malum minuitur, hoc minus medicamenti detur. Expedit etiam linteolum aquâ reginæ Hongaricæ madens naribus offerre. Vinoque modico uti quoque nihil prohibet.

C A-

# CAPUT. XXII.

## *De febre maligna.*

DE febre maligna per ſe ſcribere hoc loco, viſum operæ pretium eſt. Ab iisdem verò *cauſis remotis*, à quibus peſtis, de qua capite undecimo explicui, oritur. Etiamſi his eum aerem, eosque cibos & potiones jungere poſſimus, quæ apta ſunt ad ſal volatile corroſivum ſanguini noſtro impertiendum. Igitur in hoc ſale, quod ſanguis habeat, *cauſa proxima* hujus febris conſiſtit, quam etiam *petechialem* à petechiis, & *punctoriam* à dolore pungente, nominant medici. Ejus autem gravior ſpecies, quæ in tempeſtatem peſtilentialem incidit, *febris peſtilentialis* nomen habet. Hiems autem ultima, cum cœlum calidum eſt; & tempus vernale, maximè ei patet, quæ tunc nonnullos ſimul invadere conſuevit. Ubi peſtis non graſſatur, contagio non multo pollet. Diſtat à febre benigna, de qua capite proximo retuli, quoniam graviora ſymptomata trahit, & difficilius ſanitatem admittit. Etiam ſpes interdum fruſtratur, & moritur aliquis, de quo medicus ſecurus pri-

primò fuit. Proinde hoc vitium, licet leve videtur, tamen contemnere non oportet. *Signa* autem quædam communia sunt, quædam propria. *Communia* sunt, quibus etiam febris benigna deprehenditur: *propria*, quibus hæc febris; & sunt, 1, *dolor* membra, interdum etiam caput *pungens*, qui exiguam requiem efficit, vigiliamque exprimit. 2, *Præcordiorum anguſtia*. 3, *Petechiæ*, quæ ferè aciculæ capituli planum, & quidem amplius, explentes, rarò in pustulas elevantur. Hæ verò pustulæ aliquando etiam vesiculas contrahunt. Rarò illarum loco, vel unà cum illis, ingens macula apparet. Color autem est purpureus: nonnunquam ruber, vel lividus, vel niger. Utplurimum lumbis, natibus, & femoribus; etiam collo, brachiis, cruribusque oriuntur. Quæ manus, brachiaque invaserunt, adeoque aëri patent, etiam rursus facilè disparent. Quod sine notabili noxa fit, & vulgò *in interiora depulsio* appellatur. Hæc si incidit in partibus veste contectis, pernicioſa est, & sæpe delirium trahit. Neque minoris perniciei indicium est, si oculi rubent. Ast periculosissimum est, sicubi macula in conspectum venit. Illud quoque scire licet, quod quo magis petechiæ evo-

can-

cantur, eo minus anguſtia & dolor premunt. Cujus rei cauſa ſudorem movere prodeſt. Et, 4, *ſubitanea imbecillitas*, per quam homo quandoque ſubito moritur, quamvis antè bellè ſe habere videtur. Atque hæc quidem de morbi natura dicta ſunto, ſequitur verò curatio, quæ talis eſſe debet, qualem in febre capite proximo adhibendam propoſui. Tamen in hac febre perpetuum eſt, ut potio glutinoſa puta juſculum carnis ſine ſale & adipe; vel potio cerealis admixtis ovis; vel lac dulce in potum detur. Sed ultimum non ſervandum eſt, ubi lac intus coaceſſit. Nam tunc id anguſtiam creat, vel, ſi nauſea eſt, concretum evomitur. Licet interdum etiam bilis pura vomatur. At ſuccum limoniorum, omphacium, ſimilemve liquorem acidum adjicere potioni non convenit, quamvis ingens ſitis eſt. Siquidem in hoc caſu aqua cocta, in qua folia theè jaceant, præferenda eſt. Tandem mixtura antifebrilis vel ſcrupulum cinnabaris habeat, & parcè quoque adhibeatur neceſſè eſt. Ubi verò anguſtia premitur aliquis, eidem medicamento inſuper croci grana quinque, tincturæ caſtorei drachmam, & olei ſuccini guttas duas, adjicere expedit. Sudorque potionem ex theè calidiſſimam dando, non

veſtimentis onerando, nec alia vi admota, eliciendus eſt. Si hoc modo ſudor lenis venit, per eandem potionem continuari debet. Id ſi evenit, venterque non ſæpius quam bis, terve die per ſe ſolvitur, æger in bona ſpe eſt: nam alvus terrere debet, quæ nimis fluit. Et medicamenta acida, aut ex alkali acria, quantumvis ſudorem moventia; ut & ea, quæ alvum movent, inimica ſunt. Neque ego ſanè unquam remedio, quod vomitum eliciat, licet ex antimonio factum ſit, morbus incipiens, viresque ſinant, uti auſus fui. Sanguinis quoque, etiamſi is abundat, detractio non reſpondet. Huic rei non obſtat, quod in ardore ſanguinis per nares profuſio dolori capitis nonnunquam præſidio eſt. Qui tamen, ſi per ſe non deſiſtit, ne vis omnis intereat, ſupprimi debet. Præter hæc in ſupradicta mixtura ſubſiſtendum eſt uſque eo, donec aliquid craſſum in urina ſubſidit: quod utplurimum circa diem decimum quintum evenire ſolet. Paulumque remedii eo tempore, quo ſedimentum eſt, dare, ne deſinat, non alienum eſt. Id namque aliquando urinam iterum deſerit. Quod ubi fit, periculum ſubeſſe teſtatur. Adhæc ſedimento inſtante, & apparente, ferè plus ſomni, quam in febre vulgari, accedit. I-

dem de ſurditate intelligendum eſt, quæ interdum ſub finem febricitanti, ſive convaleſcat, ſive decedat, ſupervenit. Et quamvis utplurimum per ſe discutitur, tamen extrinſecus vix quicquam plus adverſus eam, quam ſpiritus ſalis armoniaci poteſt. Quo lamella panis ſiliginei toſta reſpergitur, & deinde aliquoties die, quam calidè ſuſtineri poteſt, ſuper aurem imponitur. Sed antè ea linteolo, cui emplaſtrum diapalma illitum ſit, ſic ut ejus medium, qua meatui auditorio reſpondet, latè exciſum ſit, contegatur oportet. Neque ignorare convenit, quod fieri poteſt, ut febre quieſcente, & cœlo frigido, exteriores partes, ſcilicet, naſus extremus, & manus veſte non velatæ, frigeant. Id quod proinde metuendum non eſt; ſed eæ calidis manibus fovendæ. Poſtremò paulatim omnia ſymptomata, urina jam ſedimentum trahente, decedunt. Quia verò nunc cibi cupiditas redditur, idem genus victus habendum eſt, quem ſupra capite proximo, febre finita, comprehendi. Quod ad ſymptomata verò, quæ urgent, pertinet: iis eadem auxilia conveniunt, quæ ſimilibus capite eodem prodeſſe dixi. Si verò lactis concreta anguſtant, aut per os redduntur, major modus oculorum cancro-

rum mixturæ antifebrili addendus, ægroque lac ſubtrahendum. Sanguinis quoque curſui ex naribus, ſi eſt, feſtinanter extrinſecus ſubveniendum, ſicut capite decimo in hoc vitio præceptum eſt. Aliquibus in conſuetudine eſt, febri malignæ ſudorem per remedia ſudorifera ex antimonio parata, & electuaria opiata, quibus ſi ardor & ſitis vexant, paululum è medicamento nitroſo adjectum ſit, movendo mederi. Sed quia his ferè ſemper lingua humidula ſiccior fit; urina ſedimentum, quod habet, amittit, & ubi non habet, tardius acquirit, etiam cum ſudor oritur; imo ſudor, ſi eſt, omnis finitur, & ſi non eſt, vix ac ne vix quidem evocatur: ideo colligi licet, curationem hac ratione non rectè procedere. Attamen ubi macula, aut febris peſtilentialis eſt, eam optimam eſſe exiſtimo. Videſis hic ejusmodi mixturam,

℞ *reguli antimon: diaphor.* vel
*bezoard: mineral.* ʒj.
*theriac.* vel
*mithridat.* ʒij.
*ſyrup: card: bened.* vel
*fumar.* ʒj.
*aq: card: bened.* vel

*fumar.*
*ſcabioſ.* vel
*meliſſ.* añ. ℥ij.
*ſp: ſal: dulc.* vel
*nitr: dulc.* gutt. xviij.
*M.*

cujus æger alternis horis duo cochlearia ſumat; potionem calidiſſimam ſuperbibat; ſe multa veſte operiat; quietumque habeat. Si qua ſudoris nota eſt, iterum calidiſſimè bibere oportet, cujus ſalubris effectus eſt, ſi ſudorem per omnia membra diffundit. Quod ubi contingit, operandanda eſt, ut is calidiſſima potione, veſte, quiete ſervetur. Inter hæc linteum tepefacere oportet, paulatimque membra ſub veſtimentis detergere. Sed magna cura vitandum eſt, ne induſium mutet, aut alio quovis modo vel minimum frigus accedat ante, quam ſudor ex toto conquieverit: nam æger ſummâ diligentiâ medici cuſtodiendus eſt.

## CAPUT XXIII.

### *De atrophia.*

EXtenuant autem corpus aër, in quo molleculæ ſalſæ volant, qualis maximè in locis maritimis trahitur; item, qui frigidior, vel calidior eſt. Nimius ſalſorum, viſcidorum, acidorum & dulcium uſus. Multa ſatietas, præcipuè ex cibis generis durioris. Et frequentior quies. Quæ proinde mihi *cauſæ remotæ* tabis eſſe videntur, quam ἀτροφίαν; & hanc, ubi gravior eſt, μακροσμὸν Græci vocant. At *cauſam proximam* è remotis natam eſſe ſanguinem ſalſum, & parum viſcidum, phænomena, curandique methodus abundè teſtantur. Illa ſunt, vel *incipientis*, ut corporis extenuatio, citra dolorem facta, & paulatim oriens, ferè cum bona cibi cupiditate, interdum ſanguinis ex aliqua parte profluvio. Vel *vetuſti morbi*, ſcilicet, nares acutæ, collapſa tempora, oculi concavi, genæ protuberantes, os largum, quæ omnia ad *faciem Hippocraticam* pertinent. Adhæc oſſa eminent; cutis laxa eſt; cartilago enſiformis, auriculæ & ungues adſtrictæ ſunt; totumque corpus quaſi pellucet. Vitium

autem, cujus naturam hucusque propoſui, *idiopathicum* eſt : nam *ſymptomaticum* eſt, quod ob alium morbum contingit, ſive is ſit affectio cœliaca, de qua capite quinto; ſive phthiſis, de qua capite vigeſimo primo; ſive febris, in qua corpus ſubitò extenuetur, de qua capite eodem; ſive lienteria, &c. *Macies* verò ab atrophia differt, quod adeps ſola conſumitur, ſive id fiat per inediam, ſive per ſanguinem acrem, ſive per lentum ſanguinis fluxum, vel alium quemvis morbum. Præterea hæc atrophia eſt *univerſalis*, totum corpus æqualiter occupans: eſt ramque & alia *particularis*, ubi corpus in hac vel illa parte macrum eſt. Quæ iterum aut ex cauſa interna fit, ut in paralyſi; aut ex externa, quæ eſt, tuberculum durum, vel os dislocatum & non reſtitutum, vel fractura, vel nervus arteriave præciſa. *Atrophia univerſalis idiopathica*, quam hoc loco comprehendere viſum eſt, non protinus ſentitur, quia tardo gradu accedit, dum æger cibi quantum ſatis eſt ad corpus implendum capit. Si nihilominus tenuari corpus appareat, magis ſi ætas proceſſit, nam huic morbo ſenectus præ cæteris patet, hoc malum timendum eſt. At deinde nihil dubii eſt, cum reliqua phænomena ſe oſtendunt. Porro

ro ſi morbi hujus ſit metus, protinus ſuccurri victu & medicamento oportet, quia non facilè, cum inveteravit, evincitur. Primùm igitur à victus ratione ordinandum eſt: ut cauſas remotas æger fugiat; ut locus, in quo degit, tepidus ſit; ut cibo humido, eodemque vario utatur, maximè glutinoſo & pingui, id eſt, carne ex animalibus junioribus vel jurulenta, vel elixa, vel aſſa; ovis ſorbilibus; ſorbitione vel alicæ avenæ, vel orizæ, cum qua recens adeps cocta ſit; oleo olivarum in cibis; imo quovis pleniori cibo, dum acribus vacet, facilè concoquatur, maximèque alat. Moderatio autem in cibo quoque adhibenda eſt: nam neque æger eſt implendus, neque jejunio utique vexandus eſt; ſed cibi ſumendum, quantum pleniſſimè poteſt digerere: nam concoctio cum omnibus vitiis, tum maximè huic ſuccurrit. Subinde quoque potiones cibo immiſcendæ ſunt. Adhæc ſorbeatur in potum aqua cocta, in quam parcè herba theè demiſſa ſit; vel aqua cocta ex coffi; utrobique adjecto lacte dulci. Tamen potui aptiſſimum eſt lac dulce per ſe, imprimis coctum; vel ſuccolata; alterumque ex his quamplurimum ingeſtum. Neque etiam ambulatione leni ſe dimovere

alienum eſt. Ex medicamentis proſunt pulveres viſcidi, & alkalia terreſtria. Sed præcipuè omnium ſub authore *abbatis Haly* dandus eſt hic pulvis,

℞ *ſem: papaver: alb.* ʒx.
*gum: Arabic. tragacanth.*
*amyli* añ. ʒiij
*ſem: portulac. malv.* añ. ʒv.
*cucurbit. melon. cucumer.*
*citrull. cydonior: mund.* añ. ʒvi.
*ſpodii, ſucci liquirit.* añ. ʒiij.
*penidiarum* ad pondus omnium.
*M. F. pulv.*

Cujus quotidie drachmæ tres vel quatuor, quocunque modo aſſumi debent: iis, quæ alvum, ſudorem, urinam, vomitum, ſalivam movent, rejectis. Etiam omnia alkalia tum fixa pura, tum volatilia, omniaque ſalia volatilia oleoſa expellenda.

C A-

# CAPUT XXIV.

## *De lue venerea.*

MOrbus terribilis, qui hodie utplurimum ex contagio (per quod è corpore infecto in alterum integrum ſal ex acido & alkali miſtum aliquod volatile corroſivum, viſcido præditum, & ſanguinem cœterosque ſuccos acres & viſcidiſſimos efficiens, tranſit:) contrahitur, *lues venerea* vocatur. Cujus ergo *cauſa remota* eſt illud contagium; & *proxima* hoc ſal volatile corroſivum in ſanguinem illatum. Tamen haud nego fieri poſſe, ut hoc vitium etiam ſine contagio per ſe proveniat, quo pacto id primò in mundum veniſſe exiſtimo. At minimè in conjugibus bonum corporis habitum habentibus: nec ſine ſcortationibus. Fit autem contagium per humorem aliquem, qui *venenum venereum*, id eſt, cauſam proximam ex homine in hominem transfert. Is verò utplurimum *ſemen virile* vel *muliebre* eſſe deprehenditur, præcipuèque ob morbum, quem γονόῤῥοιαν Græci nominant, purulentum: æſtu coeuntium adjuvante. Ille humor interdum etiam *ſanguis maternus* eſt,

quo fœtus à matre eum gerente; vel *lac*, quo lactens à lactante; vel *ſaliva*, quâ nutrix à ſugente, aut exoſculantes à ſe invicem; vel *ſudor*, quo alius ab alio ſive per immediatum contactum, ut eorum, qui eodem lecto conquieſcunt, ſive intermedio tertio corpore, veluti galericulo unius ſuper alterius caput injecto, contaminatur. At ſemen ſub coitu impuro hoc malum omnium ſæpiſſimè transfert: non verò ſemper, ſive veneni venerei debilitate, ſive ſanguinis recipientis integritate: vel transfert ſic, ut inficiens ipſe liberetur. Illud autem ad rem pertinet ſcire, translatum morbum, aliquot ſeptimanis, vel menſibus, vel quamvis rarò, annis interpoſitis demum cognoſci phænomenis. Quæ ſunt, a, quod ſumma pars totius corporis, ſed maxima ex parte in thorace, brachiis, atque cruribus, & minima in facie, manibus pedibusque crebras *maculas* habet. Eæ verò ſunt rubræ; vel albidæ, ſiccæ, & aſperæ; quarum illæ, cum digito premuntur, paululo temporis veſtigium album recipiunt. b, Quod *puſtulæ rubræ*, vel *ſiccæ*, in ſummo albidæ & aſperæ; vel *madentes* ſive lympha, ſive pure, cruſtulisque contectæ: utræque aut planæ, aut eminentes, toto corpore oriuntur.

Ut-

Utplurimum tamen erumpunt, ubi pili majores gignuntur, ut in capillo, in barba, in ſupercilio; & glandulæ calidiores recumbunt, ut in naribus, in faucibus: & pariter ac maculæ, qua primum hic morbus corpus ingreſſus eſt. c, *Dolores*, qui noctu, vel antequam ægri cubitum eunt, nonnunquam etiam interdiu, vexant: & quidem in iis partibus, quæ minus calidæ ſunt, velut in tibiis, in brachiis, in capite. d, *Tarditas motus, & articulorum rigor.* Hic autem rigor & tarditas, dolores nocturni, & vel maculæ, vel puſtulæ, vel utræque ſimul, ſemper ſunt, leviora, aut graviora. Proinde hæc tria vel quatuor phænomenorum genera *inſeperabilia* ſunt. Etenim quæ abeſſe poſſunt, & ob id *ſeparabilia* dici merentur, ſunt, *gonorrhœa*; *ulcuscula extrinſecus naturalibus nata*, quæ vulgo *chancres* appellant chirurgi; *teſticulus venereus*; *bubo venereus*; *carbunculus venereus*; *pilorum fluxus*; *ulcera intrinſecus*, id eſt, ex cauſa interna *facta*; *carnes excreſcentes*; *condylomata glanduloſa*, *carnoſa*; *tophi*; & *caries.* Porro quoniam phænomena inſeparabilia in ſcabie cum arthritide conjuncta eſſe poſſunt, ideo, ut de hoc morbo dubitatio ſit nulla, æger inſuper laſcivâ, vel utique improbâ vitâ incidat

dat in ſuſpicionem; quin ipſe rationibus coactus confiteatur de coitu impuro, neceſſè eſt. Præcipuèque, cum unum aut plura è phænomenis poſterioris generis ſunt, aut fuerunt; & puſtulæ, ulcera, & dolores nocturni medicamentis mercurium vivum habentibus protinus cedunt, quum per auxilia vulgaria vel in pejus vergant, vel certè non remittant. Accedit ad hæc, quod ſudore multo aliquot diebus evocato, vel aliquo remedio mercuriali adhibito, aliqua corporis parte maculæ vel puſtulæ, cum dolorum levamine, oriuntur. Cæterùm, ſi venenum venereum *per ſemen ex homine in hominem* transvehitur, excitantur, a, *involuntarium ſeminis purulenti* vel albi, vel flavi, vel ſubviridis, ob proſtatarum exulcerationem, in maribus per colem, & in fœminis per vulvam, *effluvium*, pauculis ferè diebus poſt coitum impurum ſe oſtendens, & ſine titillatione affligens. Hoc autem *gonorrhœa*, ſub quo nomine nunc ſignifico eam, quæ *virulenta* dicitur, (nam de *benigna* jam ſermo non eſt) à medicis vocatur. In qua nonnunquam vel ipſa ovaria, cum mulieres ea laborant, exulcerantur. Quæ tamen ubi id malum à maritis ſuis eodem affectis, ſed non lue ipſa implicatis, contra-

traxerunt, facilius quam hi ſaneſcunt. Et ut illæ ferè hoc vitium diſſimulant; vel ubi ignorant, quod ſit, fluorem album eſſe credunt; ita mares culpam in uxorum menſtrua conferre ſolent: quamvis obſcœnarum partium vitia à verecundis rarò medicis traduntur. Præter hæc gonorrhœa eſt vel ſine lue venerea, vel cum teſticulo venereo, vel cum bubone venereo, vel cum ipſa lue. Eſt & vel recens, vel vetuſta, quarum hæc evenit, aut quia venenum venereum in ſanguine latet; aut quia remediis adſtringentibus proſtatarum exulceratio viſcida facta eſt; aut quia ob nimium diureticorum uſum eadem exaſperata eſt. Quæ duo poſteriora genera etiam per malam victus rationem naſci poſſunt. Ubi vitium jam in longinquum eſt, difficilius, quam quod primum cœpit, ſanitatem recipit; vel interdum nunquam ad eam perducitur. Vetuſtæ autem gonorrhœæ ſuperveniunt, 1, *impotentia venerea*, quæ *naturalis* (nam de *magica* jam non loquimur) eſt; & etiam ex hoc vitio frequentiori incidit. 2, *Tentigo*. 3, *Urinæ dolor ingens*. 4. Vitium, quod Græci φίμωσιν appellant, ubi reduci ſumma cutis non poteſt, ſed glans contecta eſt. Per vetuſtatem cutis ita permanere poteſt: quin ſub ea per

ipſa

ipſa ulcera coles exedi ſic, ut glans aliqua parte excidat. 5, *Tumor cryſtallinus*, tam fœminarum interioribus vulvæ; quam marium ſummæ cuti incidens. 7, Malum, quod παραφίμωσις Græcè vocatur, in qua cutis ſumma ſuper glandem induci non poteſt. Et, 7, *ulcus in fiſtula urinæ*, interdum colis contractione in recurvum accedente. Id verò quandoque in exteriorem partem prorumpit; & quoque nonnunquam intus *caruncularn* producit. Hæc autem licet oculis non patet, tamen facilè deprehendi poteſt, ſi urina non liberè, ſed cum magno dolore, & interdum cum deſidendi cupiditate, quin, ubi æger flatibus obnoxius eſt, crepitu ventris comite, redditur; penis poſt illam, dum urinam transmittit, tumet; paululum puris ex pene fertur; & contra caruncularn durities ſentitur. b, *Chancres*, cujusmodi ulcuscula ferè ex veneno venereo ſeminis ſive pure carentis, ſive ob gonorrhœam purulenti nata vel in cutis ulteriore parte, vel glande, ultrave eam in cole; aut in vulvæ labiis ab exteriori parte, reperiuntur. Ea verò ſunt vel ſordida, vel pura; & cum circulum glandis invadunt, *corallare Hiſpanicum* nuncupantur. Item aut per ſe, aut cum morbo Gallico homi-

minem tentant. c, *Teſticulus venereus*, id eſt, teſticuli unius aut utriusque tumor, qui ſine, vel cum morbo Gallico eſt; per ſe, vel per febrem venit; & ſine vel cum dolore, ardore, & rubore vexat: ſemper ſolutionem admittens ſic, ut lues venerea ſequatur nulla. d, *Bubo venereus*, ſive tumor, qui naſcitur in glandulis inguinis; rarò in iis, quæ juxta aures ſunt; & quidem vel per ſe, vel ex lue venerea. e, *Carbunculus venereus*, qui incipit à duritie cutis, ſuper quam magis magisque increſcentem non nimium puſtulæ eminent, quæ paulatim dividuntur, & tandem in unum foramen magnum convertuntur. In quo ſupra color niger eſt, alba intra caro apparet: *carbo* à medicis vocatur: ſiquidem in hoc tumoris genere nunquam pus coit. Ab hoc autem carbone, qui etiam partes proximas, non ſine magno dolore, ardore, & rubore corrumpit, ei nomen impoſitum eſt. Et vel per ſe, vel cum morbo Gallico affligit. Adhæc vitiis, quæ ſequuntur, ferè lues venerea adeſt. Suntque, f, *pilorum fluxus*: ii enim è mortua ſumma pellicula excidunt, per quod cutis utplurimum glabra fit. g, *Ulcera*, quæ à veneno venereo è ſanguine accedente proficiſcuntur, ideoque majora gra-

gravioraque quam chancres ſunt. Fiunt maximè in locis glanduloſis, calidisque, quo *gonorrhœa interna* rarò contingens ſpectat; etiam in locis frigidis: & quidem vel ex puſtulis, vulneribus, ambuſtionibus, aliisve id genus morbis, vel ſine iis. Alia verò ſunt putrida, alia viſcida, quotidie, niſi ſuccurritur, incrementum capientia. Si quod ex iis colem juxta pubem in orbem invadit, idque negligenter curatur, periculum eſt, ne is decidat. i *carnes excreſcentes*, quæ variis in locis naſcuntur. k, Tubercula, quæ κονδυλώματα appellantur. Eaque eſſe vel *glanduloſa*, vel *carnoſa*, uſu didici. Illa incidunt in partes calidas; & vetera indureſcunt; vel conglobata, vel conglomerata ſunt; aut ſicca, aut humida. Et hæc etiam aut ſicca, aut humida exiſtunt. l, *Tophi*, qui potiſſimum in locis frigidis conſiſtunt; admodum dolent; & ſine medicina facilè in cariem degenerant. m, *Caries*, quæ non ob acidum contingit; præcipuè oſſa capitis corripit; & abſceſſum excitat, quo aperto os album conſpectui ſubjicitur, ſeb brevi nigrum evadit, plerunque multis foraminibus exeſum. Hoc autem vitio comitata lues venerea, ut & ea, quæ tophos habet, difficulter ſanitatem recipit.

cipit. Cujus rei cauſa non eſt venenum venereum in iſtis foraminibus reſidens. Minimè tamen inter morbos inſanabiles referri debet. At facilius ſanatur ea, quam condylomata, carnes excreſcentes, & ulcera comitantur. Sed ejus curatio facillima eſt, in qua puſtulæ & maculæ ſunt. Cæterùm phænomena, quæ à morbo Gallico ſeparari poſſe dixi, nunquam, aut perquam rarò, in uno ægro omnia apparent; nec is morbus ſemper æquè gravis eſt. Quin nonnunquam, licet inter initia medici curæ committatur, adeo tenax eſt, ut nulla curandi via ad ſanitatem perduci queat. Ne referam, quod alvi fluxus, ſanguinis curſus, vel alii ejus generis morbi, ſi qui unà ſunt, etiam curationi difficultatem faciant. Idem intelligendum eſt de vetuſtate, ſi per eam nimium proceſſit. Porro id venenum, è quo ſupradicta phænomena commodiſſimè deduci poſſunt, pro vero eſt habendum; & nihil aliud eſt quam id, quod in ſuperioribus poſui. Ergo id non eſt *acidum*, licet argentum vivum, & cantharides maximè proſint; nec *ſal acidum*. Jam demum ſciri poteſt, quid *lues venerea* ſit, nimirum, *è contagio, aut è ſcortatione contractus morbus, ſe ſuprapoſitis phænomenis manifeſtans*. Ab his, quæ ad hu-

jus morbi naturam pertinent, ad ea veniendum eſt, per quæ miſer ægrotus ad ſanitatem perveniat. Quod conſequemur, ſi, vitata cauſa remota, ſalia, quæ venenum venereum corrigant, & ſimul inſenſibiliter expellant, adhibeantur. In iis autem numeramus, 1, *ſal aliquod mercuriale* (nam ſi quid, utique mercurius veneno venereo contrarius eſt:) quod lene ſit, nec vomitum, nec ſudorem, nec ſalivam, nec alvum cieat. Cujusmodi eſt *Æthiops mineralis* hac ratione paratus,

℞ *ſulphur: commun.* ℥j.
*Cui in vaſe incruſtato liquefactæ admiſce*
*argenti vivi* ℥ij.
*Et commov: ſpathula ferrea, donec arg: viv: planè diſpareat. Tum hanc maſſ: nigram in pulver: ſubtiliſſ: redig: qui æthiops mineralis eſt.*

cujus ſcrupulus, vel drachma dimidia manè veſperèque ex potione quotidiana ſumatur. Aut, ſi is nihil proficere videtur, ut in recenti malo, quod repugnat; aut in eo, quod ſpatium aliquod habuit, fieri conſuevit, *mercurio præcipitato rubro* per ſpiritum vini tartariſatum ter, quaterve, vel quinquies, pro diverſa ejus acrimonia, ſuper accenſum con-

continuè agitando dulci facto utendum eſt. Hujus autem remedii quovis manè grana tria paulo conſervæ roſarum pallidarum, ut bolus fiat, addito; vel cum tertia parte macidis contritæ mixta; vel cum tertia parte macidis, & dimidia reſinæ guajaci, paululo theriacæ in pilulas juncta, dantur. Sed illud ſcire convenit, quod ternis diebus tria grana iſti mercurio adjici debent. Ubi jam ad novem grana ventum eſt, quorum tria manè, tria medio die, totidemque veſperi exhibeantur, ſupradictus mercurius non dulcis factus, eodem modo à tribus granis aſcendendo, aſſumendus eſt. Etenim uſu cognovi hujus vel quindecim grana quibusdam ægris, ut aliæ aliis proprietates ſunt, eſſe neceſſaria. Quin experientia in ipſis curationibus docuit, eum longè tutius quam album dulcem, & quam inunctionem ex unguento Neapolitano adhiberi, quia horum uſum aliquot ſeptimanis, imo menſibus interpoſitis, ex inopinato ptyaliſmus ſequi poteſt, quod non à præcipitato rubro, ſive dulci, ſive non dulci, timendum venit. Hic igitur præcipitatus ſuprapoſito modo datur uſque eo, donec aut phænomena ſe remittere incipiant, aut ſumma ori pellicula demi; aut id leviter tantum exulcerari. Nam

ſimul atque hæc animadvertimus, mercurio protinus abſtinendum eſt. Ubi *ſumma duntaxat pellicula læſa* eſt, *tinctura gummi laccæ*, cujus compoſitio capite vigeſimo propoſita eſt; vel ubi *exulcerationes*, quæ albæ ſunt, vexant, eadem tinctura, addito melle roſarum, opitulantur. Eodem capite etiam alia medicamenta huc apta deſcripſimus. Iſta verò tinctura, & ea tepefacta os elui, non ob dolorem adhibito penicillo, oportet. Quem tamen mollem ſordes albæ, ſi abundant, requirunt. Ore jam ſanato, ad idem remedium mercuriale recurrendum ſic, ut nunc paulò minus quam antè detur, ne eadem incommoda revertantur. Sed deinde iterum aliquantò plus, quando hoc jam minori metu fit, exhibeatur. Sed non tutum eſt mercurio uti, ubi ulcus in faucibus ex morbi veneno ſecutum eſt, niſi aut os per eum non afficitur; aut ſaliva movetur nulla; aut cum quis ad ſalivationem conſilium dirigit, ea facilè contingit: ſiquidem facilius ulcera in ore fiunt, quam quæ in faucibus ſunt, exacerbantur. Neque etiam mercurio uti licet, ubi ulcus in faucibus ex mercurii abuſu natum eſt, quod ferè uſu venit, quando per eum ſaliva non fluxit. Item, à mercurio abſtinendum, ſi dolor capitis ac-

ce-

cedit, vel qui eſt, intenditur, niſi periclitari, ne cranium corrumpatur, velis. Adhæc ſi in alia parte ulcus aliquis habet, idque ſupra conſuetudinem madere conſpicitur, etiam ilico mercurius rejiciendus eſt, quia periculum ſubeſt, ne magna putredo accedat. Porro ſupradicta duo ſalivationis incommoda in alio citius, in alio tardius oriuntur; & in omnibus paulatim, dum in eodem medicamento ſubſiſtimus, minuuntur, & tandem redire deſinunt. Inter hæc æger ſemper ſalivam exſpuat neceſſè eſt, præſertim quoties in ore ſaliva eſt. Hac autem ratione ſi procedamus, nullus ſalivationis metus eſt, niſi ſi cui facilè ob ὀργασμὸν ſaliva moveatur. Quod tamen rarò, & vix alias quam intra qninque dies priores, evenire conſuevit. E qua re tum utplurimum accidit *oris tumor*; & *corruptio* ſub lingua, in malis ab interiori parte, in gingivis, unde dolor ingens exoritur, ſanguis ſalivæ mixtus apparet, & dentes moveri ſentiuntur; ac ob ſalivæ curſum magna imbecillitas. Hæc mala, & quidem adhuc graviora quoque incidunt, cui quis ſalivationem excitare vult, in quo hoc minimè expeditiſſimum eſt. Etenim ſic tanta intumeſcentia fauces, tantaque ulcera putrida totum os

occupare ſolent, ut illa ſpiritum elidat; & hæc efficiant, ut dentes excidant, ac eorum alveoli vitientur. Imo lingua interdum adeo intumeſcit, ut extra dentium ſeries veniat, nec ab ægro retrahi, nec à curante repelli poſſit ante, quam ſatis detumuerit. Adhæc non rarò ſimul evenit, ut vires conſumantur, paralyſis, cachexia, phthiſis, aliaque vitia concitentur. Hucusque de ſalis cujusdam mercurialis uſu dixi: tranſeo, 2, ad *ſal aliquod vegetabile*, quod aliis particulis implicitum itidem venenum venereum emendet, & ejiciat ſenſim ſine ſenſu. Hoc autem genus eſt *tinctura lignorum*, quam ego hoc pacto præparo,

℞ *raſur: tenuiſſ: lign: guajac.* ℥ij.
*ſaſſaphr.* ℥j.
*M. & madefiat liberaliter lixivio cineris clavillati fortiſſ. Tum infuſione per triduum loco calido facta, affunde*
*ſp: vini* ℥xlviij.
*Poſtquam iterum per triduum ſimili loco, vaſe bene clauſo, & ſubinde agitato, in infuſione ſtetit, parata eſt tinctura lignorum.*

E qua quater die centum guttas, vel plures, quin totum cochleare, alicui ſumere licet. Aut *eſſentia cantharidum*, quæ, ni fallor, me-

melius quam illa ſuccurrit. Sed hujus quotidie triginta, vel tot guttis uti ſatis eſt, quot æger ſuſtinere poſſit ſic, ut urinæ dolor non ſuperveniat. Igitur ut ægrotans ad ſanitatem veniat, æthiope minerali, vel mercurio præcipitato rubro utatur; alterutrique ex his tincturam lignorum, vel cantharidum eſſentiam adjiciat. Quod ſi quem alvi fluxus diuturnus tenet, aut ſanguinis curſus, aliudve vitium fluens crebrò malè habet, curatio vel difficilis eſt, vel nulla, quia quæ juvant luem veneream, fluentium morborum genera incitant. Ergo cum duo è ſupraſcriptis remediis unà dantur, genus victus adhibendum, quod corpus abſtinentiâ extenuat: ſiquidem fame pugnandum eſt, ſi vires patiuntur. Nam maximè cibo eget, qui increſcit; nec gravida mulier ferre famem poteſt; nec antè tenuatus æger ſibi multùm à cibo temperare debet: ne lacte dulci quidem vitato, niſi cui acidum abundet. Ji verò cibi, qui generis durioris ſunt, bene mandendi: quamvis eupepti optimi ſunt; & liquidi extenuatis, quibus etiam mineralis æthiops magis quam mercurius præcipitatus ruber reſpondet, utiliſſimi. At res acidæ & viſcidæ, adeoque & uvæ paſſæ majores fugiendæ. Sorbeaturque in potum

quotidianum cereviſia ; vel aqua cocta, quæ raſuram ligni guajaci habeat, cui, ſi quis id amat, lac dulce ſit adjectum, fruſtulo ſacchari canti albi ore excepto; vel aqua ex radice bardanæ decocta, addita ſaporis gratiâ radice liquiritiæ. Præter hæc in publicum, quo volet aliquis, prodire poteſt, vel media hieme, ſine ullo metu. Hæc autem medendi ratio ſine magna mole, cito, tutò, & jucundè fit, cui vel tenerrimæ, & ſeniles ætates, quin nutrices, ſi lactens puer ita affectus eſt, idoneæ ſunt, mutato tamen medicamentorum modo. At in alias curandi vias proceſſerunt authores, è quibus ea, quæ vel *per ſudationem*, vel *per ſalivationem*, vel *per utramque ſimul adhibitam* fit, quasque ipſe quoque plus ſemel ſecurè inceſſi, non vituperanda eſt. Itaque ut *ſudores* hoc malum diſſolvant, ea vegetabilia, quibus æger maximè deſudet, eligantur oportet. E peregrinis præcipuè in uſu ſunt lignum guajacum, ſaſſaphras, cortex ligni guajaci, radix ſalſæ parillæ, & chinæ. Verùm regio noſtra nobis ſuppeditat lignum juniperinum, quercinum, corticem ligni juniperini, radicem angelicæ, petazitidis, aliaque non minus efficacia, prioribusque fortè præferenda. Formulæ verò, quæ ex his

ad

ad id componi poſſunt, decocta variis nominibus eſſe debent, ſic ut in ſanguine viſcido maximè è ligno guajaco; in acri, è ſalſaparilla, conſtent. Si in iis ſimul *antimonium crudum*, & *mercurius vivus* incoquuntur, multò valentiora erunt. Quale *decoctum*, quod ferè *lignorum* dicitur, hoc eſt,

℞ *raſur: lign: guajac.* ℥viij.
*ſaſſaphr.* ℥iij.
*rad: ſalſæ parill.* ℥v.
*argent: viv: in pet: humid: lig.*
*antimon: crud: ſubt: trit: & in pet:*
*lig.* añ. ℔ß.

*Infund: in aq: comm:* ℔xviij, *loco calido, per diem naturalem: tum decoq: vaſe clauſo, ad tert: part: conſumpt: ſub finem addendo*
*rad: liquirit: raſ.* ℥iv.
*& colat: detur pro decocto.*

Si quis radicis liquiritiæ dulcedinem faſtidit, pro ea ſyrupus quidam colaturæ, donec guſtui jucunda ſit, addi poteſt. Ex eo calidè quantum æger poteſt, bibat, etiam quâlibet diei horâ; nam certum tempus potioni legere non opus eſt. Solet verò ſub ejusmodi medicamento evenire, ut alvus minus reddatur. Hæc tunc eodem movenda eſt, in quo, ubi quis amarorem amat,

drachma *colocynthidis* ſacculo lineo incluſa; aut ſi eo offenditur, *radicis hermodactyli* uncia una & ſemis, cum reliquis decoqui debent. Alterutrius autem ponderi, prout plus aut minus ſumitur, alvusque ſolvitur, ſubtrahi vel addi oportet. At ſciri licet, argentum vivum & antimonium, decocto colato, recipiendum, & deinde in aliud decoctum, priori abſumpto, inſumendum eſſe. Item, iſtius argenti quam minimum in hanc medicamenti potionem transferri; ac ob id ipſum ori non officere. Quod ſi quis ab ejusmodi medicamento abhorret, alternis, ternisve horis tincturæ lignorum ad cochleare ſumat; & calidam potionem cereviſiæ adjiciat: remedio purgante, quod *mercurii dulcis* drachmam dimidiam habeat, bis in ſeptimana inſuper dato. Cæterùm æger in conclavi calido continendus eſt ſic, ut jugiter modicè ſudet: quod præſtare judico, quam ſi bis die ſudorem vi aliqua evocet, id eſt, ad ignem involutus ſedeat, ut inſudet; aut lecto quieſcens pedibus admotum * *hypocauſtum* habeat, ut ita ſudorem effundat; aut domunculâ ligneâ ſine veſtimento exceptus, ſubjectis prunis, ſudorem emittat. Cum quis ita ſudorem elicere

* *Tab.* I. *fig.* I.

cere cupit, ſciat neceſſè eſt, hominem initio deſudare non poſſe, & ſubinde in animi deliquium incidere. Quod ubi ſupervenit, protinus ab opere deſiſtendum eſt, deficiens aquæ frigidæ perfuſione excitandus, & potione valida reficiendus. Eadem quoque facienda ſunt, cum deinde, ſudore nimio profluente, anima deficit. Finis autem ſudoris eſt, donec infirmando offendatur, quod ferè intra horas duas evenit. Neque tamdiu in ſudore puer habendus, quam adoleſcens; infirmus, quam valens. Tum linteum tepefacere oportet, paulatimque ſingula membra detergere; & induſium, alterum calefactum induendo, mutare. Sed inter hæc cavendum eſt, ne quo frigore afflatuve lædatur. Hocque modo intra ſudorem manendum, donec æger cibis eupeptis ſiccis modicè ſumptis, ad ſanitatem perveniat. Ut autem ſecunda valetudo *ſalivationis* beneficio contingat, antè ſudor per auxilia ſuprapoſita octiduo movendus eſt, quam illam moliamur; & deinde *mercurius præcipitatus ruber*, ut ſupra mihi dictum eſt, in uſum adducendus. Quem ſervare expedit, donec per os continua ſaliva defluere incipiat. Eam verò venturam eſſe teſtantur capitis dolor, nauſea, vomitus, cardialgia, alia-

aliaque incommoda. Quod ſi magna intumeſcentia, aut modica putredo, cum aliis interdum vitiis in ore naſcitur, & nondum frequens in eo ſaliva eſt, medicamento mercuriali rejecto, recurrere oportet ad ſudores. In quibus ſubſiſtere opus eſt uſque, dum ſaliva citra ingentem oris tumorem, & ullam corruptionem profluat. Ubi hoc conſequuti ſumus, quotidie aut paululum, aut nihil ſupradicti remedii dari ſatis eſt, ut ſaliva blandè continua fluat. Si tamen evenit, ut ea rapidè decurrat; aut tumor magnus cum carne putrida ori accedat, quod periculoſum eſt in corpore vel ægro, vel ſenili, protinus potione ex rheo, quam capite decimo ſeptimo poſui, quoties neceſſè eſt, uti; & emplaſtrum de labdano, cujus compoſitionem capite tertio retuli, ſuper maxillam injicere convenit. Sub his etiam ſæpe tinctura gummi laccæ; vel, ſi ori caro putris abundat, aquâ in qua hordeum decoctum ſit, cujus libra mellis roſarum uncias tres, & unguenti Ægyptiaci unciam dimidiam habeat, calidè elui neceſſè eſt, cum eo, ut quo id, quod corruptum eſt, magis ab integro diducitur, hoc plus unguento Ægyptiaco ſubtrahatur. Purgatione rectè facta, cicatricem inducit decoctum hordei,

in

in cujus libra mellis roſarum unciæ duæ, & aluminis uſti ſcrupuli duo ſint, eodem modo adhibitum. Inter hæc lingua, ſi vehementer tumida inter dentium ſeries reſideat, calore ei ſervato, unà ad ſanitatem redit. Adhibitoque oris ſpeculo proſpicitur, ne buccis cicatrice contractis os claudatur. Aſt remaneat ſalivæ motus neceſſarium eſt, in quo medicinæ locus nullus. Item alterum incommodum, quo laborans minus facilè ſermonem explicat; & tertium, quod linguâ cibum ad fauces adduci prohibet. At ſalivæ quies per aurum ore retentum fruſtra quæritur, licet illud mercurio obductum reddatur. Siquidem hoc non fit, niſi in initio ſalivæ per inunctionem ex unguento mercuriali motæ. Præterea æger etiam in loco calido habendus eſt; & ex cibis caro aſſa minutim conciſa, vel panis bis coctus ex decocto ſuo, parcè dandus. Adhæc medicamenta, quæ mercurium habent, etiam extrinſecus adhiberi poſſunt: & quidem, 1, *unguentum mercuriale*, aliis *Neapolitanum* appellatum, quod conſtet ex *axungia porci*, cui quarta pars *mercurii vivi* terebinthinâ extincti mixta ſit, cujus drachmis duabus vel uncia dimidia articuli corporis ad ignem ſemel die perungendi ſunt. 2, *Pulvis cinna-*

*nabarinus* ad ſuffitum. 3, *Emplaſtrum mercuriale.* 4, *Zona mercurialis.* Et, 5, *lotio mercurialis.* Sed quia unguentum vario nomine reliquis formulis melius eſt; nec ſanè contemnendum, modò attendatur, ne ea, quorum in ſalivatione curandi ratione ſupra mentionem habui, incidant, compoſitiones poſteriores præterire libet. Tandem *ſudatio, & ſalivatio ſimul* adhibenda eſt ei, qui morbo Gallico repugnante, vel vetuſto laborat, cui non facilè opitulari eſt. Idem intellige de eo, qui antè alii traditus fuit: nam multùm intereſt, ab initio quis rectè curatus ſit, an perperam: quia curatio minus his prodeſt, in quibus adhuc fruſtra fuit. Cum jam ægri cura, uno è ſupradictis modo, habetur, ubi in dies phænomena morbi minuuntur, ſcire licet, eum cedere remediis. Deinde ubi ex toto tolluntur, ſanitatem reſtitutam eſſe, vulgò concipiunt medici. Quod tamen non omni dubio vacat: poteſt enim adhuc quiddam veneni ſubeſſe corpori, quod vel tempore verno, vel ubi quis nave longè vectatur, expeditur, & idem malum reſuſcitat. Itaque periti medici eſt, non protinus, ut omnia phænomena diſparuiſſe videt, medicinâ abſtinere, ſed juxta bonam victus rationem medicamentum

dare,

dare, quo æger adhuc aliquot ſeptimanis, vel menſibus, quantumvis modicè, utatur. Cujus rei causa *tincturæ lignorum*, ſyrupo canti albi, donec palato placeat, addito, ter die, cochlear unum exhibere ſatis eſt. Verùm ſcire convenit, quod quo quis diutius iſthâc tincturâ uſus eſt, eò facilius per remedium mercuriale ſaliva movetur, maximèque, ubi cœlum æſtuat & menſtrua, ſi mulier eſt, fluunt. Uſuque ſæpe venit, ut ſoli dolores revertantur, qui per eundem curandi modum finiuntur. Quod ubi non fit, eos arthritidis eſſe, conjecturâ proſequi licet. Proinde adverſus eos emplaſtrum è cantharidibus, ſi parti dolenti impoſitum habetur, donec deſinant, poteſt. Etenim interdum luem veneream cum arthritide, aliisve vitiis mixtam corpus habet. Aſt mali morbi teſtimonium eſt alvum fluere, vel ſanguinem currere. In quo caſu occurrendum ſemper vehementiori malo per ea auxilia, quæ ei prodeſſe uſu cognitum eſt. Jam tranſeundum eſt ad phænomena vel morbos à lue ſeparabiles, qui ferè, non ſemper, (nam non rarò gonorrhœa, ipſâ lue ſanatâ, remanet, ſanitatem non facilè recipiens:) dum ipſa curatur, per ſe finem habituri ſunt. His autem communia ſunt, quod, eo genere

re victus habito, qui ſupra comprehenſus eſt, præterquam quod cibis liberalius uti licet, æthiops mineralis, vel mercurius præcipitatus ruber dulcis ſumatur oportet. Quod non tantum in id, ut hoc vitium maturius ſolvatur, verùm etiam, ne ipſa lues ſequatur, præcipuè proficit. At propriè, a,) ad *gonorrhœam* pertinet, quam calidiſſimas eſſe partes genitales, easque abſtinendo ab exercitatione multum ambulandi, currendi, ſaltandi, equitandi, quieſcere. Venerem quoque inutilem eſſe judico. Porro, morbus hic rectè *aquâ Quercetani contra gonorrhœam*, quam ſic brevi tempore parare conſuevi,

℞ *pulv: dictamn.*
*irid: Florentin.*
*menth.* añ. ʒj.
*ſem: agni caſt.*
*ruth.*
*lactuc.* añ. ʒvi.
*terebinth: Venet.* ʒiv.
*vini albi* ʒxx.
*aquæ comm:* pintas aliquot.

*Deſtillentur per cucurbitam vel veſicam* ʒxx, *pro aqua Quercetani contra Gon:* curatur, cujus ſingulis temporibus matutinis antè agitatæ bina cochlearia aſſumi debent

bent. Vel in vicem ejus centum & viginti guttis olei terebinthinæ, radicem alcannæ contritam incoquendo colore rubro tincti, ex cereviſia uti commodiſſimum eſt. Vel hujus *conditi terebinthinati*, (quod etiam alvum movere, experientiâ conſtat)

℞ *terebinth. Ven.* ℥ij.
*vitell: ovor.* no. IV.
*pulv: liquirit.* ℥j.
*M.*

manè & veſperì bona portio devoretur ſic, ut ex toto octo diebus aſſumatur. E vino quoque, vel cereviſia dilui ſic, ut potio fiat, poteſt. Si alvus plus quam oportet fluit, laudano opiato unà dato cohiberi debet. Cui verò conditum illud ingratum eſt, vel neſcio quid incommodi facit, reſinæ inpulverem redactæ uncia cum duabus amygdalarum dulcium excorticatarum & bene tritarum miſtis, addito ſyrupo canti albi, donec eis conditi mollioris craſſitudo ſit, eodem modo temporeque utatur: dum inter hæc quotidie manè olei terebinthinæ guttas octoginta è vino pingui dulciori ſumit. Quibus auxiliis ferè intra diem decimum quintum ad ſanitatem pervenitur. Quam ubi protinus dolor in pene, dum urina redditur,

& alvo excipit, laudano opiato, cum oleo olivarum utendum eſt. Cum malum inveteraverit, tamen admota curatione brevi reſtituitur. Sed cauſam ejus oportet attendere. Nam ſi veneni culpâ id factum eſt, vel eo quod aliquis temere, medicamentis quæ adſtringendi facultatem habent datis, habitus eſt, eadem adjuvant. Sin remedia, quæ urinam movent, juſto diutius adhibita in cauſa fuerint, huic *pulverem adſtringentem ex reſina* uſu comprobatum compono. In eo ſunt,

℞ *reſinæ* ʒiij.
*boli Armen.*
*terræ ſigillat.* añ. ʒiß.
*croci mart: adſtring.*
*maſtich.* añ. ʒj.
*rad: tormentill.*
*rhabarbar.* añ. ʒß.
*flor: roſar: rubr.*
*balauſt.* añ. gr. xv.

*M. F. pulvis in* xiv. *partes dividend.*

E quibus quotidie tres, aut quatuor, vel quinque, interpoſito aliquo tempore, ex potu quotidiano devorari neceſſè eſt. Cui magis arridet potio, *lactis aluminis*, cujus hæc compoſitio eſt,

℞ *alum: crud: pulv.* ʒj.

*ſp*

*ſp: vini.* ℔ij.
*M. probè, tum adde*
*album: octo ovor: bene conq.*
*Et agita, donec ad lactis albedinem veniant:*

duo vel tria cochlearia ter die devoret. Hoc medicamentum etiam valentiſſimum eſt ad hoc vitium è morbo Gallico relictum; vel ubi per ſuperiora medicamenta ſanitatem non admittit. Non alienum etiam eſt oriculario clyſtere *aquam phagadænicam* antè agitatam & tepefactam, aliquoties die, in maribus per colem, & in fœminis per os vulvæ compellere. Illa verò fit ex *aqua calcis*, cui *mercurius ſublimatus*, donec ei color vitellinus ſit, in mortario vitreo, cum piſtillo ejusdem materiæ, terendo miſcetur. Vel ejus loco utiliter utetur aliquis *injectione aluminoſa*, in qua hæc ſunt:

℞ *troch: alb: Rh.* ʒiij.
*alum: crud.* ʒij.
*camphor.* ʒß.
*M. F. pulv: ſubtiliſſ: cui aff:*
*aq: comm:* ℥viij.
*vini Gall.* ℥ij.
*Et poſtquam aliquot horas loco calido ſtetit, detur uſui.*

Cujus aliquid ter die intus agi ſatis erit. At

qui ſupraſcripto pulvere, vel lacte; aut utrolibet horum ad rem recentem utuntur, parum modum curandi cognoſcunt. Sed in unciis quatuor aquæ plantaginis, *lapidis Alchymiæ*, cujus compoſitio in *Diſpenſatorio Amſtelredamenſi* comprehenditur, drachmam dimidiam conterere, eamque injectionem huic morbo inſanabili adhibere, commodiſſimum eſt. Inter hæc conſiderandum etiam eſt, gonorrhœa ſola ſit, an alia ei quoque mala accedant. Nam ſi, 1, *veneri* aliquis, eo quod ſemen deëſt, *idoneus non* eſt, huic morbo vetuſto mederi oportet; abſtinere à venere; ſibique non temperare, quo minus pleniore victu utatur. Et in ejusmodi valetudine medicamenta ſunt vinum & aromata: præcipuèque, ſi illud his conditum ſit, ejusque, interpoſito cibo, ſinguli cyathi ſorbeantur. Ubi convaluit aliquis, diu tamen alienus ei veneris uſus ſit. 2, Si *tentigo* tentat, colem fovere panno quadruplici, qui antè in aquam frigidam demittatur, aptum eſt. 3, Ubi *urina*, dum redditur, alicui *dolorem ingentem* excitat, laudani opiati granum ſemel vel bis in die, prout neceſſitas urget, dediſſe; lac dulcè tepefactum, cui olei olivarum adjectum ſit, ſi quis volet, per clyſterem in penem adegiſſe;

idem-

idemque lac ſubinde liberaliter bibiſſe, prodeſt. 4, Cataplaſma viſcidum, in quo ſint malva, bismalva conciſa, farina fœnugræci, aliaque ſimilia ex aqua cocta, poteſt in *phimoſi*, modò calidè, liberaliter, & immediatè circumdetur. Per id enim mollitur & extenuatur cutis ſic, ut reducenti paulatim pareat. Sed deorſum coles ad ventrem deligandus eſt; quod in omni curatione ejus neceſſarium eſt. Porro cutis ſi ob vetuſtatem non parebit, nam non vi experiundum eſt, an ſequatur, ſubter à ſumma ora inciditur recta linea uſque ad frenum; atque ita ſuperius tergus relaxatum cedere retro poteſt. Si ſub ea cute ulcera ſunt, clyſtere inter glandem cutemque aqua phagadænica inſerenda eſt. Sed cutis ipſa circumcidenda eſt, ſi glans ſub ea exeſa eſt. 5, In *tumore cryſtallino* valet *cataplaſma aromaticoviſcidum*, ſicut illud, quod in phimoſi propoſui, admovendum. Habet autem mentham, majoranam, origanum, flores meliloti, camomillæ, ſimiliaque conciſa, quibus farina lini, donec ſatis cohæreant, adjecta ſit. Ea verò ex aqua communi, non coquendo, ſed loco calido collocando in cataplaſma jungenda ſunt. 6, *Paraphimoſin* tumoris cryſtallini curatio finit. 7, Exequitur *ulceris*

*in itinere urinæ* curationem aliud unguentum, quod purget, & aliud, quod impleat. Illud verò ita fit; unguento basilico quinta portio pollinis mercurii præcipitati rubri miscetur: & hoc ita; in eodem unguento quarta portio terebinthinæ communis liquatur. Horum alterutrum fistulæ plumbeæ tenui illinendum est, & sic in iter urinæ demittendum. Deinde cicatricem inducit cinis tabaci, simili fistulæ aqua phagadænica madefactæ inductus, bisque die adhibitus. Iter verò istud prima vice fistulam ob cinerem ægrè recipit: id quod tamen deinceps facilè contingit. Quod si semper difficile factu sit, extremum tantùm oleo olivarum ungendum, & tum demittendum. Neque antè etiam hanc aquam immittere inimicum est. Inter hæc colis quoque contractio dissolvitur. Quod si ulcus ad exteriora penetrat, id impositò super unguento, quod paulò ante retuli, purgandum; deinde aqua phagadænica tepefacta eluendum, largiter inspergendum cinere tabaci, superdandum linamentum siccum, & linteolum oblongum emplastro tenaci illitum superinjiciendum. Experimentis autem cognovi, ad *caruncu-lam* in itinere urinæ nihil commodius esse, quam fistulas plumbeas, quotidie crassiores;

fa-

factas, capite tenuiori ultra eam, nisi aliqua res hoc prohibet, in iter illud demittere. Per eas namque brevi caruncula reprimitur, & deinde per cinerem tabaci, ut suprapositum est, ad cicatricem perducitur. Quod si caruncula fistulam supradictam non transmittat, meatum in eo angustum antè candelâ cereâ invenire, & crassiori factâ dilatare necessarium est. Quæ quo facilius ingrediatur ex oleo olivarum illinenda est. b, Ad ulcera, quæ vulgò *chancres* appellantur, si sordida sunt, mercurii præcipitati rubri aliquid, & unguenti basilici dimidio plus, simul miscentur, idque super ea injicitur, donec rubra adeoque pura sunt. Ubi tum caro deest, unguento basilico, cui terebinthina communis addita sit, repleri debent; deinde ad cicatricem emplastro vulgari ad id apto perduci. Hoc etiam faciendum est, ubi pura sunt. Verùm si exigua existunt, sive parum sordent, sive rubent, aqua phagadænica sæpe die elui, & sic sanari possunt. c, Discutit autem *testiculum venereum* emplastrum de ranis cum duplici mercurio, quo membranula largiter illita latè imponitur, tum superinjicitur vinculum: calore parti affectæ per vestem diligenter servato. d, Si homini *bubo venereus* ortus est, proficit

*ceratum de cœpis* capite tertio propoſitum, cui quarta vel ſexta pars mercurii vivi terebinthinâ extincti adjecta ſit. Qui mavolet *cataplaſma*, is eo, quod *è cœpis* capite quarto componitur, utatur. At emplaſtra, quæ adurendo veſiculas concitent, vel vehementer calefaciendo attrahere dicantur, ejicienda eſſe puto. Quod ſi pus in eo ortum eſt, quod deprehenditur, ſi mollis ſit, prementi renititur, & dolor premit, incidi magna plaga debet, ut exitus detur. Nunc illud adjicio, non ut ulcus citò impleatur, eſſe properandum. Cujus rei cauſa diu linamentum involutum & oblongum, cui ex unguento baſilico illitum ſit, in plagam injiciendum eſt; cæteraque eadem, quæ in aliis tumoribus, quando aperti ſunt, ſuperinjicienda. e, Si *carbunculus venereus* aliquem corripit, ceratum vel cataplaſma de cæpis, quorum jam mentionem feci, valens in eo eſt. Ubi poſt alterutrum ex iis caro vitioſa in puſtulis divulſis, aut foramine magno, oculis noſtris exponitur, unguentum baſilicum linteo inlinitur, & ſic imponitur, ſupraque ceratum ſive cataplaſma illud injicitur. Cum hoc à viva corruptam carnem reſolvit, hanc vulſella prehenſam ſine dolore extrahi oportet; ulcus re-

relictum purgari; ſinum impleri, per ea medicamenta, quæ ſupra in *chancres* adhibenda eſſe præcepi; & emplaſtro vulgari epulotico cicatricem induci. f, *Pilorum fluxui* poteſt ſuccurrere ſupraſcriptum unguentum Neapolitanum, ſi ex eo ſemel die locus, è quo pili excidunt, parcè ungatur. g, Utilis eſt adverſus *ulcera* è veneno venereo, quæ ſunt in ore, in baſi linguæ, in faucibus, collutio oris vel gargariſma, purgandi cauſa aqua phagadænica, cui ſatis mellis albi adjectum ſit. Ubi pura ſunt, etiamnum tribus vel quatuor ſeptimanis in hac aqua, remoto melle, permanendum. Quâ cum ſaliva parum moveatur, inter hæc minus ſalis mercurialis detur neceſſè eſt. Si ſub his parum proficitur, tranſeundum eſt ad aquam calcis albentem, cui pars octava lapidis calaminaris quam optimè triti mixta ſit; idque ſæpiſſimè die admovendum ſic, ut etiam quater die aqua phagadænica adhibeatur. Quod faciendum eſt, donec ulcera ad cicatricem perveniant. Cum ulcera mercurii abuſus fecerit, eo in totum expulſo, è *decocto* valentiſſimo *ſalſæparillæ antimoniato*, quale hoc eſt,

℞ *rad: ſalſæparill: opt: conciſ.* ℥x.
*raſur: lign: guajac.* ℥ij.

*pulv: antimon: in pet: lig.* ℔ I.
*Poſt juſtam infuſion: ex aq: comm: coq:*
*ad* ℔ VI, *additâ, ſub finem decoctionis,*
*liquirit: raſ.* ℥j:
*& F. colat.*

quotidie, quantum æger poteſt, ſumat, dum in conclavi calido vivit. Eodem modo etiam *bochetum*, quod è *reſiduo præcedentis decocti*; additis *rad: ſalſæpar.* ℥ij. *raſur: lign: guajac.* ℥j. *rad: liquirit: raſ.* ℥ß. *ex aq: comm: ad* ℔iij *cocto*, paratur, aſſumendum eſt. Præter hæc ad ulcera purganda mulſo dulciſſimo, adjecta quarta parte aquæ, in qua plurimum raſuræ ligni guajaci diu decoctum ſit, gargarizari oportet. Si per hoc ulcera purgata ſimul ad cicatricem non perducuntur, gargarizationes ex aqua calcis albida cum lapide calaminari fieri debent. Si hæc non ſatis efficacia ſunt ad ea ſananda, balſamum ſulphuris terebinthinatum penicillo è filis laneis ſæpe die illini neceſſè eſt, quod & viſcidum diſſolvendo repurgabit, unàque cicatricem inducet. Narium ulceribus conveniunt purgandi & implendi cauſa medicamenta in *chancres* deſcripta, juxta unguentum epuloticum aquâ phagadænicâ ad cicatricem inducendam adhibitâ. Ubi ulcera in ano vel uteri cervice ſunt, eadem

fa-

facienda, quæ in naribus affectis proximè expoſita ſunt. Quod ſi corpus in cute ulceribus affectum eſt, eadem quoque neceſſaria ſunt, niſi quod ad ea cicatrice obducenda emplaſtri formula melior ſit. Sed ubi ulcera cum oris calloſis ſunt, *emplaſtrum citrinum* præferri oportet. Quod hoc modo fit,

℞ *reſin:* ℔ I.
*ceræ citrin.* ℔ ß.
*axung: ovis* ʒ IV.
*terebinth.* ʒ ij.
*F. L. A. empl.*

Adhæc hujusmodi ulcera, ſi ſanitatem difficulter recipiunt, ſuperioribus medicamentis haud neglectis, hoc *pulvere cinnabarino*,

℞ *maſtich.*
*thuris* aã. ʒ ij.
*benzoin.* ʒ j.
*cinnabar: factit.* ʒ iij.
*M: F. pulv.*

ſuffumigari debent, cujus paululum bis die in prunam conjicitur, & fumus per infundibulum ad ea deducitur. Atque adverſus omnium generum ulcera, ſive pura, ſive putria vel viſcida, vel ſine ſinubus, vel cum iisdem, hoc ungentum

pur-

purgandi, replendi & curandi gratia, proficit,

℞ *empl: diapalm.*
*ung: basilic.* añ. ʒ ıß.
*præcipitat: rubr.* ʒ vı.
*F. S. A. ung.*

Si ulcera per hoc non satis repurgantur, præcipitati rubri pondus augere necesse est, donec ad uncias tres perveniatur. Ante omnia verò scire convenit, minus salis mercurialis, dum superiora medicamenta, in quo mercurius est, admoventur, dandum esse. Est enim ea moderatio aptissima, ut neque saliva per mercurium moveatur, & tamen corpus ad pristinum statum revertatur. Gonorrhœam verò internam eodem modo, quo externam, ad sanitatem perduci opus est. h, Si *carnes excrescentes* sunt, ab hoc *unguento corrosivo*,

℞ *ung: popul.* ʒß.
*lapid: hæmatit.* ϑı.
*mercur: sublimat.* ʒij.
*opii* gr. xv.
*F. L. A. ung.*

auxilium petere abundè est: per quod duodecim horis, quantumvis cum dolore, & inflammatione tumidâ crusta altè inducitur.

Et

Et cum remedia fluida, quæ corpus erodunt, ut sunt butyrum antimonii, & oleum vitrioli, minus prosint, tamen posterius carni faucibus innatæ, si eo aliquoties die per penicillum illinitur, optimè succurrit. Deinde unguentum basilicum à viva carne crustam resolvet; sed in faucibus aqua phagadænica, melle albo adjecto. Eademque toties facienda sunt usque, dum caro omnis consumpta sit. Tum ea medicamenta, quæ ulcera venerea, sanabunt. i, *Condylomatis glandulosis* aliquid admovere necesse non est, quippe quæ sanatio luis venereæ finit: quanquam eò, ubi non satis promptè solvuntur, emplastrum de ranis cum duplici mercurio conferat. At cum humidæ sunt, id cum pari portione emplastri diapalma miscere satis est. Itaque medicamentis quæ adurunt, non egent. Sed ubi induruerunt, hac ratione curantur. Vulsella tuberculum apprehensum juxta radices exciditur; & sanguine suppresso, reliqua curatio talis esse debet, qualis in ulceribus adhibetur. *Condylomatum carnosorum* eadem ratio medicinæ est, quæ contra glandulosa supraposita est. Per quam si parum proficitur, ea adurentibus medicamentis illinere, donec emoriantur, & excidant, licet. l, Ad *tophos* valet

let emplaſtrum de ranis cum quadruplici mercurio: quin veſicatoria. At remedia opiata nocent, quamvis dolor vehementer cruciat, quippe cum medicamentum mercuriale eum longè melius levet. m, In *carie oſſis*, ſi abſceſſus ſit, tumorem totum, niſi ſit in fronte, incidere oportet, ut os vitioſum in conſpectum detur; ſuper cariem recentem inſpergere pulverem ex contritis radice ariſtolochiæ rotundæ, & iridis Florentinæ; ſuper mediocri vetuſtate occupatam, radicem angelicæ contritam; & ſuper vetuſtam euphorbium bene tritum, cujus vim ſuſtinere prior non poteſt, adjecto alicui horum mercurio dulci; & quicquid inſperſum eſt, ſuperdare emplaſtrum de ranis cum duplici mercurio. Quin ſimul bis die admoto ferramento os adurere, ut ex eo ſquama ſecedat. Id verò radere, donec jam aliquid cruoris oſtendat, quæ integri oſſis nota ſit, non laudo. Adhæc non ignorare convenit, vitium oſſi à pure abſceſſus illatum, ſi pulvere radicis angelicæ reſpergatur, nonnunquam aliquot ſeptimanis curari ſic, ut nihil emortui ab integro reſolvatur. Item, cum os palati ob cariem ſublatum eſt, aliud argenteum arte adaptari poſſe, quod non ſpongiæ, ut quæ fœ-

torem

torem contrahat, ſed peſſuli è chalybe beneficio foramini relicto inſerendum venit.

## CAPUT XXV.

### *De paralyſi ſanguinea.*

EX eupeptorum uſu, ſanguine integro, ſtomacho multum valente, & anguſtia viarum, quibus materia quædam, quæ lædere videtur, ejici conſuevit, in adultis, ſanguinis abundantia, quam *plethoram ad vaſa* vocant medici, naſcitur. Ea verò certiſſimè cognoſcitur, ſi *paralyſis ſanguinea* eſt: etenim indicia, quæ vulgò proponuntur, admodum incerta ſunt. Siquidem ſanguis, qui abundat, non modò *plethoram ad vires*, vel *habitum athleticum*, in quo homo ad ἀκμὴν ſanitatis pervenit, creat; ſed & tardiſſimum muſculis motum, quam *paralyſin* ſanguineam appellare quid vetat? infert. Quando muſculi ſunt præcordiorum, hæc paralyſis *interior* contingit; ſi membris ſunt inſerti, *exterior*. Quarum igitur *cauſas remotas* initio hujus capitis comprehendi; & ab iis profectam *proximam*, quæ ſanguinis abundantia eſt, protinus ſimul jun-

xi. Hoc autem *vitium interius* has notas, quæ vehementes terrent, habet: ſpiritum difficilem, anguſtiam præcordiorum, pulſum parvum & debilem, corporisque imbecillitatem. Proinde remedium promptum requiritur, quod eſt ſanguinem mittere: præſens namque in eo præſidium eſt. Sed hæc medicina in biduum dividenda eſt. Satius eſt enim primum levare ægrum, deinde perpurgare, quam ſimul omni vi effuſa fortaſſe præcipitare. Optimèque is mittitur ex vena in brachio, aut juxta talos, quæ maximè tumet, & tangentem non ſubterfugit, cui nec arteria, quæ motu; nec tendo, qui duritie ſe oſtendit, ſubſit. Nam ſi hunc ſcalpellus attigit, ſequentur dolor maximus, inflammatio, gangræna, aliaque ſymptomata; & ſi arteriam, vehemens ſanguinis curſus. Quemadmodum autem vena ſecanda ſit, quidque ſectis his faciendum, vel lippis & tonſoribus notum eſt. Cæterùm ubi *vitium exterius* eſt, membra tardiſſimè moventur ſic, ut crus affectum vix, ac ne vix quidem attollere & promovere aliquis valeat; & ſi brachium invaſit, id non elevare, nec manu aliquid apprehendere, ſicut naturaliter oportet. Præter hæc eædem partes non graciliores, nec frigi-

gidiores ſunt, ut in alterius generis paralyſi fieri videmus; ſed potius obeſiores, & calidiores reperiuntur. Hoc autem genus etiam promptè ad ſanitatem perducit ſanguinis detractio, & quidem è membro læſo facta. Ac, quod annotatu dignum eſt, interdum, ubi hæc paralyſis levis eſt, ſanguinis miſſionem protinus dolor ingens ſequitur, paulòque poſt per ſe finitur. Utplurimum, ſanguine detracto, morbi reliquiæ remanent, neque aliter maturè eliduntur quam victus ratione. Ea eſt cibus homini utpote pleniori tenuis datus; & abſtinentia. Ergo adhibenda interdum diem unum, quanta ſuſtineri poteſt, inedia eſt. Neque ſimul uſus ſalis volatilis oleoſi inutilis eſt. Licet dolor nos aliquando cogat plus ſemel pilulam Starkeijanam aut theriacam cœleſtem (videſis caput ſextum:) dare. Ubi æger ad ſalutem perductus eſt, ſuprapoſita victus ratione, & ſanguinis miſſione quotannis vere facta, ſecuritatem totius vitæ conſequi poteſt. Porro non à re alienum eſt, hoc loco paucula de venæſectione, quam φλεβοτομίαν Græci vocant, dicere. Cujus verò genera plura ſunt: eſt namque primò *minuens*, quam nimia ſanguinis abundantia exigit: etiam is ſanguis, qui noxius

eſt, ut in emiſſi locum alius è cibo ſalubriori melior ſurrogetur. Id quod in melancholia, in morbis hereditariis, aliisque, ubi ſanguis univerſus lædit, proficit. Deinde eſt venæ ſectio *attenuans*, qua juxta talum ex pede ſanguis craſſior, qui per partes corporis inferiores fertur, emittitur, ut reliquus tenuior evadat. Ea ad menſtruorum ſuppreſſionem, arthritidem, aliaque id genus vitia poteſt. His adjicere licet phlebotomiam *incraſſantem*, quando ſanguine tenuiori è brachio detracto, is qui manet in corpore, craſſior fit. Hoc adverſus febrem ardentem, ſanguinis fluxus, pleuritidem prodeſt. Hinc ſanguis utilius in regionibus calidis, quam frigidis mittitur. Jam è ſupradictis apparet, ſomno, ſi vena ſanguinem incraſſandi cauſa inciſa eſt, uti licere, dum ſub eo cura habeatur, ne, coitu ejus reſoluto, iterum ſanguinem fundat: non uti, ſi id non alio nomine, quam quod eum extenuat, factum eſt. Quod verò ad phlebotomiam *derivantem*, & *revellentem* pertinet: veterum more receptum eſt, illam experiri, ſi ſanguis ex ea parte, cujus cauſa fit, aut certè quam proxima, mittitur. Et revellentem, cum quam longiſſimè inde, ubi lædit, mittitur. At hæc ab eo tempo-

re,

re, quo ſanguinis circuitus repertus eſt, jure ut vana repudiantur. Sed præcipua in hoc ars eſt, quæ non annos numeret, neque conceptionem ſolam videat, ſed vires æſtimet, & ex eo colligat, detractionem aliquis ſuſtineat, an eâ affligatur: nam imbecillum corpus facere poteſt, non poteſt integrum.

## CAPUT XXVI.

### *De ulceribus in genere, & de iis, quæ in pulmone conſiſtunt.*

QUando ob cœlum aliquod; ob cibos potionesque; ob ſomnum & vigiliam; ob corporis motum & quietem; obque animi paſſiones contingit, ut particulæ noxiæ in ſanguinem veniant, vel in eo natæ remaneant, eum ſimiliter noxium efficiunt, quam κακοχυμίαν Græci nominant. Atque hujus quoque pro particularum diverſitate diverſæ ſpecies ſunt ſic, ut alia ſit viſcida, alia ſalſa, alia acida, alia alkalina, alia aquoſa. Quæ omnes ſimplices dici poſſunt: è quibus compoſitæ fiunt, quando inter ſe miſcentur: ſic cacochymia viſcidoſalſa, aliæque ſunt. Sicut verò in illa victus ra-

tione *cauſæ remotæ* ſunt poſitæ, ita hæc cacochymia *cauſam* ulcerum *proximam* conſtituit. Etenim cum in aliqua corporis parte vel abſceſſus aperitur, aut vulnus evenit, aut aliud vitium, in quo corpus divellitur, incidit, id ob cacochymiam in vetuſtam diviſionem, quæ *ulcus* appellatur, degenerat: quamvis illud *ſitu vitii*, & *imperitia curantis* etiam fieri poſſit. Ut autem plures hujus morbi differentias, quæ ad rem non pertinent, præteream, eas duntaxat proponam, ob quas aliter aliterque curari ulcus oporteat. Proinde differentiam petemus, A, à *ſpatio*; B, à *loco*. Ratione *ſpatii* eſt vel *recens*, quod facilè ſanitatem recipit; vel *vetuſtum*, quod difficulter. Nam ubi vetuſtas ulcus occupavit, quicquid medicamentorum ingeritur, ſæpe parum proficit. Et ſi curatio ſequitur, antequam cicatrix inducitur, utplurimum febris aliquot dierum, vel cachexia, vel aliud mali genus exoritur. Quæ incommoda exercitatione, qua digeretur materia in ſanguine noxia; & purgatione, qua eadem ex eo ejicitur, prævenire licet. Reſpectu verò *loci* ulcus eſt vel *interius*, quod aliqua corporis parte interiori corrupta naſcitur; vel *exterius*, quod extrinſecus per vulnus, am-

ambuſtionem, aliaque ſimilia incidit. Præcipua *ulcera interiora* ſunt, 1, *in pulmone*; 2, *ad interiora pectoris pervenientia*; 3, *ad inteſtina penetrantia*; 4, *in ſtomacho*; 5, *in inteſtinis*; 6, *in renibus*; 7, *in veſica*; 8, *iu fiſtula urinæ*; 9, *in genitali fœminarum*, & *vulvæ cervice*. 10, *Exteriora* potiſſimum ſunt diverſa α, pro *cacochymia*; β, pro *parte affecta*; & γ, pro *figura*. Pro *cacochymia* verò ulcus eſt, 1, *viſcidum*; 2, *dolorificum*; 3, *putridum*; 4, *noma*; 5, *phagadænicum*; 6, *cancroſum*; 7, *virulentum*; 8, *hyperſarcum*. Pro *parte affecta* ulcus eſt, 1, in *locis carnoſis*; 2, *tendinoſis*; 3, *os contingentibus*; 4, *juxta articulos*; 5, *in partibus glanduloſis*; 6, *in oculis*; 7; *in ano*; 8, *in umbilico*; 9, *in auribus*; 10, *in palpebris*; 11, *in naribus*; 12, *in labiis*; 13, *in ore*; 14, *in cruribus*; 15, *in manibus*. Pro *figura* ulcus eſt, 1, *cum oris tumentibus*; 2, *planum vel ſinuoſum exſudans humorem aliquem*. In ulceribus autem, quæ *interiora* ſunt, ante reliqua numero *ulcus in pulmone*, cujus rationem curationemque capite vigeſimo primo, in *lenta corporis extenuatione* exequuti ſumus.

## CAPUT. XXVII.

### *De ulceribus, quæ ad interiora pectoris perveniunt.*

ULcus, quod ad pulmonem penetrat, vulgò, ſed perperam, *fiſtula* vocatur. Perperam, inquam, quia ei quantumvis vetuſtiſſimo, callus nunquam inductus reperitur. Sed hoc paulatim in ejus orificio evenit ex diutino uſu fiſtulæ plumbeæ, vel etiam linamenti involuti & oblongi. Utplurimum ſequitur ex *abſceſſu*, qui vel in exteriori pulmone, vel inter membranam pleuram & muſculos intercoſtales ſedem habeat: & quidem potius ob morbi *ſitum*, qui liberum omnis puris exitum impediat; quam *cacochymiæ* culpâ. Rarò ex vulnere incidit, quod aut ſine, aut cum pulmonis læſione coſtas tranſiit: plerumque propter *cacochymiam*: quamvis ubi vulnus ad inferiora tendit, *ſitus* quoque eò confert. Etiam interdum curantis *imperitia* in cauſa eſt, cum implicito linamento ultra juſtum tempus utitur. Suprapoſitum ulcus cum difficultate curatur, quam præcipuè reciprocus muſculorum intercoſtalium motus facit. Inprimis

mis ſi coſtam, quæ juxta eſt, ſimul caries occupavit: ante cujus curationem non eſt, quod ſanitatem expectemus. Præterea tutius eſt in anteriori pectore quam dorſo, in quod rariſſimè incidit: non quo perniciosior ibi res ſit, ſed difficili curationi locum faciat. Quæ præſertim evenit, quia pus non liberè exit. Cujus rei eſſe plures cauſæ poſſunt. Id enim fieri poteſt, vel quoniam coſtæ inter ſe contingunt, ut a poſteriori pectoris parte; vel quoniam ulceris orificium in ſummo pectore eſt, & ſinus in imo; vel quia ipſum ulcus ultra debitum anguſtius habetur; vel quia pulmo pectori ab interiori parte, juxta ulcus, agglutinatus eſt; vel quia ulcus ſub cute aut muſculis transverſum fertur, adeoque foramen, quod in cute conſpicitur, non contra id eſt, quod coſtas tranſit; vel denique, quando ulcus, licet recta intus tendat, tamen non reſpondet ei, quod in pulmone, ſi in eo ſit, eſt. Ubi pus non liberè profluit, ſed intus coit, adeſt *febris hectica*. Experimentis etiam cognitum eſt, poſt ſanitatem redditam, aliquo tempore interpoſito, cicatricem iterum rumpi, ulcusque renovari poſſe, aut quia paululum puris intus in pectore manſit; aut quia de novo aliquid puris, ulcere in-

tus non bene ſanato, concitatum eſt; aut quia cicatrix non ſatis confirmata fuit. Ejusmodi verò ulcus deprehenditur, ſi ſpecillum ex ferro, vel argento, vel plumbo, vel oſſiculo balænæ factum per ulcus ad interiora penetrat, quod facilè fit, ſi id rectum eſt. Si id inſuper latè patet, aër etiam tranſit, quod vel ſonus, vel plumulæ ulceri impoſitæ motus teſtatur. Verùm ſi ulcus transverſum eſt, non aëris tranſitus fit: illud tamen ad pulmonem tendere, eo quod multus humor fertur; aut intus antè aliquid abſceſſit; aut ex febre hectica comite, conjectura proſequimur. Dixi de morbi natura, nunc tranſeundum eſt ad curationem, quæ ob *bonam victus rationem*, & *medicamenta interna* contingit, dum id agitur, ut *pus expeditè extrinſecus emittatur*; *ulcusque purgetur*, *repleatur*, & *ad cicatricem perducatur*. Eſt autem *bona victus ratio*, cum æger in loco tepido habetur; pinguia, id eſt, juſcula carnium cum adipe; oleum olivarum in cereviſia cum pane cocta, addito paulo ſacchari, ſumit; cibis utitur, qui facilè concoquuntur, cujusmodi ſunt lactaria, ova mollia, carnes ex animalibus junioribus vel jurulentæ, vel elixæ, vel aſſæ, aliaque ſimilia. At acida, viſcida, & aquoſa;

ſa; ut &, aromata inimica ſunt. *Interna* verò *medicamenta* hæc ſunt: ſi *cacochymia viſcida* eſt, *decoctum lignorum*, quod in lue venerea capite vigeſimo quarto relatum vel alvum leniter ſolvat, vel non ſolvat, aptiſſimum eſt. Si *cacochymia alkalinoaquoſa* lædit, hoc *oxymel*, quod urinam citet,

℞ *ſabin.* M. iv.
*aceti*,
*mell: alb.* añ. ℔ij.
*Coq: ad conſiſt: ſyrupi tenuioris, & colatura detur uſui.*

convenit, cujus ter die duo cochlearia dantur. Sæpe *cacochymia ſalſa* nocet, in quo caſu hæc potio maximè idonea eſt: ſtercus ovinum ex ſero lactis ebutyrati decoquitur, donec ei pultis craſſitudo fiat. Tum expreſſo per linteum rarum pari portione oleum olivarum miſcetur: è quo ter die duo vel tria cochlearia devorantur. At cum *cacochymia acida* affligit, alkalia terreſtria puta oculi cancrorum, corallia, elixir proprietatis dulce, cujus compoſitionem capite quarto propoſuimus, proſunt. Tandem, quando ſcire non licet, qualis cacochymia aliquem habeat; aut tardè ſanitas datur, hujusmodi *apozemate vulnerario*

℞ *radic: consolid: maj.*
*solidag: Sarracen.* añ. ʒij.
*herb: veronic.*
*sanicul.*
*verben.* añ. M. 1.
*summit: hyperic.* p. 1.
*Coq: ex aq: comm: ad* ℔ 1 ß, *colat: add:*
*syrup: de symphit.* ℥ 1 ß vel ℥ij.
*M.*

uti ad rem pertinet, cujus subinde homo cyathum calefactum bibat sic, ut triduo omne sumatur. Inter hæc medici cura esse debet, ut *expeditus puri exitus detur*: quod evenit, 1, si *ulcus ad pulmonem usque* radice calami aromatici vel gentianæ in modum collyrii circumcisâ, *dilatetur*. Quæ radix has animadversiones habet, ut nunquam crassitie sua ulcus ex toto claudat; ut, quo facilius ingrediatur, unguento basilico illita calidè demittatur; usque adeo longa sit, ut ejus caput tenuius ad pulmonem, vel in sinum perveniat. Sed linum deligare ad eam necessarium non est, nisi cum ulcus recta intus fertur, ac dilatationem jam expertum est. Atque medulla sambuci compressa ulcus ampliare periculum affert, ne dum humore excepto distenta extrahitur, abrumpatur. Tamen hoc evitari licet, si

se-

ſecundum longitudinem acu trajicitur linum ducente, cui à parte tenuiori nodus injiciatur. Spongiaque ei rei adaptata ulcus amplius, quam eſſe oportet, reddit. Et idem per medicamentum, quod corpus exeſt, efficere, periculo non vacat. Cum ulcus hac ratione magni calami ſcriptorii amplitudinem explet, ab hoc opere deſiſtendum eſt. Porro, ſi id recta vel transverſum tendit ſic, ut ſimul tortuoſum ſit, fiſtulam flexibilem argenteam ad ſimilitudinem catheteris flexilis fabricare, eaque quotidie craſſiori, demiſſa diducere convenit. Ubi adeo tortuoſum eſt, ut iter invenire vix liceat, id candelâ cereâ explorare, eâque quotidie craſſiori factâ ampliare commodiſſimum eſt. Quin quo faciliùs illabatur, oleo olivarum ante inungi expedit. Deinde, 2, ad *expeditum puris exitum* uſus fiſtulæ plumbeæ, aut, ſi flexus reperiuntur, argenteæ flexilis neceſſarius eſt, cujus pars tenuior ad interiora pertingat, & altera recurvata in exteriorem partem labra habeat, ne tota intus delabatur. Super illam verò inditam emplaſtrum tenax imponi, & pannum quadruplicem cum vinculo, quod contineat, nec adſtringat, ſuperdari oportet. Sed medium emplaſtrum foramen habeat, quod

fistulæ foramini respondeat. Tum, 3, a
*liberiorem puris effluxum* æger ita collo
candus est, ut ulcus devexum sit, sive e
tempore, quo id ligatur, sive tempore inter
medio, utique quoad fieri potest. 4, *Caus*
*tollendæ sunt, quæ liberum puris exitum pro*
*hibent.* Igitur si costæ se inter se contin
gunt, periostio ibi abraso, os modiolo exci
dendum est. Si ulceris orificium in summo
pectore est, paulò supra diaphragma inter
duas costas scalpello incidi commodum est,
nisi magnopere aliqua res prohibet, Cum
ulcus angustius est, quam ut pus facilè trans-
mittat, illud suprascripto modo amplius ef-
ficere expedit. Ubi exulceratio pulmonis
& pectoris ea sanescendo jungit, quod cog-
noscitur specillo, vel ex impedito puris exi-
tu colligitur, eas partes demissâ spongiâ,
quæ ex aqua calcis expressa, & in modum
collyrii lino circumdato compressa & sicca-
ta sit, disjungi oportet. Hæc autem spon-
gia adeo tenuis sit necesse est, ut ex facili
inter pulmonem & interiorem pectoris par-
tem intus dari queat. Si ulcus sub cute aut
musculis flexum habet sic, ut foramen,
quod in cute est, non contra alterum inte-
rius reperiatur, hæc cutis vel sola, vel u-
nâ cum musculis incidi debet, quo sic re-
cta

cta via pus effundatur. Cæterùm ſub his *ulcus purgandum eſt* melle albo aqua communi diluto, eoque clyſtere intus tepidè adacto. Cui etiam balſami ſulphuris terebinthinati guttas aliquot inſtillare ſatis eſt, magis eo, quod ſimul *carnem nutrit*. Hujus rei cauſa, cum ex ſpatio ulcus purum eſſe conjectamus, minus mellis addere neceſſarium eſt. At illius medicamenti loco, ubi ulcus non altè tendit, ei guttas aliquot balſami ſulphuris terebinthinati purgandi & implendi cauſa injicere non alienum eſt. Hisce verò ſeptimana una aut altera adhibitis injectionem ad ſanandum ex ſpiritu vini, eo qui è ſulphure aut vitriolo diſtillatur acidiuſculo facto componere oportet. Per eam verò inter initia ferè quædam concreta in pure cernuntur, quod deinde æquale & tenue fit; & non niſi in cute levem dolorem momento decedentem movet. Et quidem hujus uſus idem eſt, qui prioris, quorum alterutro non utendum eſt ante, quam ulcere deorſum collocato, æger aliquoties tuſſim excitaverit. Inter hæc etiam prunas juxta habere convenit. Aliquando incidit, ut vaſe lymphatico aperto lympha feratur. Cui rei hoc remedium ſubacidum non opitulatur, quippe quod hunc humo-

rem

rem percraſſum reddit, efficitque ut minus profluat. Balſamique martialis, cujus compoſitionem capite quarto poſui, ſimilis effectus eſt, ſi eodem modo, quo balſamus ſulphuris adhibetur. At oriculario clyſtere aqua, in qua parum radicis conſolidæ majoris decocta ſit, intus compulſa, ſuperiori apozemate unà dato, brevi hoc malum vincet. Sed cognitum eſt experimentis ſub finem curationis fiſtula remota implicitum linamentum injici debere. Nam ſi poſt hoc non plus puris provenit ex ulcere, id ad cicatricem perductum iri ſignum eſt. Verùm ſi pus ſe copioſius oſtendit, ad fiſtulam recurrendum eſt. Quando jam cicatricem venturam ex illo ſigno apparet, linamento vel fiſtulæ aliquid quotidie demendum eſt, donec ex penicillo tenuia quædam imponere licet, quibus tandem ulcus ad cicatricem perducitur. Quum vetuſtate extrinſecus calloſum fit ulcus, tum exedentibus medicamentis opus non eſt, quoniam ſine his facilè ad cicatricem veniet. Quin hujusmodi ulcus nunquam iis eget, quia ſemper interiora callo vacant. Si caries ſit, curari debet, ſicut in ulterioribus, ubi eam comprehendam, præcipietur. Quando ulcus renovatur, eadem faciendaſunt, donec iterum

rum ad ſanitatem perveniat. Et quia hoc modo vera ſanitas reddi poteſt, uſus fiſtulæ plumbeæ, vel globuli, qualis in fonticulum demitti conſuevit, perpetuus non requiritur. Ut etiam neceſſè non eſt, ſi inter coſtas ulcus ſubterit, eo loco coſtam ab utraque parte præcidere, & eximere. Quod quàm difficile factu, quàm doloroficum, quàmque periculoſum ſit, chirurgiæ peritis judicandum relinquo.

## CAPUT XXVIII.

### *De ulceribus, quæ ad inteſtina penetrant.*

ULcus autem, quod ad inteſtina pervenit, utplurimum ex abſceſſu contrahitur, *ſive* is fuerit in aliquo viſcere, quod peritonæum contingit, id eſt, hepate, ſtomacho, inteſtino colo; *ſive* in alio interiori, ut eſt, lien, ren, meſenterium; *ſive* ſuper muſculos pſoas. In priori verò cacochymia ferè abſceſſum in ulcus convertit; & in inſequentibus ſitus. Ulcus aut *in inguine*: aut *ſupra id* ſedem habet, & quidem vel *à parte interiori*; vel à latere *ſupra ſupercilium oſſis ilium*; vel à parte poſteriori *in*

*lum-*

*lumbis.* Quod ſi in his reſideat, vel in exteriorem partem *ad ſpinæ latus* tendit; vel deorſum *inguen verſus* fertur; vel infra illud *in femur ſummum* deſcendit. In quibus caſibus, qui diu trahunt, vix ac ne vix femur extendi poteſt, ſed inguen quaſi contractum eſt, ita ut æger pronus ambulare cogatur. Etiam ſupradictum ulcus *è vulnere* alicujus viſceris interiori, quod lethale non ſit, vel ob malum corporis habitum, vel ex mala curatione, ſequi poteſt. At ſæpe quoque unum pluresve *vermes* illud facere, præcedente aut *abſceſſu ſupra inguen*, aut *corruptione in inguine*, de quibus capite quarto retuli, experientia docet. Præterea difficulter ſanatur, ubi ſupercilio oſſis ilium, ſub quo pus coiit, adeſt; aut in ſummum femur, quo pus altè fertur, pervenit. Periculumque affert, quod permagnum eſt; vel quod ex viſceris alicujus nobilis puta hepatis, ventriculi, lienis, alteriusve abſceſſu natum eſt, præcipuèque, quia ob febrem aliamve cauſam ſanguine nimis fermenteſcente vas aliliquod aperiri poteſt, ſanguinem ſubito aut paulatim cum anima effundens. Reliqua verò, quæ vel ob vulnus non letale; vel ob lumbricos contingunt, ſi rectè curantur, & facilè ſanitatem admittunt, & tuta ſunt.

Por-

Porro ulcus ad inteſtina penetrans ſpecillo ſignificatur, præterquam cum via flexus habet. Tum enim ejus rei aliæ notæ ſint neceſſè eſt. Sed in quamnam partem interiorem tendat, ex loco optimè colligitur. Et cum à vermibus proficiſcitur, vel ex ulcere ipſo vivos prorepſiſſe, vel emortuos ejectos eſſe, videmus. Huic autem ulceri, cujus naturam hucusque comprehendi, adjicienda curatio fermè eadem eſt, quæ ad pulmonem pervenienti adhibetur. Siquidem eadem victus ratio habenda eſt, & eodem apozemate vulnerario utendum. Quin ubi homo corrupti habitus eſt, interdum aliquot è pilulis de gummis purgantibus, capite tertio propoſitis, dejectionis cauſa dandæ. Inter hæc etiam nihil facere oportet, quo minus, quicquid eſt puris, exeat. Cujus rei cauſa ulcus etiam ampliare, fiſtulam plumbeam in id demittere, idemque in inferiorem partem inclinatum habere, commodiſſimum eſt. Adhæc illud purgari & repleri opus eſt: cui utrique ballamum ſulphuris terebinthinatum aptiſſimum eſſe, uſus oſtendit. At ſi ulcus infra inguen in ſummo femore conſiſtit, ſimul fiſtula flexilis, niſi nimis tortuoſum ſit, maximè proficit. Sanitas quoque per injectio-

nem bonam expectanda venit. Eam verò purgandi & implendi causa componere licet ex hydromelite, cum paululo balsami sulphuris terebinthinati. Et ad consolidandum aqua, in qua radix consolidæ majoris cocta sit, addito mello albo, potest. Sed illud videndum est, ne is modus istius radicis insumatur, quo viscidum ulceri induci necessè est: nec minus mellis adjiciatur, quam ad ulcus purum servandum exigitur. Tandem extrinsecus ulcus puro linamento ad cicatricem perducitur. Quod si sanitas ulceri supra inguen sito ita non redditur, bis die aliquot guttas balsami martialis clystere in illud adigere, & linamentum aridum superponere utilissimum est: quippe quibus brevi ad cicatricem pervenietur. Cæterùm *thermæ naturales*, in quas manè vesperèque descendere aliquis possit, non quidem inimicæ sunt; sed iis uti opus non est. Idem dictum puta de *artificialibus*, quæ ex sale, sulphure, & alumine ex aqua coquendo componuntur. Ubi æger ad sanitatem pervenit, bracherio cicatrici admoto prospiciendum est, ne hernia fiat; aut facta increscat.

C A-

# CAPUT XXIX.

## *De ulceribus in ſtomacho & inteſtinis.*

ABſceſſus verò, vel fermentum nimis acre, utplurimum in cauſa eſt, cur *ſtomachus ab interiori parte exulceretur.* Etiam medicamentorum, quæ vomitum cient, acrimoniam idem facere poſſe, veriſimile eſt. Quamvis venena acria illúd longè facilius efficiunt. Indicia ſunt dolor, ubi ventriculus eſt, affligens; & pus, rarò per ſe, utplurimum cum aſſumptis, vel humore, qui naturaliter in ſtomacho reſidet, ore redditum. A morbi natura ad curationem veniendum eſt. Quæ deſiderat, ut quicquid cibi potionisve ſumitur, antè tepefactum ſit: nam ſicut frigus, ita quoque calor dolorem intendit. Ut omnia acria vitentur, cujus generis ſunt, aromata, ſalſa, acida aperta, dulcia, ſpiritus vini ſimplex & compoſitus. Item, nimis glutinoſa, & aquoſa etiam aliena ſunt. At pinguia præcipuè conducunt. Et ut ſæpius quoque cibo utendum, ſic exiguo eſt, eodemque fluido, & cupepto, niſi is, qui generis durio-

ris eſt, antè bene manditur. Præter hæc purgandi cauſa quotidie ex melle albo, cui, ne acrimonia dolorem augeat, vitelli ovorum, & oleum olivarum adjecta ſint, ſæpe aliquid deglutire oportet. Cum jam, hisce octiduo ſumptis, exulcerationem puram eſſe conjicimus, ad ſanandum quotidie drachmæ duæ radicis conſolidæ majoris tritæ, cui mel roſarum, donec bolus fiat, addatur, per partes, devorandæ ſunt. Si per hoc ulcus non ſaneſcit, ad fermenti acorem tollendum, & cicatricem inducendam pulvere, vel bolo, vel condito, (niſi æger magis hauſtu, aut mixtura gaudeat) in quibus oculi cancrorum, creta alba, cornu cervi vel ebur ſine igne præparatum, cum laudano opiato, & oleo amygdalarum dulcium ſint, uti; in iisque aliquamdiu permanere convenit. Ubi hoc etiam parum proficit, nonnunquam remedium leniter purgans ex rheo, quale ex capite decimo ſeptimo petere licet, interponi opus eſt. Cum ſanitas per hoc quoque fruſtra quæritur, ad *balſamum Lucatelli*, cujus compoſitionem capite vigeſimo primo poſui, decurrendum eſt, in eoque conſiſtendum. Stomachi exulceratio quidem expoſita eſt, ſupereſt ea, quæ *interiorem inteſtinorum partem* occupat. Quam

fe-

ferè excitat abſceſſus; etiam inteſtini fermentum acrius; vix remedia, quæ alvum movent, valentiora; rarò lumbricorum roſiones; plerunque dyſenteria; at omnium facillimè venenorum acrimonia. Dolore in ventre, & alvi fluxu ſic, ut iis quæ deſcendunt, aliquid puris mixtum appareat, diſcernitur. Curationes verò hæ ſunt. Si ex abſceſſu, aut fermento acriori, aut purgantibus validioris materiæ evenit, eadem auxilia, quæ in ſtomachi exulceratione propoſui, idonea ſunt: præterquam quod mellis acrimonia vitellos ovorum non facit neceſſarios. Si malum ob vermium morſus contigit, curatio talis eſſe debet, qualem ad ſimile vitium capite quarto retuli. Sed ubi in colo eſt, hoc

℞ *lact: bubul: chalyb.* ℥viij.
*terebinth: Venet: vitello ov: ſol.* ℥ß.
*mell: roſar.* ℥j.
*M.*

ab inferiori parte infundere, idque aliquoties iterum facere, niſi vetuſtum eſt, dolor non patitur. Si dyſenteria hunc morbum attulit, ea curatio adhibenda eſt, quam capite decimo octavo præcepi. At ulcera, quæ ex venenis acribus

in ſtomacho & inteſtinis fiunt, alio loco comprehendam.

## CAPUT XXX.

### *De renum ulceribus.*

ESſe eorum, quæ *in pelve urinaria, ejusve radiculis* conſiſtunt, æque ac ulcerum ſtomachi & inteſtinorum plures cauſæ poſſunt. Sed frequentius ex lapillis anguloſis, qui iſtis partibus inhærent, easque lædunt, quam ex abſceſſibus, huc homines decidunt. Neque tamen dubitari poteſt, an continuus urinæ decurſus etiam aliquid conferat. Et quia ex cantharidibus quocunque modo ſive intrinſecus, ſive extrinſecus, nimium adhibitis, dolor ingens in imo ventre, & cole marium, aut mulierum vulva, maximè eo tempore, quo urina redditur, at rarò in lumbis, naſcitur; per ſe vix tantæ ſunt, ut concitent ulcus renum. Etiamſi hoc urina acrior, procedente verò tempore, etiam facere valeat. Hujusmodi vitium difficulter accipit curationem, quam tamen ſordes, quas urina vix admittit, non inhibent. At quod per lapillum evenit, inſanabile eſt, utique quamdiu ab urina non è-

lo-

loco ſuo emovetur. Cognoſcitur autem, ſi dolor, qui ex urina, non pure afficiente pendet, in lumbis eſt; & ſi urina alba editur, & pus in ea, aliquot horis interpoſitis, inſtar ſedimenti albi, ſubſidiſſe conſpicitur. Jam curatio ſequitur, quæ rectè procedit, ſi homo, præcipuèque lumbi, calidi habentur, quos proinde multa veſte circumdare commodiſſimum eſt. Si ſorbitionibus, quæ facilè digeruntur, per easque pinguibus: adipe, oleo olivarum, ſimilibusque utitur. Si omnia acria, ut ſunt, acida, alkalina, & ſalſa, quibus dulcia adjici debent, detrahuntur. Sique multus corporis motus vitetur. Hæc enim omnia noxam augent. Adjuvatque curationem corpus, ſi juvenile, ſi firmum eſt. Præterea hoc vitium exigit, ut medicamenta, quæ impleant, & ad cicatricem perducant, unàque leniant intus latentia acria, dentur. Propter hæc apozema vulnerarium, cujus compoſitionem capite vigeſimo ſeptimo videre eſt, adhibendum venit. Sed pro radice ſolidaginis Sarracenicæ radix ex althæa ſubſtituatur; & inſuper tria capita papaverum ſine ſeminibus ſimul incoquantur, neceſſè eſt. Ex ea verò potione nonnunquam aliquid tepefactum ſorbere ex-

pedit cum eo, ut quotidie guttis triginta balſami ſulphuris terebinthinati inſtillatis, triduo tota ſumatur. Vel auxilio renibus exulceratis eſt hoc *conditum*,

℞ *pulp: caſſ: rec: extr.* ℥ iß:
*terebinth: Venet: vitell: ov: ſol:* ℥ß.
*pulv: liquirit:* ʒij.
*rad: conſolid: major.* ʒj.
*balſ: ſulphur: aniſat.* gutt. xxx.
*ſyrup: alth. F.* q. ſ.
*M. F. condit.*

cujus quater die id, quod nucis moſchatæ magnitudinem impleat, exhibeatur. Quod ſi ulcus ex lapillo ſit, *aqua Querceta-ni contra gonorrhœam*, capite vigeſimo quarto deſcripta, ſi quis ejus manè cœnatusque cochleario utitur, plus proficiet. Etiam dari in vicem ejus poſſunt, tempore matutino & veſpertino, guttæ ſexaginta balſami ſulphuris terebinthinati, quibus donec ei craſſitudo boli ſit, ſaccharum adjiciatur. Quin ſi lapillus per hæc remedia aliquot diebus nondum expellitur, tot guttæ eſſentiæ cantharidum capite decimo tertio poſitæ, bis die ſumendæ ſunt, quot æger citra urinæ dolorem pati poteſt, multis potionibus aquæ decoctæ, in qua folia theè jaceant,

in-

interpoſitis. At cum urina ſanguinem trahit, eo è cantharidibus medicamento abſtineri melius eſt. Lapillo ſic ejecto, quem tamen hanc medicinam ſequi non perpetuum eſt, ad ea, quæ renum ulceribus ſuccurrere paulò ante dixi, recurrendum eſt. Interdum ob continuam urinæ ſuppreſſionem res ipſa intra iſtam eſſentiam manere cogit. Qua in hujusmodi caſu, utiliter ſine ulla noxa, uti licet, dum ea duntaxat moderatio adhibeatur, ut ſimul atque urina rodit, omittatur.

## CAPUT XXXI.

### *De ulceribus in veſica.*

HUjusmodi ulcus vel in ipſo veſicæ ſinu, vel in ejus cervice reperitur: utrobique à parte interiori. Et quoniam hoc genus ad id, quod in ipſa veſica eſſe poteſt, ſpectat, proinde nihil propriè de eo hic dicetur. Utrumque ob easdem cauſas, ob quas renum exulceratio, fit: id eſt, ob abſceſſum; vel lapillum; vel urinæ acrimoniam, ſed paulatim; at celerius, cum ex cantharidibus acris exiſtit. Non facilè vero ei vi-

tio opitulari eſt. Tamen ſanitatem recipere poteſt, licet à lapillo illatum ſit, magis, quia humor per penem in ipſam veſicam oriculario clyſtere agi poteſt. Aſt ſæpè ægros trahit, interdum præcipitat, inprimis ubi paroxiſmos habet, & vetuſtum eſt, nam ſpatium periculoſum eſt. Ubi *in ipſa veſica* eſt, cognoſcitur, ſi dolent, quæ ſuper pubem ſunt; urinæ crebra cupiditas eſt ſic, ut frequenter cum magno dolore urina diſtillet, præcipuè, ubi quis inſiſtit, aut ambulat. Et in eo, quod inde excretum eſt, duabus vel tribus horis purulentum aliquid ſubſidit. Cum verò *circa cervicem* conſiſtit, quæ ſub pube ſunt, dolorem habent, præcipuè, dum urina excernitur; rarò urina, ſed ejus multum, idque cum magna cupiditate, redditur. Nonnunquam adeſt teneſmus, & in maribus colis erectio; & in fœminis quaſi conatus ejiciendi è vulva infantem. Semperque aliquid puris in urinæ inferioribus apparet. Eo autem morbo implicito ſecunda valetudo ferè contingit ob hujusmodi *mixturam*,

℞ *laudan: opiat.* gr. 1.
*trochiſc: alkekeng.* ʒß.

*ocul:*

*ocul: cancr: præp.*
*cornu cervi ſigne ign.* añ. g. xv.
*ſyrup: alth: F.* ℥j.
*aq: fœnic.*
*petroſel.* añ. ℥ı ß.
*ol: amygd: dulc.* ℥ß.
*M.*

quales duas, cum dolor urget, uno die cochleatim ſumi opus eſt. Balſamus ſulphuris, vel ipſe aniſatus, propter acrimoniam inimicus eſt. At balſamo, qui ad authorem *Lucatellum* refertur, cujusque compoſitio capite vigeſimo primo habetur, uti convenit, addito, ubi dolor vehemens eſt, quod utplurimum evenit, laudano opiato. Adhæc potione opus eſt, non immodica. Nam ſi parum bibitur, accenditur ulcus, & vigilia urget, & vis corporis minuitur. Si plus æquo aſſumitur, ſubinde veſica impletur, eoque irritatur. Non alienum etiam eſt oriculario clyſtere hunc humorem,

℞ *trochiſc: alb: Rhaſ: cum opio, & ſine camph.* ℥j.
*mell: roſar.* ℥ß.
*aq: calc: optim: edulc.* ℥ıv.

*balſ:*

*balſ: ſulphur: terebinth.* gutt. x.
*M. F. injectio.*

aliquoties die, poſt urinam, tepidè per colem in veſicam compellere: quamvis hoc utpote dolorificum, vix ægri ferunt. Id tamen ut rectè fiat, ſupini jaceant ſic, ut perinæum à compreſſione liberum ſit, & clyſteris fiſtula coli indita, per eum undiquaque comprimatur, ne quid regurgitet, neceſſè eſt. Præterea ſi dolor ſupra modum cruciat, ipſum balſamum ſulphuriss ſupraſcriptæ injectioni ex toto ſubtrahere; & mel roſarum minuere, vel etiam removere neceſſarium eſt. Tandem petere non à medicamentis ſolum, ſed etiam à victus ratione præſidium eſt. Itaque ea, quam in renibus exulceratis præcepimus, in hoc quoque morbo uti commodiſſimum eſt, & curioſius circumſpicere, ne, quod per ſe non exiguum eſt, adhuc majus laborantis negligentiâ fiat.

C A-

# CAPUT XXXII.

## *De ulceribus in fistula urinæ.*

QUando ulcus iter urinæ ab interiori parte occupavit, vel *intra illud latet*; vel *ad exteriora tendit*, aut *in cole*, aut *in scroto*. Plerumque ex abscessu, & ex gonorrhœa; rarò ex calculo inhæresente oritur. Quomodo verò id, quod ex gonorrhœa evenit, curetur, in superioribus, capite vigesimo quarto comprehendimus. At cætera, in quibus victus ratio talis, qualem ad renum exulcerationem supra præcepimus, requiritur, facilius quam vesicæ ulcera sanitatem admittunt. Quanquam ubi ad exteriora perveniunt, cum magna difficultate saneſcunt, eo quod urinam, dum editur, transmittunt, maximèque cum latè patent, & vetusta sunt. Igitur quibus *intus in fistula urinæ* ulcus esse cœpit, iis ea parte pus profluit; dolor, ubi urina fertur, molestus est; indurescit is locus, & tactu dolorem excitat. Ut verò hoc genus ad sanitatem perducatur, purgandi & implendi causa unguento basilico, cui paulum terebinthinæ adjectum sit, linamentum involutum & oblongum illini, & tepi-

dè

dè immitti in penem debet. Nisi quis candelas cereas adhiberi mavelit, quarum materiæ uncia mercurii præcipitati rubri drachmas duas habeat. Constant autem è cera flava & resina, in quibus terebinthina liquata sit, donec iis justa crassitudo fiat. Quibus tum funiculi singuli circumfunduntur, ea ratione, qua à lychnopæo candelæ sebaciæ concinnari consueverunt. Hujusmodi canlam bis die in fistulam urinæ demitti, & illam adnexi fili & emplastri tenacis beneficio contineri oportet sic, ut eâdem detersâ deligatione proxima iterum uti liceat. Suprapositum unguentum etiam totidem in die adhiberi satis est, & alterutrum ex his insuper, quoties urinam æger reddidit. Unà cum his injectione uti supervacuum est, quamvis nihil obstat, cur id minus licitum sit. Sed eam, prioribus neglectis, solam injicere, dat locum caruncułæ, quia deëst pressio ab implicito linamento, vel candela petenda. Ubi jam ex tempore ulcus purum & plenum esse conjectamus, id cicatrice obducatur necessè est. Cujus rei causa vel implicitum in longitudinem linamentum ex emplastro diapompholygos illinendum, idque sic demittendum; vel aliquid ex cerussa, lapide calaminari quamoptimè trito, aliisve

aliisve ſimilibus materiæ candelarum adjiciendum, & ſic in penem dandum eſt. Si ſic parum proficitur, ſuper fiſtulam plumbeam in aqua calcis madefactam cinerem tabaci injicere, eamque ſic admovere neceſſarium eſt. Quod ſi ulcus *in exteriorem penis partem prorupit*, id purgandum eſt unguento de melle capite quarto deſcripto, cui liberaliter intinctum linamentum calidè bis die imponi debet, emplaſtrumque tenax ſuperdari. Deinde, cum hoc ulcus *exiguum* eſt, cinis tabaci optimè ad ſanitatem perducet. At ſcire convenit, eum largiter bis die ſuper illud inſpergendum; eaque linteolo oblongo, cui emplaſtrum tenax illitum ſit, tenenda, cum eo, ut hoc adſtringat, non fiſtulam urinæ comprimat. Præterea, quoties deligatio fit, iſtum cinerem aqua calcis tepefacta elui opus eſt, & tum iterum inſpergi At ubi ulcus *magnum* eſt, cum maxima difficultate curatur. Curatio tamen ſic tentanda eſt. Annulus planus è plumbo fiat, cujus latitudo longitudinem ulceris parum excedat; & circulus penem non ex toto complectatur. Præterhæc non continuus ſit, ſed uno loco disjunctus, ubi bina labra in exteriorem partem recurvata eſſe oportet. Deinde linteolum

pau-

paulò latius, quam ille annulus ſit, illinatur emplaſtro aliquo, id circumdetur coli ſic, ut utrinque parum ab ulcere abſit, tum ſuperdetur annulus, cujus bina labra recurvata etiam utrinque ab ulcere diſtent. Tum hæc labra, injecto filo, ad ſe invicem attrahantur, quo fit, ut ulceris oræ quam proximè conjungantur. Hac autem ratione, & urina liberè è pene exire poteſt, & ulceri manè veſperèque imponi linamentum in balſamo ſulphuris terebinthinato tinctum ſic, ut annulus ſemper relinquatur, emplaſtro tenendi cauſa ſuperinjecto. Quando ita octiduo ulcus curatum eſt, ſi ejus oræ ſe glutinarint, annulo ablato, videndum eſt. Sin minus, ubi hæ, quantumvis tenuiter & non ubique, ſunt calloſæ, ex *emplaſtro de cantharidibus*, cujus compoſitionem alio loco referemus, inter eas inſeri abundè eſt, & ulcere renovato, eadem, quæ prius, facienda. Quod ſi id hoc modo ad ſanitatem non pervenit, oræ ejus exulcerandæ ſunt, tenui habenula ex iis exciſa; ſicut antè in unum attrahendæ; & balſamus ſulphuris adjiciendus. Neque enim verendum eſt, ne purum corpus puro corpori junctum non coeat. Cæterùm quibus auxiliis ulcus, quod *ad exteriora ſcroti perrupit*,

*rupit*, ad ſanitatem perducendum ſit, ex iis, quæ ſuprapoſui, ex iisque, quæ in ulterioribus, ubi ulcera ſinuoſa perſequar, dicam, facilè aliquis colliget.

## CAPUT. XXXIII.

### *De ulceribus in genitali, ejusque cervice.*

ULceris, quod *in genitali fœminarum, ejusque cervice* ab interiori parte conſiſtit, initium eſt vel ex abſceſſu, vel ex plaga, dum infans protrahitur, imprimis mortuus, illata, vel ex ſanguine menſtruo acriori, vel ex fluore albo, vel denique ex gangræna ob partum difficilem contingente. Ægra non facilè ſanatur, maximè cum fluor albus hunc morbum fecit. Minusque operæ eſt, ſi acrimonia menſtruorum in cauſa eſt. Ulcus autem *in ipſa vulva* his indiciis cognoſcitur: ubi dolor in imo ventre ad inguina & anum uſque perveniens ſentitur: interdum cum ſpiritu difficili, præcordiorum anguſtia, & paroxiſmo hyſterico conjunctus. Etiam aliquando ardor intus vexat, in ipſam cervicem deſcendens. Et è naturalibus materia purulenta fertur, præcipuè cum alvus ali-

quid reddit. Sæpeque veſperi febricula accedit. Quando menſtrua profunduntur, venter ex inferiori parte adeo dolet, conatusque aliquid ejiciendi tam vehemens eſt, ut os vulvæ interius, tanquam in parturiente, pateat. Quod ad curationem verò pertinet: ea deſiderat, ut idem genus victus adhibeatur, quod in renibus exulceratis proficere poſſui. Potuique aptiſſimum eſt lac dulce, aut amygdalatum, aut emulſio è ſeminibus frigidis facta. Præterea auxilium petendum eſt è medicamentis. Igitur apozemate vel condito, quæ in renum exulceratione propoſuimus, uti convenit. At ſi ardor infeſtat, in vicem terebinthinæ oculi cancrorum & cornu cervi ſine igne ſubſtituenda ſunt ſic, ut horum tantundem, quantum ex illa fuerit, reliquis addatur. Cujus ter vel ſæpius in die id, quod nucis moſchatæ magnitudinem æquet, ſumatur. Porro non alienum eſt, ubi dolor ardorque urgent, humorem, qui è ſeminibus frigidis & papaveris albi, infuſa aqua roſarum, conterendo elicitur, cui aliquid mucilaginis ſeminis pſyllii ex eadem aqua factæ adjectum ſit, aliquoties die, antè tepefactum ſubter in vulvam dare. Quod ſi dolor & ardor victi ſunt, aut deſunt, ea, quæ fœminis ſubjiciunt:

ciunt : πεσσὸς Græci vocant, opitulantur. In hunc uſum parti candelæ ſebaciæ tenuis linteolum, & id unguento, cui facultas cicatricem inducendi ſit, quod genus eſt,

℞ *axung: porci* ℔ I.
*ceruſſ.* ʒVI.
*minii* ʒIV.
*calcis vivæ* ʒj.
*Liq: & F. ung.*

circumdare, neceſſarium eſt. Etenim ne exulceratio, maximè cervicis, ſaneſcendo in unum ejus partes interiores jungat, per peſſaria proſpiciendum eſt. Verùm ſi ex mali vetuſtate aliisve ſignis ulcus non eſſe purum colligimus, unguento baſilico, cui parum mercurii præcipitati rubri mixtum ſit, peſſos illitos, donec ſordes cicatricem non impediunt, demitti oportet. Et ne tuſſi è vulva expellantur, injecto ab inferioribus vinculo intus ſervari debent. Adhæc ulcus *in vulvæ cervice* has notas habet: pars affecta, præcipuè ſub concubitu, torquet; cupiditas deſidendi eſt; & pus è naturalibus profluere conſpicitur. Atque interdum, inprimis ſi mulier, eo quod ſæpe gravida fuit, cervicem habet brevem, diductis vulvæ oris, in conſpectu medici eſt. Cu-

ratio ſequitur eadem, quæ in priori ulcere adhibita eſt, præterquam quod peſſaria hic breviora ſint, & ægra à venere abſtineat, neceſſè eſt.

## CAPUT XXXIV.

### *De ulcere viſcido.*

DIxi de præcipuis ulceribus, quæ interiora ſunt: nunc tranſeundum eſt ad *præcipua exteriora* ſic, ut primò comprehenſuri ſimus ea, quæ ratione *cacochymiæ*, è qua pendent, inter ſe diſtant. Hæc autem ubi viſcida eſt, efficit, ut ulcus aliquo viſcido contectum ſit, ob quod *viſcidum* cognominari meretur. Id curationi difficultatem facit, maximèque, ubi jam ætate aliquis proceſſit, & vitium in extremis partibus membrorum, id eſt, digitis ſummis, inprimis pedum, conſiſtit: quæ partes ei quoque præ cæteris objectæ ſunt. Hujusmodi ulceri nonnunquam in cruribus varix adeſt, quæ tamen id ſanari, ut vulgò Medici credunt, non prohibet. Interdum etiam reperitur in labiis à parte interiori, qua rubent; in lingua, & in faucibus, cui durities ſæpe adeſt. Adhæc uſus oſtendit,

vi-

viſcidum, ubi diſcuſſum eſt, dum in eo ſumus, ut ulcus ad cicatricem perducamus, redire conſueviſſe, obſtareque curationi. Imo illud in corpore icterum habente colore flavo tinctum eſſe. Neque id genus morbi aliud genus victus deſiderat, quam quod In curanda hydrope præceptum eſt, cum eo, ut aromatis ea adjiciamus, quæ vulgò antiſcorbutica appellantur, ut ſunt, raphanus major, cochlearia, naſturtium, ſimiliaque. Nec alia quoque medicamenta, quam quæ ibidem propoſita ſunt, ſi ſanitas lento gradu accedit, neceſſaria ſunt. Imo, quod mirum videri poteſt, remedio mercuriali hujusmodi laboranti dato, interdum ex inopinato ſaliva moveri conſpicitur. Cæterùm ad rem pertinet quam calidiſſimam eſſe partem affectam. Quod fit, ſi malum ſit in pedibus, cum molles ex multa lana paratos ſoccos; & ſi in manibus, chirothecas è villoſis pellibus factas, aliquis geſtat. Quæ veſtium genera eo magis calorem fovebunt; quo colorem propius ad nigrum accedentem habent, quod experimentis à vitro urente petitis, colligi poteſt. Quod ſi hic morbus interiorem labiorum partem, aut linguam, aut fauces tenet, nunquam cibos potionesque ſtigidas ſumere; nec os,

niſi neceſſitate id exigente, aperire oportet. Inter hæc mel album, cui quarta pars terebinthinæ admixta ſit; vel unguentum baſilicum, in quo duæ vel plures partes mercurii præcipitati rubri ſint, ad ulcus repurgandum aptiſſimum eſt. Ex his alterum, & ſuper linteolum illitum *emplaſtro citrino*, quod capite vigeſimo quarto retuli, bis die imponere; ſuper id quadruplicem pannum injicere, & ita laxè ligare convenit. Intra quæ conſiſtendum eſt, donec ulcus purum ſit. Tum demum verò purum eſt, cum rubet. Cui ſi adhuc caro deeſt, ad eam alendam ſuper illud alterutro ex illis medicamentis, terebinthinæ oleo, vel balſamo ſulphuris inde facto, adjecto utendum eſt. Ubi jam ſanæ cuti æquatur, tum tentandum eſt *emplaſtrum Ruſtingii*, vel *ſtictícum Crollii*, vel *opodeltoch*, poſſitne cicatricem inducere. *Emplaſtri* verò *Ruſtingii* ab authore ita vocati compoſitionem, quia varium uſum præſtat (nam non modò egregiè diſcutit & concoquit, verum etiam ad cicatricem perducit) dignam judicavi, quam hoc loco proponerem,

℞ *litharg: aur.* ℔ 1.
*ol: olivar.* ℔ 1¼.
*ceræ citrin.* ℔ ß.

te-

*terebinth: comm.*
*ol: laurin:* añ. ʒij.
*gumm: opopanac.* ʒj. ʒij.
*galban.* ʒvi.
*ammoniac.*
*bdell.*
*ariſtoloch: rotund.*
*ſarcocoll. olibun.*
*maſtich. myrrh.* añ. ʒj.
*aloes optim.* ʒß.
*camphor.* ʒi ß.

*M. F. S. A. empl: modo ordinario, niſi quod litharg: cum oleo oliv: donec guttæ inſtar vitri indureſcant, coquendum ſit.*

Tamen potentius, & emplaſtrum de labdano diſſolvere, & ceratum de cœpis pus maturare, experimentis cognitum eſt, magis, quia minus dura ſunt: etenim emplaſtra quo molliora ſunt, modò ne cuti adhæreant, eò efficacius effectus ſuos ſortiuntur. Hinc ad cicatricem inducendam *emplaſtrum ſtiſticum Crollii*, cujus hæc optima compoſitio eſt,

℞ *Lithargyr: aur.* ʒxij.
*ol: olivar.* ℔ i ß.
*Coq: ad vitri duritiem, & add:*
*ceræ* ʒiij.
*reſinæ. ſevi cervin.* añ. ʒij.

*ol: laurin.* ʒiiiʃß.
*juniper.* ʒijß.
*hyperic.* ʒiß.
*ovor.* ʒj.
*camphor: in iſt: ol: ſolut.* gr. xv.
*gum: depur: ammon. opopanac.*
*galban. ſagapen.* añ. ʒvi in
*terebinth.* ʒj. *fuſ.*
*ſtorac: liquid.* ʒiij.
*Quibus bene unitis admiſc: pulver:*
*vitriol: alb. terr: ſigill.* añ. ʒiß.
*antimon. lapid: calamin.*
*marcaſit.* an. ʒj.
*ceruſſ. alabaſtr.*
*terr: vitriol: dulc.* an. ʒvi.
*magnet: præp: plumb: uſt.*
*croci mart.* an. ʒiij.
*lap: hæmatit: præp.* ʒij.
*rad: ariſtol: rot. long.*
*tormentill.*
*mumiæ. ſuccin.* an. ʒiß.
*& F. Empl.*

inſigniter valet. Neque ignoro, quod ferè multis medicamentorum compoſitionibus Medici practici haud delectantur, magis, ſi in aliis quoque libris habentur. Tamen horum emplaſtrorum deſcriptiones huic opuſculo inſerere viſum eſt. Id quod, ſpero, non ægrè

ferent, ſi conſiderent, lectorem ſæpe iis libris deſtitui; & varias ulcerum viſcidorum rationes varia emplaſtra facere neceſſaria. Nam experimentis cognitum eſt, per emplaſtrum, quod unum ulcus ſanat, alteri ſæpe fruſtra ſanitatem quæri. Porro, ſi quis ſparadrapum volet, *emplaſtrum opodeltoch* præferrem, quia melius cohæret, & diutius vires ſuas ſervat, nec minus valens eſt, quam duo priora. Heic hujus compoſitionem habes optimam:

℞ *Ceræ flav.* ʒiij.
*reſin.* ʒiß.
*ol: roſar.* ʒiij.
*Liquefactis admiſce*
*gum: depur: ammon. galban.*
*opopan.* an. ʒß. gr. viij.
*terebinth. Ven.* ʒiß. *ſol.*
*ſucc: chelid: maj. querc.*
*veronic. alchymill.* an. ʒiß.
*Quibus optimè commixt: ad ignem,*
*adde paulatim pulveres*
*maſtich. myrrh.*
*thur. ſarcocoll.* an. ʒiij.
*ſuccin.* ʒß.
*lap: calamin: præp.* ʒix.
*tutiæ præp.*
*orooi mart.* an. ʒiij.
*vener.* ʒj.
*lap: magnet: in aq.* *cha-*

*chalyb: coct.* ʒ1 ß.
*terr: vitriol.* ʒß.
*& F. Empl.*

Hoc autem emplaſtrum ad ignem liquatum linteolo excipi debet ſic, ut utrinque inhæreat. Tum ſpatulâ lævigari, & altera pars, alterâ deterſâ, per vices imponi. Ubi uno ex his emplaſtris impoſito ulceri denuo viſcidum inducitur, melius in eo proficiet emplaſtrum citrinum. Quin ſi poſt id adhuc viſcidum renaſcitur, ei balſamus terebinthinatus liquato inſtillari debet, donec ad emplaſtri mollis craſſitudinem venerit: imo inſuper mercurius præcipitatus ruber adjici. Si hæc etiamnum nihil ad ſanitatem poſſunt, non aliud magis proficit ad eam, quam ulcus pollinemercurii dulcis inſpergere, & emplaſtrum citrinum ſuperponere: vel potius, quam emplaſtrum citrinum cum dimidia portione picis liquidæ liquare, & imponere. Ubi incidit, ut ſanitas uſque eò reddita ſit, ut non niſi exiguum ulcuſculum ſuperſit, id vel unguento de chelidonia capite quarto poſito, quod linamento illinitur, & ſic imponitur; vel tempore matutino ſalivâ illitum, linteo puro duntaxat ſuperdato interdum ſaneſcit. Si digiti in extremis partibus ulcus habent, &

viſci-

viſcidum ſub hisce remediis non deſinit reverti, illud ad os uſque excidere neceſſarium eſt; & tum ſanguine ſuppreſſo, ad ſuperiora medicamenta recurrere. Si nihilominus ob viſcidum ſanitatem non recipit, ex oſſe ipſo aliquid unà abſcindatur oportet, & ut ſupra dictum eſt, curetur. Quod ſi in alia parte, præter extrema membra, ulcus ſit, ideoque excidi commodè nequeat, confugiendum eſt ad remedium, quod corpus exedit. Cujus generis eſt vel mercurius præcipitatus ruber; vel pulvis, qui hunc & ſublimatum, paribus portionibus habet; vel ſublimatus ſolus. Circa quæ illud ſcire convenit, quod non prius idem iterum injici debet, quam unguentum baſilicum cruſtam reſolverit; & ubi id, quod lenius carnem conſumit, ei tollendæ eſt, ad validius aſcendere neceſſarium non eſt. In hac autem re permanendum eſt uſque, dum viſcidum, ſuperioribus interpoſitis, non amplius cicatricem prohibeat. Sed iſta habenda cura eſt, ne medicamenta eam inducentia nimis deſiccent, ut emplaſtrum diapompholigos, griſeum, diapalma: ſiquidem per hæc viſcidum denuo contrahitur, & quod eſt, tenacius fit, oræque calloſæ. Tamen experientiâ conſtat, emplaſtro diapal-

ma

ma ulcus, ubi viſcidum haud tenaciter inhæret, curari poſſe. Porro cum hoc vitium in labio, qua rubet, aut in lingua, aut in faucibus eſt, niſi cancroſum ſit, hoc medicamentum

℞ *ſal: vol: corn: cerv.* a. ʒß, ad ʒj.
*theriac.* ʒij.
*mell: alb.* ʒiß.
*aq: comm:* q. ſ. ad ſalis ſolut.
*M.*

maximè idoneum eſt. E quo aliquid calefactum ſingulis alternisve horis interdiu, & noctu etiam aliquoties, penicilli è filis laneis beneficio ulceri cum mediocri preſſione admovere expedit. Remedium autem minus validum eſt *ſpiritus vini camphoratus*; aut mel album cum balſamo ſulphuris terebinthinato mixtum. Si viſcidum ſupraſcripto medicamento nondum ſolvitur, aqua communi remota, reliqua pro litu adhibenda ſunt. Quin cum per hoc etiam parum proficitur, validioribus adhuc auxiliis opus eſt. Quem in finem mel album, cui ſpiritus vitrioli infuſus ſit, donec vehementer aceat, eodem modo ſuper ulcus utendum. Id quod ſanitatem reddit, tam procul abeſt, ut viſcidum augeat, ſolidiusque reddat. Quæ ſanè fiunt, ſi is ſpiritus acidus par-

parcè melli inſtillatur. At ſi durities juxta ſit, hac acida medicina abſtineri commodiſſimum eſt, & ſuprapoſito litu contentum eſſe, qui ſic viſcidum tollit, ut ulcus etiam ſanet. Licet aër, qui ore aperto excipitur, cicatricem quoque juvet. Si ſanitas per auxilia ſuperiora linguæ non contingit, ut ferè uſu venit, cum ingens durities adeſt, ad illam ulcus ad imam radicem excidendo, pervenire licet. Quamvis ejusmodi exſciſſioni, ubi vel nimiæ altè deſcendit, vel conjunctas partes ſimul occupavit, locus ſit nullus. Tandem ad ulcus viſcidum linguæ ſpectat id, quod membranâ, ſi ſit carnoſa, ſub infantium lingua inciſâ ferè remanet. Hoc autem melle albo ſæpiſſime per ſe illito & purgatur, & ad ſanitatem perducitur. Quæ ſi non ſequitur, ad mel roſarum decurrendum eſt.

CA-

## CAPUT XXXV.

### *De ulcere cum oris duris; & de fiſtula.*

AD ulcus viſcidum pertinet id, quod *oras duras*, calloſas, & tumentes habet; ut & *fiſtula*. Nam cum ad ulcus viſcidum ſanandum linteum multiplex & faſcia, quæ ejus oras deprimant, negliguntur; præcipuèque ubi ſimul ſuper illud medicamentis, quæ nimis deſiccant, ad cicatricem inducendam aliquis utitur, id ferè in ulcus cum oris duris degenerat. Olim *ulcus chironium* appellabatur: cui tale vocabulum erat, quia vel ipſo *Chirone* non ignobili medico ad ſui curationem egebat. Etiam ei *telephii* nomen erat, eo quod quendam *Telephum* diu malè habuit. At δυσεπούλωτον vocatur, quoniam cicatricem cum difficultate recipit. In hoc morbo intrinſecus pugnandum eſt per eadem omnia, quæ in ulcere viſcido præcepta ſunt. Nam ut hæc non genere vitii, ita & non ratione curationis inter ſe multum diſtant. Extrinſecus autem ad purgandum ſuperponitur unguentum baſilicum cum mercurio præcipitato rubro, ut ibi expoſitum eſt.

eſt. Si caro deficit, oleum terebinthinæ addendum eſt, idque imponendum, donec ulcus ſanæ cuti æquetur; & tum cicatrix inducenda. Cujus rei cauſa emplaſtrum citrinum per ſe ſuperilitum panniculo imponi debet; vel adjecto balſamo ſulphuris terebinthinato, & mercurio præcipitato rubro: vel ulcus mercurio dulci quamoptimè trito reſpergi, & emplaſtrum citrinum ſuperdari. Nam vetuſtis ulceribus, & vix ad cicatricem venientibus ſuccurrunt medicamenta mercurialia. Adhæc ulceris oris impoſitum pannum multiplicem eas deprimendi cauſa, per faſciam ſatis adſtringere convenit. Sub his orarum durities etiam emollitur, ut emplaſtrum, quod gummi ammoniacum, galbanum, ſimiliaque, & mercurium vivum habet, ad eas molliendas non requiratur. Verùm ubi auxilia antepoſita non proſunt, oras ſcalpello excidere expedit; & ne renaſcantur, panno multiplici faſciâ adſtricto prohibere. Etenim licet hæc cura habeatur, tamen id utplurimum evenire comperimus. Proinde iterum excidi opus eſt, idque toties fieri, donec ulcus planum permaneat. Expoſito ulcere cum oris duris, dicendum eſt de *fiſtula*, quod ulcus altum & calioſum eſt. Et ut e-

jus

jus altitudo, ita & orificii anguſtia major minorve exiſtit. Modò unus, modò plures ſinus ſunt, modò nullus. Ex abſceſſibus oritur; & callus non tantum cacochymia, ſed & maximè vetuſtate, injectisque medicamentis, quæ adſtringunt, inducitur. Siquidem rariſſimè per ſe incidere uſu cognitum eſt, quamvis ulcus longius tempus habuit. Sed utplurimum illud, quod fiſtulam eſſe exiſtimant, *fiſtuloſum*, ſive ad fiſtulam vergens eſt. Igitur ante curationem curioſè conſiderandum eſt, ſit ne fiſtula, an ulcus fiſtuloſum, ne ægrum præter neceſſitatem callum exedentibus, quæ dolorifica ſunt, cruciemus. Neque enim protinus, cum orificium calloſum apparet, intus etiam callum eſſe, judicandum eſt. Sed id conjectura proſequimur, ſi cocochymia viſcida aliquem tenet, vitium in vetuſtatem incidit, & auxiliis vulgaribus non curatur. Cæterùm eadem curatio adhibenda eſt, quam infra capite quadrageſimo ſeptimo in ulcere ſinuoſo ex abſceſſu magno exponemus, & jam capite proximo in viſcido expoſuimus, præterquam quod hic inſuper callum adurentibus medicamentis erodere oportet. Id quod vel *ſine*, vel *cum inciſione* fieri poteſt. Poſterius, ſi ſinus non altè pe-

penetrat, nec arteriæ, tendines, & venæ majores juxta ſunt: nam diligentia habenda eſt, ne hæ partes lædantur. De priori contraria ratio eſt. Itaque, ſi orificium ulceris anguſtum eſt, aquæ, in qua pulvis cantharidum vaſe clauſo decoctus ſit, per linteum rarum expreſſæ paulum mercurii ſublimati adjiciatur; ex eoque manè & veſperè aliquid oricularió clyſtere intus compellatur. Sin ulcus orificium magnum habet, cantharides conterantur, deinde melle cocto cum paulo mercurii ſublimati excipiantur, & inde collyrium factum in illud demittatur. Alterutrum verò ex illis fieri debet uſque, dum ſub eo ſequuta ſit cruſta. Ad quam deinde ulceri reſolvendam per clyſterem id eluere mulſo neceſſarium eſt, idque bis die quoque facere uſque eo, donec cutis calleſa, quæ inter ſinum & integram carnem eſt, victa hoc medicamento exeat, infraque ulcus purum ſit. Tum talis adhibenda curatio eſt, qualem poſtea in ulcere ſinuoſo, qui ex ingenti abſceſſu incidit, proponemus. Porro ubi ſinus inciſus eſt, in ulcus cavum ex *lapide magnetico arſenicali*, quem videſis capite undecimo, contrito injicere convenit. Duodecim horis interpoſitis cruſta cum tantillo dolore excitata reperietur. Quæ tum

bis aut ter per penicillum ex *butyro antimonii* illita craſſior erit: quamvis, ubi id recens factum eſt, ſemel admoviſſe ſufficiet. Jam unguento baſilico ab integro reſolvatur neceſſè eſt; poſtea deinde imponatur id quod purget, tum quod eum locum repleat, & cicatricem inducat. Cum verò plures ſinus ſunt, ſinguli eadem ratione curandi. Quod ſi ſinus nullus ſit, ut plerunque in loco, qui περίναιον à Græcis vocatur, & in thorace evenit, hoc emplaſtro,

℞ *gumm: ammoniac.*
*galban: depur.*
*picis navalis puriſſ.*
*ceræ flav.* añ. ʒij.
*olei lumbricor.*
*cantharid: bene trit.* añ. ʒj.
*ærugin.* ʒvi.
*mercur: ſublimat.* ʒß.
*M. F. S. A. empl.*

uti utiliſſimum eſt. Hoc enim linamento involuto & oblongo inlinitur, & ſic in ulcus immittitur. Quod id agit, ut callus duodecim horis in veſiculam purulentam vertatur, ſic ut quæ circa ſunt, inde vix rubeant. Ea verò tum unguento baſilico bis vel ter adhibito à ſana carne diducitur. Si quis ſupraſcriptum emplaſtrum adhuc ſemel ite-

iterumve injiciat, ulcus melius callo liberabit. Deinde illud purgari, & ad ſanitatem perduci oportet, ſicut capite vigeſimo ſeptimo, & quinquageſimo ſecundo videre eſt.

## CAPUT XXXVI.

### *De ulcere dolorifico.*

CAcochymia viſcidoſalſa in cauſa eſt, cur ulceri viſcido dolor ingens accedat, idque in *ulcus doloriſicum* mutetur: quamvis etiam ex alia corporis diviſione naſci poteſt. Neque tantum ulcus dolet, verùm quoque ea, quæ circum ſunt. Et major, quam pro modo ulceris, inflammatio, ſive rubor ulcus ambit. Præter hæc alkalia pura, olea alkalina, omniaque acria inimica eſſe, uſu cognoſcimus. Proinde valetudinis cauſa ægro aromata, ſpiritus vini deſtillatos tam ſimplices, quam compoſitos, vinum ipſum, ſalſa, acida, & dulcia: etiam viſcida interdicere oportet. Adhæc in tepido, utique non multum calido hominem loco tenere commodum eſt. At cibi eupepti, præcipuè fluidi, omniaque pinguia utilia ſunt. Sibique non in aqua cocta & calidiſſima, quæ

folia theè, vel coffi combuſtos & tritos habeat, cum vel ſine lacte temperandum eſt. Ex medicamentis autem, quæ intrinſecus ſumi debent, hoc *acria leniens & per alvum educens*,

℞ *rad: bardan.* ℥j.
*fœnicul.*
*petroſel.*
*ononid.* an. ℥ß.
*fol: ſenn.* ℥ij.
*ſem: aniſ.* ʒj
*Infund: & coq: ad colat:* ℔ij, *add:*
*ſyrup: fol: ſenn.* ℥iß.
*M. F. apozema.*

aptiſſimum eſt, cujus ſingulis temporibus matutinis cochlearia ſex, vel quot ter quaterve ad ventrem ſolvendum ſatis eſt, danda ſunt. Ubi impenſis parcere aliquis volet, pro unciis duabus foliorum ſennæ, quæ incoquuntur, eorum contritorum drachmas quinque vel ſex colaturæ adjicere poterit. Et cum quis procul habitans hoc medicamentum habere cupit, ſyrupo omiſſo, reliquis radicis liquiritiæ drachmas ſex, vel unciam addi, ab illo ex aqua coqui, & parari potionem opus eſt. Porro ſi dolor vehementer urget, cogimur nonnunquam eum per hanc *mixturam*,

℞

℞ *laudan: opiat.* gr. 1. vel ij.
*cornu cervi ſine igne præp.*
*cinnabar: nativ.*
*ocul: cancr: præp.* an. ℈j.
*ſyrup: fœnicul.* ʒiij.
*aq: fœnicul.*
*card: bened.* an. ʒ1ß.
*cinamom.* ʒ1ß.
*M.*

lenire, quæ cochleatim uno die tota aſſumenda eſt. Vel dari in vicem ejus poteſt *amygdalatum ſomniferum*, cujus compoſitio capite decimo nono poſita eſt; vel quotidie tres quatuorve *pilulæ de cynogloſſa*, quarum ſingulæ è quatuor granis conſtent. Sed illud noſſe oportet, quod remedia, quæ opium habent, quamvis in præſentia allevant, tamen ſanitatem efficiunt ſeriorem. Et quia hæc ventrem comprimunt, ternis vel quaternis diebus id, quod eum reſolvat, dandum eſt. Cujus rei cauſa foliis ſennæ uti convenit: etenim acriora lædunt. Quanquam remedium, quod vomitu alvum ſollicitat, bis in ſeptima exhibitum, niſi id aliquæ cauſæ prohibent, magnum uſum præſtat. Inter hæc ſuper ulcus, & partes, quæ circa illud ſunt, imponi debet cataplaſma ex farina avenæ in aqua cocta, addito opio lacte dulci diluto.

Nam non metuendum eſt, ne hoc ad recipiendum id malum corpus emolliat. Per id auxilium ulcus ſic paulatim purgatur, ut etiam dolor & rubor leventur. Quod ſi debilius ſit, quam ut ſordes diſſolvere queat, unguentum baſilicum ſuper emplaſtrum citrinum purgandi cauſa injeciſſe, idque impoſuiſſe expedit. Si per hoc etiam parum proficitur, mercurius præcipitatus ruber, aut mel album iſti unguento, quoad dolor patitur, addatur neceſſe eſt; & dum inflammatio manet, quale ſuprapoſitum eſt cataplaſma, ſuperdetur. Ubi ulcus purum eſt, ſi ſanæ cuti non æquatur, ad id implendum guttulam balſami ſulphuris terebinthinati inſtillare oportet; emplaſtrum citrinum ſuperponere; & linteum multiplex faſcia citra dolorem adſtrictum adjicere. Ille verò ſi rodat, illinendum ulcus *balſamo Arcæi*, qui fit ex his,

℞ *gumm: elemn.*
*terebinth.* añ. ℥ i ß.
*axung: ovis* ℥ iij.
*Liq: & trajic: per lint: rar: ut fiat balſamus.*

& emplaſtrum citrinum ſuper hoc medicamentum ſine linamento imponendum. Cum ſub his cutis, quæ circa ulcus eſt, adhuc dolet

dolet rubetque, eo balſamo & emplaſtro citrino non niſi ſupra id utendum eſt; & emplaſtrum diapalma latè ſuperponendum. Quod etiam, carne nutrita, optimè ad cicatricem perducit. Attamen ſi ſub hoc emplaſtro viſcidum in ulcere renaſcitur, id denuo, ſicut prius, purgare, & ad idem emplaſtrum cicatricem inducendi cauſa recurrere, opus eſt. Quin aliquando viſcidum emplaſtri citrini uſum ad finem uſque neceſſarium facit. Inter hæc pars affecta ſemper tepida, in ſuperiorem partem inclinata, & quieta habeatur oportet. Cæterùm interdum incidit, ut hujusmodi ulceris, maximè ſi ei jam ſpacium aliquod acceſſit, cicatrix ſemel iterumve rumpatur, ulcusque renovetur. Cujus rei futuræ ſæpe indicium eſt nigra cicatrix. Quæ ne rumpatur, *emplaſtrum Ruſtingii* capite trigeſimo quarto ad varios uſus compoſitum imponendum eſt, idque ipſum, ſuperimpoſito quadruplici panno, faſcia non nimium tamen vehementer adſtringendum. Per quod cicatrix deinde colorem maximè ſano corpori ſimilem accipit. Si ulcus nihilominus renovatur, in quo tum multum viſcidi apparet, iterum, ut antè, curandum venit: id quod nunc expeditius, quam prius, fieri animadverti-

mus. Et ita tandem cicatrice, diu linteum quadruplex fascia adstrictum habendo, confirmata, ulcus sanatum permanebit. Ad suprascriptum ulcus non pessimè relaturum me puto *maculas albas* crura invadere solitas, & eas dolentes, quæ, summa pellicula instar vesicularum à cute resoluta, in ulcera viscida dolorifica convertuntur. Quæ igitur, divisione corporis alia præcedente nulla, excitantur: nisi emplastrum Rustingii imponendo, vel spiritum vini camphoratum aliquoties die admovendo, prævenientur. Si non præveniantur, iis etiam auxiliis, quæ supra comprehendi, ad sanitatem pervenient. Præterquam quod, cum in summa cute vitium est, unguentum epuloticum capite trigesimo tertio propositum, ex facili cicatrice obducit.

## CAPUT XXXVII.

### *De ulcere putrido.*

ULcus autem *putridum*, in quo caro sive partes molles corruptæ sunt, ob cacochymiam viscidam & alkalinosalsam mihi contingere videtur. Ejus phænomena sunt caro corrupta, cum dolore exiguo, & colore

lore vario. Hic namque utplurimum ſubniger eſt: etiam interdum ſimul viridis, albidusque. Odor quoque malus nares ferit, & humor ſubniger odorisque fœdi fertur. Circaque ulcus partes magis minusve rubent ac tument. Hoc vitium quotidie, niſi ſuccurritur, latius atque altius dilatatur, ſic ut interdum etiam muſculi & tendines reſolvantur, ipſumque os afficiatur: nam ſpecillum demiſſum deſcendere & in latus, & deorſum ad os uſque reperitur. Et ubi purgatum, imo ex parte ad cicatricem perductum eſt, quia id malum non niſi corrupti vitioſique corporis eſt, putredo redire conſuevit. Quo febris, ſi eſt, non parum confert. Utplurimum incidit in crura, præcipuèque virginum, quæ menſtruis non purgantur. Quamvis tum in hisce partibus ab ulcere viſcido etiam tutæ non ſunt. Citra cancrum eſt: quem in locis glanduloſis nonnunquam ulcus hujusmodi infeſtare puto. De ratione morbi jam explicui. Nunc ad curationem veniam, quæ exigit, ut habitus corporis mutetur. Ob quam cauſam cibis opus eſt iis, qui facile concoquuntur; & boni ſucci ſunt, quos ἔυχυμα Græci vocant. Siquidem res ſalſas, acidas, dulces, & acres; ut & mali ſucci, quæ κακόχυμα à Græcis

appellantur, fugere expedit. Quin pinguia & aquoſa metum corruptionis afferre exiſtimo. E medicamentis elixir proprietatis dulce, cujus compoſitionem capite quarto retuli, ſi ſingulis diebus ad guttas ducentas datur, maximè idoneum eſt. Cui bis iterumve in ſeptimana hoc remedium purgans,

℞ *reſin: jalapp.* gr. vij.
*magiſter: gumm: gutt.* gr. iij.
*mercur: dulc.* ℈ß.
*M. F. pulv.*

adjiciatur neceſſè eſt. Si mavolet aliquis bolum, eum addito paulo ſyrupi canti facere licet. Qui magis delectatur pilulis, utatur iis de gummis purgantibus, quas capite tertio propoſui. Nam ſi materia corrupta eſt, nullo modo melius ſuccurritur. Neque ignorare oportet, quod, ubi elixir illud fluorem ventris excitat, remedio purgante opus non eſt. Vel ubi venter nimis per illud fluit, elixiris minus ſumendum eſt. Etenim purgationes, ut interdum neceſſariæ ſunt, ſic, ubi frequentes & validæ ſunt, periculum afferunt. Extrinſecus aptiſſimè ex unguento de melle, vel de chelidonia capite quarto deſcripto, eoque calefacto linamenta adhibentur, cum eo, ut vitelli ovorum

ex

ex parte, aut ex toto à priori removeantur. Si hoc medicamentum in eo ulcere parum proficit, ſuper id unguentum Ægyptiacum, cui tertia pars balſami Arcæi, quod capite proximo propoſui; vel, ſi vehemens malum eſt, hoc unguentum per ſe injicere oportet, ulcere antè ſpiritu vini tepido, in quo aliquid iſtius unguenti liquatum ſit, eluto. Sub deligatione, quæ ter vel quater die, prout res cogit, fiat neceſſè eſt, corruptum, quod ulceri jam reſolutum eſt, vel vulſella apprehenſum ſine dolore auferri; vel penicillo ex filis laneis detergi debet. Præter hæc latè ſuper inflammationem tumidam, quæ ulcus ambit, *cataplaſma aromaticoviſcidum cum camphora*, calidè, liberaliter, & immediatè imponendum eſt, & faſciâ, ne elabatur, continendum: membro alto, & in calore collocato. Si febris eſt, eam propriis medicamentis diſcuti convenit. Quæ, ut & cataplaſma ad ulcus cohibendum, & purgandum conferunt. Sed adhibere ea, quæ adurendo cruſtam ulceri inducunt, ut hæc undique à viva carne diducta traheret ſecum, quicquid corruptum erat, malum augere deprehenditur. Cum ulcus purum eſſe, & tumor inflammatus ſe remiſiſſe cœperunt, cataplaſma ſupervacuum eſt. Et ubi ulcus ca-

vum

vum eſt, ad id implendum unguentum de
melle, ſi periculum eſt, ne ulceri redeat
putredo ſua: & ſi hujus nihil periculi eſt,
unguentum baſilicum; quorum alterutri pau-
lum terebinthinæ additum ſit, aptiſſimum
eſt. Tandem emplaſtrum Ruſtingii, vel
diapalma ulcus plenum ad cicatricem per-
ducit: poſt quæ hoc ulceris genus viſci-
dum contrahere nullum conſuevit. Si ea ad
cicatricem minus poſſunt, poteſt *unguentum*
*griſeum*,

℞ *lapid: calamin: ſubt: trit: non præp.* ʒj.
*camphor.* ʒj.
*Tere in pulverem ſubtiliſſ: cui add:*
*ol: olivar.* q. ſ.
*& F. ung: molle.*

quod linteo illinitum admovetur. Id enim
ad ulcera plana, & ea vetuſta, in quibus
non multum viſcidi naſcitur, quamvis oras
habentia tumentes, ſine panno multiplici
& faſcia, ſananda efficaciſſimum eſt. In
recentibus autem ob camphoram dolorem
movet. Itaque pro ſpacio ei demere, aut
adjicere oportet. Sed cum ulcus aperitur, ſic-
cum cuti adhærere deprehenditur. Proinde ab
ea ſpathulâ diduci neceſſè eſt. Si in fictili inare-
ſcit, addito oleo olivarum iterum molliendum
eſt. Porro ulceri putrido annumerari licet
ic

id, quod ὄζαινα a Græcis vocatur. Item, *ulcus verminoſum*, & *ſcorbuticum*. Ulcus autem putridum in naribus, præcipuèque in binis itineribus, quæ ad fauces pervia ſunt, conſiſtens *ozæna* eſt. Ea eſt vel *ab exteriori parte*, vel *altè penetrans*. Super *illam* cruſtæ innaſcuntur, quæ mali odoris ſunt. Si hoc vitium ab infante cœpit, uſque mortis diem durat; ſin poſtea, etiam diutius manere poteſt; utrobique malo ſequente nullo. Si *altum* eſt, putredo major eſt, majorque cariei metus. In utroque mucus purulentus, qui odorem fœdum habet; nonnunquam concreta quædam ex pure à ſtercore infantium albo non abhorrentia emungendo exeunt. Adhæc nares difficulter ſpiritum & reddunt, & accipiunt. Sciri quidem debet, vix ei malo, maximè ubi vetuſtum eſt; vel profundum, & cum carie conjunctum, poſſe ſuccurri; perque manus & ferramenta non ad ſanitatem id perveniri, cum ea vix admittat, & in ipſa curatione tormentum habeat. Sed radix calami aromatici plana, æqualis, & leviter antrorſum inclinata, quæ unguento Ægyptiaco, cum minori portione balſami Arcæi, cujus compoſitionem capite proximo poſui, mixto, peruncta ſit, bis die in narem eſt

demittenda. Qualis ſimiliter peruncta in alteram quoque immittenda eſt: binæ enim ſemper unà affectæ reperiuntur. At ea radix adeo longa ſit neceſſè eſt, ut ferè ad fauces pertingat: ſiquidem hic reſiſtentiam invenit, nec ulterius demitti poteſt. Sub his die uno aut altero cruſtæ reſolvuntur, quæ tum per ſternutamenta elidi debent; & ſimul ulcus purgatur: nam mucus purulentus, qui cum cruſtis exiverat, jam per ſe, ubi nares emungit homo, prodit, fœdo odore nullo infectus. Deinde cicatricem inducendi cauſa radicem unguento epulotico, quod capite trigeſimo tertio videre eſt, cui ſexta pars præcipitati albi adjecta ſit, illinere expedit. Per quod malum, quo longiore tempore tenuit, eo difficilius ſanitatem recipit. Quin utramque paginam abſolvit *aqua viridis Hartmanni:* cujus hæc compoſitio eſt:

℞ *mell: roſar.* ʒij.
*ſulphur: viv.*
*ærugin: ær.*
*alum: crud.* añ. ʒj.
*albi Græci.*
*comar: ſabin.* añ. ʒß.
*ſambuc.* ʒj.
*fol: hyperic.*

vi-

*rorismarin.*
*ruth.*
*plantag.*
*ſalv.*
*puleg.* añ. M. ß.

*Hæc coq: in vini & aquæ* ℔ij, *ad conſumt: digiti transverſi: æruginem in fine addendo, & relinquendo, donec refrixerit.*

*Poſtea coletur, & ſervetur uſui.*

Videlicet, eam purgandi, & conſolidandi cauſa oriculario clyſtere intus deorſum compellere; & linamentum in modum collyrii compoſitum eâdem tinctum demittere, idque bis die facere oportet. Quod ſi vitium non altè penetrat, ſed ab exteriori tantum parte eſt, paulum aquæ plantaginis addi neceſſarium eſt. At ſi ulcus altitudinem habet, diutius intra ſuprapoſitum unguentum Ægyptiacum, cui balſamus Arcæi adjectus ſit; vel aquam viridem Hartmanni, conſiſtendum eſt. Imo ſi os carie vexatum eſt, quod ſpecillo cognoſcitur, in eodem permanendum, donec oſſi ſquama vel ſquamæ abſcedant. Etenim in hoc caſu euphorbium, aliave id genus acria adhibere, maximè alienum eſt. Quod ſi caries in ipſum os palati deſcendit, ſuper eam in ore ſpiritu vini, addito paulo ſpiritus vitrioli, utendum

eſt.

eſt. Cum os carioſum moveri ſentitur, hamulo vel alio ferramento prehenſum protrahitur; ulcus relictum per idem medicatum ſaneſcit, & palatum argenteum adaptatur. Inter hæc verò quotidie pilulis de gummis purgantibus, aliove remedio moliri dejectionem unam aut alteram, quæ noxiam materiam in inferiora depellat, convenit. Cæterùm *ulcus*, quod vermiculi è muſcarum ovis per putredinis calorem excluſi occupant, *verminoſum* nuncupatur. Illud autem, ſicut ulcus putridum, curatur, præterquam quod inſuper cavendum eſt, ne vermiculi naſcantur; & cura habenda, ut, qui orti ſunt, tollantur. Cujus rei cauſa elixiris proprietatis amari, quod capite quarto poſui, ſingulis diebus ad guttas ducentas ex humore conveniente dari debent; &, ſi opus eſt, per extracti catholici ſcrupulum ſemel bisve in ſeptimana alvus moveri. Adhæc vermiculi protrahendi vulſella ſunt, eluendumque ulcus aqua phagadænica, cujus compoſitionem capite vigeſimo quarto retuli; vel vino, in quo abſinthium decoctum ſit. *Ulceri ſcorbutico* longè navigantium crura, præcipuè in regionibus calidis, maximè opportuna ſunt. Id verò ſe hoc modo oſtendit: caro illi ulceri nigra & corrupta eſt;

eſt; ex qua humor cruentus mali odoris fertur; ferè citra dolorem; circum oræ ſubnigræ & tumentes ſunt; cutis iis proxima livet tumetque; & interdum, ubi purum eſt, non tantum emplaſtrum diapalma, verum etiam id, quod *citrinum* vocatur, nigritie tingitur. Omniaque ea ſimul, niſi ſuccurritur, ſerpunt: ulcus in oras ſubnigras; oræ in partes proximas, quæ livent; & livor in id, quod integrum eſt, tranſit. Hoc autem vitium eam victus rationem atque medicamenta interna, quæ in ſcorbuto capite vigeſimo comprehendi, deſiderat. Etenim niſi hæc adhibentur, ulcus vel purgatum, vel ex parte cicatrice obductum, de novo putredinem contrahere ſolitum eſt. Extrinſecus verò ea ratione, qua ulcus putridum, curandum eſt, niſi quod ad lividum tumorem, qui ulcus ambit, & oras tumentes ſubnigras diſcutiendas, adeoque ſuccurrendum, quo minus increſcat, cataplaſma ſupradictum ſuperdare neceſſarium eſt. Quin in camphoræ locum ſubſtitui licet aliquot ſtercoris humani cochlearia, quippe cum id agat, ut tumor brevi diſſolvatur, deque rubore cutis albida fiat & rugoſa.

## CAPUT XXXVIII.

### *De ulcere noma.*

QUia verò causa ulceris, quod νομὴν Græci vocant, consistit in cacochymia viscidissimoacida, ideo omnia scorbuto contraria habet. Utplurimum in labia & gingivas, maximè infantium, quorum ferè cibi cupiditas bona est, corpusque mali habitus, incidit. Proinde eos, qui hoc vitio laborant, sæpe diu febre tentatos, cum ventre tumido, & facie pallida esse comperias. Plerumque ægrum intra pauculos dies rapit. Igitur parentes bene facerent, si malo corporis habitui maturè occurrerent; & ubi vitium evenit, festinantius succurrendum curarent. Sed si corporis habitus non admodum vitiatus est; si morbus incipit; si duritiei color ad ruborem tendit; & si rectè curatur, interdum remedio locus est. Ut semper medicamento bono cedit, cum pars molliter tumet; ulcusque non admodum impurum, ad levem contactum sanguinem fundit. Sin corpus pessimè habet; morbus parum processit; durities colorem pallidum habet; & non recta curatio adhibetur, sana-

ri non poteſt. Etiam *linguæ* incidere poteſt, ubi tum pars cum rubore dura eſt, & quando manu tangitur, leviter dolet. In medio loci duri & rubri etiam caro putris alba conſpicitur, quæ licet duriter tractetur, tamen ſanguinem non fundit. Adhæc quoque interdum *uvulam* corripit, duritie minori molliorique, quam in hoc oris vitio eſſe conſuevit; eaque rubra; qua medium eſt, carnem ſimiliter putrem habente, ſe manifeſtans. Ad contactum durum etiam ſanguinem non emittit, nec ſubacidis remediis cedit; ſed dolet, ubi deglutitur aliquid. Porro cum hoc morbi genus *in ore* incipit, tumor durus in labio vel mala ab exteriori parte apparet, qui vel pallet, vel leviſſimè inſtar quorundam pernionum rubet. Is autem verè *cancer aquaticus* eſt, qui brevi in ulcus, eo quo ſequitur modo abit. Ab interiori parte in ore contra hunc tumorem, qui dolore minimè cruciat, caro putris, eaque albida, at qua aeri patet, nigreſcens, conſpectui ſubjicitur. Neque ubi penicillo duriuſculè tractatur, ſanguinem edit. Initio ſicca & arida eſt, ſine fœdo odore. Sed poſtea, cum putredo increſcit, magis humet, & graviter fœtet. In dies & latius, & altius ſerpit, unà cum duritie, præci-

puè cum æger febricitat. Et vel in ſumma parte eſt, vel paulò altior, vel penitius deſcendit, etiam ſic ut ipſum os, id eſt, alveolos & maxillam vitiet. Hæc autem caro corrupta conſtituit *ulcus aquoſocancroſum.* Ubi medicus acceſſit, indicare neceſſariis periclitantis, in difficili rem eſſe, expedit: ne ſi victa ars malo fuerit, vel ignoraſſe, vel fefelliſſe videatur. Deinde imperare cibos eupeptos, & in iis multa aromata, oportet; viſcida, acida, & dulcia interdicere; corpus, maximè partem affectam calidiſſimam habere. Intrinſecus hoc malum amat *ſal volatile oleoſum*, vel *liquorem cornu cervi ſuccinatum*, cujus compoſitionem capite quinto comprehendi, è quorum alterutro adultus quotidie ad guttas ducentas cum potione ſua ſumat. Sed in infantibus earum numerus pro ætate minuendus eſt. Et ſi quis medicamenti, dum caro vitioſa eluitur, aliquid devorat, remedio interno opus non eſt. Proinde ei antè potionem dare, non ilico poſt, ſatis eſt. Si ſequitur lenis ſudor, ſpes ſupereſt. Adhæc carni putri, duritieique proximæ *ſpiritum vini camphoratum*, cui aliquid *ſpermatis ceti*, & gutta una aut altera *olei cochlcariæ*, ſi ſit, adjiciantur, penicillo è ſpiritu vini exprimendo, antè ca-

le-

lefactum, leniter, largiterque ſingulis horis, tam noctu, quam interdiu, admovere utiliſſimum eſt. Præterea eodem calidiſſimo linteolum duplex madens ſuper duritiem imponere; veſicæ portiuncula illud contegere; & vinculo omnia continere, convenit. Expeditiſſimum etiam eſt panem triticeum ex parte interiore ſuperiori humore camphorato ſubactum imponere. Et quoniam ea res exareſcit, ſubinde eodem medicamento madefacienda eſt. Sed tum ſexies die id ſuperimponi abundè eſt. Quod ſi ex gingivis corruptis aliqui labant dentes, manu vel forcipe excipiendi ſunt. Ubi caro inter labium & malam vitioſa eſt, ex eodem humore aliquid calefactum clyſtere intus compellendum venit. Si ſpatium, quod eum excipiat, deeſt, id iſtam carnem incidendo effici debet; ſin adeſt amplum, penicillo utendum eſt; & linamenta eodem remedio imbuta ibi indenda ſic, ut filis, quæ aciculâ pileo nectantur, vitemus, ne devorentur. At inſuper manus parvuli ad latera, ne fila trahendo linamenta dimoveat, deligari opus eſt. Quando jam morbus ad ſanitatem inclinat, binis ternisve horis ſupraſcriptum remedium adhibere ſatis eſt. Ubi aliquid mi-

nuitur è tumida duritie; ea quaſi pelliculâ contegitur; & colorem ſanum recipit, ſcire licet, cedere remedio malum. Item, ubi caro, quæ vitiata eſt, ab integra reſolvi conſpicitur; penicillo, dum eo aliquis utitur, ahæret; ulcusque ita purgatur. Porro ſi medicamento ſuprapoſito, aut ſpiritui cochleariæ paulum ſpiritus acidi inſtillatur, & hoc adhibetur; aut ſi unguentum, quod medicus *Muis decadis ſecundæ obſervatione decima* poſuit, ſicut ibi præcepit, admovetur, celerius quidem undique vitioſa caro excidit, ſed duritie remanente, quam poſtea quoque, niſi humore noſtro camphorato diſſolvatur, putreſcere uſu cognitum habeo. Quod attinet verò ad *oleum camphoræ* conſtans è camphora ſpiritu nitri liquata: id ſi linguæ offertur, primo ingens adſtrictio, deinde calor magnus ſentitur. Proinde ſi eo ſuper hoc vitium aliquis utitur, à viva corrupta pars quidem expeditius reſolvitur, & imminui videtur durities; ſed hæc verius in minorem molem contrahitur; pallor non vertitur in colorem cuti ſanæ ſimilem; & putredo major accedit. Tamen id oleum utilius illinitur, ſi antè cum pari portione ſpiritus vini tartariſati, vel dephlegma-

ti miſcetur. Quamvis & tum adhuc facultatem adſtringendi habet. Si os exeſum eſt, etiam eodem auxilio, quo caro corrupta, eget. Illud autem inter initia albet, ſed brevi aeri expoſitum nigreſcit: imo ſpongioſum & fœdi odoris fit. Ubi jam ſpecillo vel manu moveri cognoſcitur, quod ferè quinque vel ſex ſeptimanis, prout caries in ſummo oſſe eſt, vel altius penetravit, evenit, hamulo aut forcipe arreptum protrahitur. In infantium alveolis protractis rudimenta dentium, quæ radicibus carent, reperiuntur. Ubi os ablatum ingens eſt, is locus, ſive labium, ſive mala, ſive naſus ſit, parum deprimatur neceſſè eſt. In ultimo caſu minus facilè ſermo explicatur. Si febris eſt, ſimul eadem ratione, qua capite vigeſimo primo præcepi, curanda eſt. Ob quam cauſam in parvulis etiam magna cura vitandum eſt, ne quicquam remedii camphorati devorent. Oſſe carioſo ſublato, tumoreque diſcuſſo, ulcus relictum repleri, & cicatrice obduci oportet. Quod utrumque idem remedium, ſed addito ſpiritu vini; quin ſpiritus vini per ſe, tutiſſimè conſequitur: etenim ea, quæ adſtringunt, & acida ſunt, quamdiu vel minima durities eſt,

metum afferunt. Neque multum carnis in ulcere alitur; & adhuc minus, qua os vitiatum fuit. Ideo hoc loco cicatricem cavam fieri neceſſarium eſt, quò non parum aer facit. Interdum fit, ut caro corrupta è labio excidat ſic, ut illud findatur. Cui rei tum curationem eandem, quam labio leporino, adhiberi opus eſt. Ut verò, ſi medicamenta vincuntur, ſcalpello vel forfice, quicquid corruptum eſt, ſic ut aliquid ſecum integri trahat, præcidatur, author non uſum. Cæterùm ſi ulcus ſub *lingua*, vel in ejus latere naſcitur, eadem victus ratione & remediis, quæ ſupra comprehendi, utendum eſt; neque quicquam frigidi ore excipiendum. Adhæc videndum eſt, num contra dens aliquis acutior ſit, qui ſaneſcere ſæpe ulcus eo loco non ſinit, ideoque limandus eſt. Si vitium illud *uvulam* invaſit, eam forfice præcidere integrum eſt: quod hoc modo fit. Homo reſupinus in ſedili loco lucido collocandus eſt, & lingua, ore patulo, ſpathulâ à miniſtro deprimenda. Tum chirurgus uvulam vulſella apprehendit, ſub eaque ad radices excidit. Non autem ex toto radicitus id

fieri

fieri poteſt, quia ferramentum rectum eſt, & palatum declive. Nec intereſt aliquid infra vulſellam relinquere, quod corruptum eſt, quoniam id per ſupradictum remedium cochleari exceptum uvæ ſubjiciendo, vel eodem per penicillum illinendo uvam, à ſano diduci poteſt. Uvaque præcidi ſine periculo poteſt: non enim multum ſanguinem effundit, licet ab una tantum parte affecta ſit. At qua uvæ radix fuit, remanet foveola ſordes habente, quas ſubinde cochleari excipere, quo citius purgetur, commodiſſimum eſt. Illud etiam ad rem pertinet ſcire, quod ſub his eupepta fluida, ne dolor moveatur, omniaque calida æger ſumere debet. Eſt & dignum quod notetur, uvâ deperditâ, nihil difficultatis deglutiendo, vel loquendo ſentiri.

# CAPUT XXXIX.

## *De ulcere phagadænico.*

QUin è viſcida & acidoſalſa cacochymia ulcus, quod φαγέδαινα à Græcis nominatur, & erodendo ſerpit, ſit, penes me dubitatio eſt nulla. *Illud* verò & *ulcus cancroſum* inter ſe cauſa; phænomenis; & curandi modo differre exiſtimo. Accedit etiam adhæc, quod prius vitium utplurimum oritur in cruribus & femoribus, cum hoc locos glanduloſos corripiat. Præterea ferè tentat aliquem, cui poſt longam febrem totius corporis habitus vitiatus eſt; ac qua ſummum repræſentat exiguos colles & valles, è quibus hæ carnem putridam habent. Ea autem nec alba, nec nigra eſt, ſed pallida. Cui intrinſecus acida & ſalſa aliena eſſe; ſed mercurialia optima, experimentis cognitum eſt. *Hoc genus* etiam dolet, longè humidius quam *aquoſocancroſum* eſt, fœdi odoris, ſine vel cum oris tumentibus, & pedetentim procedens, non verò tam celeriter ac id, quod è cancro aquatico naſcitur. Minimè facilè ſanatur: recenti tamen re mederi facilius eſt. Ad ſanitatem igitur reddendam corpus, ſed in-

inprimis partem affectam calidam habere convenit; cibos eupeptos, & per eos aromata ſumere; interdumque potionem vini pinguis bibere. At res viſcidæ, dulces, acidæ, & ſalſæ vitandæ ſunt. Porro morbus deſiderat ſal volatile oleoſum, cujus quotidie ad guttas ducentas è potione cereali aſſumere expedit. Etiam bis in ſeptimana remedio, quod mercurium dulcem habet, rectè alvus ſolvitur. Pro hisce binis remediis, maximèque cum dolor urget, apozema capite trigeſimo ſexto propoſitum, quod acria lenit, & in inferiora depellit, adhiberi poteſt. Si per hæc parum proficitur, mercurio præcipitato rubro dulci, ſicut capite vigeſimo quarto præcepi, donec pellicula ſumma in ore lædatur, vel frequens in eo ſaliva ſit, uti oportet. Verùm ſi ex ulcere plus humoris, quam fieri conſuevit, exire cœpit, protinus hoc medimento abſtinendum eſt; & ſingulis diebus remedium ex rheo, quale è capite decimo ſeptimo petere licet, dandum uſque, dum ille humor ferri deſinat. Quod ſi ſub his valles putridæ increverint, melle, cui paulum terebinthinæ adjectum ſit, ter vel quater die liberaliter admoto, purgentur neceſſè eſt. Cui emplaſtrum linteo inlitum accedere debere,

ma-

manifeſtius eſt, quam ut ſemper dicendum ſit. Si non increverint, ad purgandum unguentum de melle, cujus compoſitionem capite quarto retuli, ſatis efficax eſt. Sed caro producitur per idem unguentum, in quo plus, terebinthinæ ſit; & cicatricem inducendi cauſa rectè emplaſtrum Ruſtingii, cujus compoſitionem capite trigeſimo quarto comprehendi, in linteolo ſuperimponitur. Id verò ſi ad cicatricem non poteſt, unguentum griſeum, quod ulceri putrido capite trigeſimo ſeptimo poſitum eſt, hic idoneum eſt. Etiamſi aqua phagadænica, quam capite vigeſimo quarto videre eſt, ubi vitium non admodum grave exiſtit, ad hæc omnia per ſe valeat. Si ſanitas per ſuperiora non datur, alumen uſtum & mercurium præcipitatum rubrum paribus portionibus miſcere, & id ulceri copioſè inſpergere; linamenta arida ſuperdare; & linteum multiplex faſciâ adſtringere, neceſſarium eſt. Quod ubi bis die biduo factum eſt, cruſta unguento de melle ulceri reſolvenda eſt; ulcus eodem purgandum; addita terebinthina replendum; & ad cicatricem perducendum. Sed illud quoque noſſe oportet, quod ſub hoc medicamento exedente, ubi ulcus amplum eſt, minus remedii

dii mercurialis, & plus purgantis dari debet.

## CAPUT XL.

### *De ulcere cancroſo.*

EX *cancro* ſive *per ſe*, ſive *exciſo*, ob cacochymiam viſcidam & erodentem ſalſam, *ulcus cancroſum* evenire concipio. Id non niſi glanduloſos, cum interiores, tum maximè exteriores corporis locos ocupat. Sed ii, qui præ cæteris aeri patent, vel interdum exponuntur, opportuniores huic vitio ſunt: id eſt, labia, oculorum canthi, collum qua auribus ſubeſt, mammæ muliebres, & lingua. Præter hæc utplurimum in homines, qui triſtitia premuntur, cadit; minus frequens eſt in maribus, quam in fœminis; & hæ eo maximè laborant, cum menſtrua non bene reſpondent, vel ex toto ferri deſinunt, non autem quæ, quia lac habent, à menſtruis defectæ ſunt. Ulcus hujusmodi plerunque è *cancro per ſe* incidit. Cancri phænomena hæc ſunt: in parte glanduloſa tuberculum tactu cognoſcitur; quod ex parvulo incipit, & diu paulatimque increſcit; rarò ſubſiſtit; nec tunica ſua includitur;

multò

multò minus ſemina habet; durum eſt; co-
lor, niſi in interioribus latet, ruber, qui
interdum ad livorem vergit; non calet; nec
eminet. Circa tuberculum, quin aliquan-
do in ipſo, aliqua quaſi puncta ſentiuntur;
inflatæque venæ quaſi recurvantur. Hæ
nonnunquam etiam in quibusdam deliteſcunt,
ſed deinde, vel vitio accreſcente; vel ul-
cere nato, ſe oſtendunt; vel in corpore o-
beſo, quamdiu in hoc malo non exhauri-
tur, in conſpectum rarò veniunt. Porro
ulcus, quod ob cancrum per ſe contingit,
vel levius, vel gravius eſſe reperitur. Igi-
tur ejus duæ maximè ſpecies ſunt, *alterum*
eſt, pellicula ſumma tumori duro dempta,
ulcus vel æquale, vel inæquale; idemque
purum & rubrum; tantillum, vel nullum
dolorem excitans; orisque vel exiguis, vel
omnino non tumentibus circumdatum. Præ-
ter hæc bonum pus habet, & tamen me-
dicamentis ad cicatricem perduci non po-
teſt, ſed ſub iis per plures menſes eodem
ſtatu detinetur ante, quam pejus fiat, &
phænomena, quæ ulceris è cancro exciſo
nati ſunt, præ ſe ferat. Quamvis, ubi
emplaſtra calorem moventia imponuntur,
citius in pejus vertitur. *Alterum* eſt, per
quod pellicula ſumma eroſa, humor tenuis
&

& aquoſus fertur, qui, putredine intus orta, paulatim fœtorem contrahit, & nigreſcit. Deinde caro putris pallidaque apparet, quæ procedit, & ſerpit; dolor major eſt cum calore; & oræ rubent tumentque. Hic autem tumor pedetentim increſcit ſic, ut tandem vena vel venæ ruptæ multum ſanguinis effundant. Et quæ circa oras ſunt, etiam cum colore rubro, ſed æqualiter, intumeſcunt. Hic notatu dignum eſt, quod, quo medicamenta calidiora adhibentur, eo color magis ad livorem tendat, tumor augeatur, & intendatur dolor. Si intumeſcentia, quæ oras ambit, æqualis non eſt, circa proxima cutis tuberculis parvis inæqualis, imo mollis & tumida cernitur. Hæc autem humorem acrem exſudat, & ab eo inter tubercula eroditur, è qua etiam pus bonum provenit. Quod tamen, ubi hæc cutis putreſcit, mutatur. Præter hæc tubercula tandem quoque ſic intenduntur, ut in iis etiam venæ ruptæ multum ſanguinem emittant. Quia verò nondum, utique quantum ego novi, medicamenta, quæ cancrum diſſolvant, vel in pus convertant, ſunt reperta, is in ulcus abeat, & hujus phænomena paulatim ingraveſcant neceſſè eſt. Quibus tum facilè hoc malum cognoſcitur. Sed

in-

inter initia, cum ulcus purum & rubrum eſt, pus bonum producit, punctis & dolore caret, ſineque oris tumidis eſt, non ex facili in notitiam venit. Nihilominus ubi in locum glanduloſum incidit, inveteravit, atque emplaſtris aptiſſimis ad cicatricem perduci nequit, ulceris *cancroſi* metus ſubeſt. Cæterùm ulcus *è cancro exciſo* ſequitur, vel quia aliquid mali relictum eſt; vel quia ſanguini materia lædens abundat: unde fit, ut cicatricem non admittens, aut protinus inter initia vel ſub finem demum ulcus cancroſum oriatur; aut cicatrice inducta, alio loco priori proximo cancer de novo naſcatur in ulcus itidem tranſiens. Quod ſi cicatricem non recipit, in initio purum & æquale conſpicitur, caro rubet, pus bonum eſt, oræ non rubent nec tument, dolorque non multum cruciat. At cum deinde vitium pejus fit, ſive per ſe, ſive quia cœlum calidum exiſtit, ſive quia remedia, quæ calefaciunt, adhibentur, caro obſcurè rubra fit, humor tenuis & aquoſus fertur, oræ inflammantur, intumeſcunt, & velut exeduntur. Adhæc foveolæ albidæ in eo eveniunt, deinde caro corrupta accedit, tumor ſi circa ſit major fit, & de rubro ſublividus, dolorque magis vexat. At in omni ul-

ulcere cancroſo non modo dolor eſt; ſed & quandoque puncta tam ipſum ulcus, quam vicinam partem cruciant. Quin ubi ulcus mammam ab interiori parte occupavit, dolores uſque ad latum ſcapularum os intenti ſunt: qui deinde, ulcere deteriori facto, ſecundum ſpinam ad lumbos; & ab interiori parte è mamma ad ſummum ventrem, pervenire ſentiuntur. Inter ungues & alam mammæ affectæ intumeſcentia maxima cum dolore eſt ſic, ut brachium ſuperius magis doleat, rubeat, & durius ſit; & inferius, præcipuèque manus œdema habeat. Quibus medicamenta qualiacunque, cum faſcia mediocriter adſtricta nihil ſuccurrunt: magis, quoniam dolor ægram in latus partis ejus, qua mamma affecta eſt, cubare cogit. Deinde in manu cutis præter conſuetudinem pallet, imo emoritur: ſiquidem veſiculæ oriuntur, ſenſus ex toto perit, & frigus accedit: quamvis quia pectori calido adjacet, multaque veſte contecta ſit, calere videatur. Tandem febris ſupervenit, quæ paulatim, cum reliquis omnibus, creſcit, & tot malis obrutam mulierem conſumit. Ulcus autem ſupraſcriptum cum tædio tractatur, tamen non omittendum eſt. Igitur in hoc morbo medici cura eſſe debet, ut

omnimodo id, quod inimicum eſt, vitetur; ac imponantur lenia medicamenta, quæ quaſi blandiantur: ſic enim nonnunquam, quo minus ad ultimam ſenectutem perveniat, mulier non prohibetur. Eam verò *curam palliativam* medici vocant, quam initium quidem ejus mali facilius recipit, quam ubi penitus inſedit. Aut ut medicamenta *aduren-tia*, vel *ferrum*, vel *ignis* adhibeatur, quo tollere id malum tentet: nam majus in manu, quam in medicamentis præſidium eſt. Hanc autem *curam eradicativam* appellare iis viſum eſt. *Cura* vero *palliativa* exigit, ut laborans omnimodo æſtum & frigus evitet; cibos ſine omnibus glutinoſis, ſine acidis, dulcibus, ſalſis, oleoſis, & aromatis ſumat; nimiam vigiliam & corporis motum fugiat; & à triſtitia, ſolicitudine, ira, invidia, aliisque ſimilibus animi paſſionibus vacet. Inter hæc cibis eupeptis, iisque fluidis uti debet. Quod ad medicamenta verò interna pertinet: ea nullum uſum præſtant, ſed verius noxia ſunt, inprimis ſudorifera, purgantia, vomitoria, & ſalivam moventia; etiam ipſum ſal volatile oleoſum. Nihilominus corallia, oculi cancrorum, cornu cervi ſine igne, ebur ſine igne, pulvis marchionis, aliaque id genus aliquomodo huic

vitio

vitio obſiſtere videntur. Igitur omnia, hisce exceptis, removenda ſunt. Præterea utplurimum evenit, ut dolor laudanum opiatum, vel aliud medicamentum, in quo multum opii ſit, quo tormentum lenitur; & ſanguinis fluxus tincturam Saturni, de qua capite decimo retuli, faciat neceſſaria. Tamen neutrum ex iis fieri poteſt, quin ſimul & tumori, & putredini, ſi ſint, addat. Hucusque dixi de auxiliis internis, quæ ad curam palliativam ſpectant: ſequitur ut externa comprehendam. E quibus primum eſt, ut pars affecta nec calida, nec frigida, ſed tepida habeatur. Deinde, ut lene medicamentum eligatur, quod ulcus, ſi ſordet, purget; ſi cavum ſit, impleat; & cicatrice obducat: etiamſi hæc omnia minimè facilè, imo ſæpiſſime nunquam eveniant. Tale medicamentum præcipuè ex alkali terreſtri, oleo craſſo, & tantillo acido conſtare, unguentum eſſe, & latè injici debere, uſus ipſe docet, nec ratione caret. Itaque purgandi & replendi cauſa hoc,

℞ *olei roſar.* ℥IV.
*ceræ alb.* ℥Iß.
*plumb: uſt: & lot.* ℥ß.
*M.F.L.A. ung. ſex horis in mortario*

*plumbeo terendum.*

rectè linteo, vel si ulcus altum est, linamento inlinitur, & sic imponitur. Ad cicatricem verò inducendam aptissimum est *unguentum de tutia*, cujus compositionem *pharmacopœa Augustana* habet, quod cum pistillo plumbeo in plumbeo mortario movetur, donec colorem habeat plumbi. Etiam paulum argenti vivi unguento addi licet. Proinde hoc

℞ *ung: diapompholyg.* ℥iv.
*amalgam: plumb.* ℥ß.
*sacchari Saturni* ʒj.
*ol: rosar.* q. s.
*M. F. L. A. ung: in mortario plumbeo calido diu terendum.*

ad idem maximè idoneum est. Cum æstas est, & tempestas calidissima; vel pars calore & inflammatione affecta est, hoc,

℞ *ol: rosar.*
*succi solani rec: expr:* añ. ℥v.
*Coq: ad succi consumpt: addendo*
*litharg yr: aur.*
*cerus.* añ. ℥iij.
*M. F. ung.*

ad purgandum plus potest: & ad cicatricem inducendam hoc unguentum,

℞ *ol: olivar.* ℔i.

li-

*lithargyr: aur.*
*aceti vini* añ. ℔ß.

*Coq: lento igne continuè agitando, ad aceti conſumpt: & diſſolut: lithargyri. Tum add:*

*ol: roſar.* ℥vi.
*plumb. uſt: & lot.* ℥j.

*Et M. F. ung: in mortario plumbeo, & eo calido tamdiu terendo, donec color ſit plumbeus.*

At id, quod ſequitur, efficacius eſt,

℞ *ol: olivar.* ℔i.
*lithargyr: auri.*
*aceti vini* añ. ℔ß, vel ℥ix.

*Coq: ad unguenti conſiſtentiam.*

Sed quicquid horum impoſitum eſt, tegendum linteolo multiplici, quod humorem, qui fertur, excipiat. Illud quoque ſcire oportet, quod ubi ulcus planum eſt, duo poſteriora unguenta coqui poſſunt, donec ſingulis craſſitudo emplaſtri fiat. Ulceri autem tam alto, ut ejus interiora vix in conſpectu medici ſint, pauculas ſordes eſſe patet eo, quod unguentum nigritie infectum reperitur. Etenim id plurimum ſordere, ex humore ſubnigro & fœdi odoris, qui exit, manifeſtum eſt. Et quando

unguentum ad ejus fundum pertingere non poteſt, hunc hnmorem

℞ *aq: plantag.* ℥ij.
*ſucci ſolan.* ℥j.
*mell: roſar.* ℥ß.
*ſacchar: Saturn.* ℈ı.
*M.*

purgandi & ſanandi cauſa oricularío clyſtere intus compelli opus eſt. Porro ſi ulcus per ſupraſcripta medicamenta repurgari nequit, ut ferè ſemper uſu venit, unguentum Ægyptiacum, diapompholygos, & baſilicum paribus portionibus miſcere, eoque ſuper ulcus antè aqua phagadænica, quam capite vigeſimo quarto poſui, elutum, uti convenit. Et ſi iſte humor neceſſarius eſt, ei unguenti Ægyptiaci drachmam addere nihil vetat. At ſub his etiamnum ferè corruptio increſcere conſuevit, licet plus unguentii Ægyptiaci alterutri ex illis adjiciatur. Quin ſi orificium ulceris alti anguſtius eſt, quam ut ſordes egredi queant, id vel ſcalpello, vel radice calami aromatici ampliare neceſſarium eſt Ubi tamen ulcus præter opinionem purgatur, carnem, ſi id non altè deſcendit, rubere, melioris generis humorem ex eo provenire, dolorem punctaque minui, & oras albidas eſſe comperimus. Et tunc

ſpes in hoc ulcere major eſt. Sed ad ulcus planum purgandum, unguentum baſilicum; & ad cicatricem inducendam emplaſtrum ſticticum Crollii capite trigeſimo quarto poſitum nihil proficiunt; verùm potius, utpote juſto calidiora, ulcus deterius reddunt. Ne quidem *emplaſtrum*, quod *ad ulcera cancroſa Vigerius tertii libri capite vigeſimo octavo* compoſuit, effectu ab illo ſtictico differt. Id ergo in hoc caſu rejiciendum eſt; & aliud experiundum. Oportet enim, ubi aliquid non reſpondit, non tanti putare authorem, quanti ægrum. Quod ſi vitium vehementer torquet, unguento opium crudum adjicere commodiſſimum eſt. Et ſi oræ adeo intumeſcunt, ut venæ inde aperiantur, illud medicamentum, vel aceti modum augendo, quod id habet; vel ſaccharo Saturni addendo, cum id in eo eſt; vel hoc jungendo, cui non eſt, magis adſtringens efficere convenit, cum eo, ut linteum multiplex ſuperimpoſitum faſciâ ſatis adſtringatur. Quin ſub finem jugiter boviſta ad ægrum præſtò ſit neceſſè eſt, quæ, ubi chirurgus abeſt, ſuper venas inopinatò ſanguinem fundentes deligetur. Cæterùm ſuperiora unguenta, quæ adſtringunt, etiam ad mollem, & exſudantem intumeſcentiam optimè proſunt. Siquidem ce-

ruſſæ & lithargyro auri oleum roſarum miſcere, donec ad linimenti craſſitudinem venerint; hoc linamenta illita ſuper iſtam intumeſcentiam injicere; & eam, linteo multiplici impoſito, faſciâ adſtringere, minorem opem afferre comperi. Sed videndum eſt, ne iſta unguenta nimiam reprimendi facultatem habeant: alioqui metus eſt, ne duritiem, tumorem, corruptionem adaugeant. Adhæc ſi labium hujusmodi malo correptum eſt, & contra dentes aliqui acutiores ſunt, qui illud irritant, protinus evellantur oportet. Ubi tumor mollis, qui humorem exſudat, non ad radices exciditur, degenerat vulnus in ulcus viſcidiſſimum; & tumor ille renaſcitur. Quam rem magna vis remedii adſtringentis cogere vix potis eſt, etiamſi pannus multiplex & faſcia ſuperdentur. Neque *pulvis arſenicalis*, qui cruſtam plagæ non altam duodecim horis ſine dolore inducit, illam coercere valet, quia, dum cruſta unguento baſilico à parte ſubjacente reſolvitur, iſte tumor etiam redit. Ille verò pulvis eſt magnes arſenicalis, quem capite undecimo deſcripſi, optimè contritus, cui in crucibulo adhuc fluenti dimidia pars terræ vitrioli adjecta ſit. At ſi hæc terra *dulcis* inſumitur, pulvisque ipſe *ſpiritu vini rectificato* aliquo-

quoties abluitur, vis exedendi corpus, quæ non valida eſt, adhuc invalidior evadit. Tandem illud quoque accidere poteſt, ut caput doleat, nervique diſtendantur. Quæ cinnabaris, licet affatim ſine vel cum laudano opiato data, vincere non poteſt. Deinde continua vigilia & delirium eſt; & tandem mors ſequitur. Jam à cura palliativa ad *eradicativam* veniendum eſt, quæ vel *medicamentis acidis erodentibus*, vel *ſcalpello*, vel *ferramento candente* corpori adhibetur. *Medicamentis acidis*, inquam, quia alkalinum, quale eſt lapis corroſivus, quem poſtea comprehendam, in hoc vitio anceps eſt. Eum tamen experiri licet, cum eo, ut ſi exacerbavit, eo protinus abſtinendum ſit. Inſpergendum igitur id, quod ex alumine uſto, & mercurio præcipitato rubro componitur: aut pulvis arſenicalis, ſed cum majori pondere arſenici paratus. Cætera poſtea ſic facienda, ut ultima parte ſuperioris capitis expoſita ſunt. Vel pro iſthoc pulvere butyrum antimonii cruſtæ tenui per pulverem arſenicalem antè excitatæ bis die illinere, & linamenta arida ſuperponere non alienum eſt. Ubi illa ſatis alta exiſtimatur, unguento baſilico largiter admoto, ab eo quod ſubeſt, diducitur. Tum ad idem remedium

adurens recurrendum, cruſta eodem unguento ulceri reſolvenda, & intra hæc manendum, donec omne malum ex toto ſublatum ſit ſic, ut nil quicquam duritiei relictum deprehendatur. Quo facto ulcus iis, quæ purgent, repleant, & cicatrice obducant, ad ſanitatem perducitur. Sed quando facilè fieri poteſt, ut aliqua durities remaneat, malumque renovetur, ideo longè tutius eſt, id totum *ſcalpello* uſque ad ſanam carnem excidere, præcipuè in lingua, ubi medicamentis exedentibus locus vix eſt. Verùm in hac parte: ut & in labio, *forfice* uti commodius eſt: hoc manu; & linguâ vulſella dentata bene prehenſâ. Ulcere ablato, ſuper plagam, poſtquam ſanguis ſuppreſſus eſt, mel roſarum ſanandi cauſa dandum eſt. Tandem curandi ratio per *ferramentum candens* præferenda eſt ei, quæ medicamentis adurentibus fit; ſed magis terribilis eſt. At ſcalpellus vel forfex reliquis præſtat. Verùm ubi alterutro ex his uti locus prohibet, ferramentum illud ulceri admovendum, non ut leviter tangat, ſed ut inſidat. Quod bis die fiat oportet, donec ignis omne malum conſumpſerit. Tum id quoque ſequitur, ut imponendum unguentum baſilicum ſit. Deinde ubi cruſta excidit, ulcus ſicut alia curetur.

retur. Porro cavendum eſt, ne quid horum, vel in febre, vel in corpore infirmo tentetur. Curam autem eradicativam feliciter ceſſiſſe, & omne vitium eſſe ſublatum, apparere ex eo poteſt, quod cicatrix inducitur, & inducta non iterum rumpitur, ulcusque renovatur.

## CAPUT XLI.

### *De ulcere virulento.*

PEr aquoſoſalſam cacochymiam *ulcus virulentum*, è quo acris ſalſus & aquoſus humor cum dolore exit, maximè evenire puto. Quolibet autem corporis membro oriri poteſt, ſed ſæpiſſime in crura incidit. Non viſcido contectum eſt, plusque humoris, quam ferè per aliud ulcus, fertur. Et cum ex malo corporis habitu fiat, rarò non ultra procedit. Ut igitur curatio rectè procedat, vitari omnem æſtum, præcipuè partis affectæ: item omnia ſalſa, aromata, aquoſa: quin acida & dulcia oportet. Cibis viſcidis & ſiccis, qui facilè digeruntur, uti convenit. Inter hæc apozema capite trigeſimo ſexto utiliſſimum eſt. Vel remedium purgans

gans cum mercurio dulci, quale capite, quod jam allegato proximum ſit, videre eſt, bis in ſeptimana; & cum dolor urget, quotidie tria catapotia è maſſâ pilularum de cynogloſſa, quorum ſingula quatuor grana habeant, dare etiam prodeſt. At electuaria opiata, id eſt, mithridatium, theriaca, & diaſcordium non multum proficiunt. Sudoriferaque ſine opio inimica ſunt. Et ſi quid etiam per ſal volatile oleoſum movemus, fiet ulcus deterius. Cæterùm dari ſuper ulcus hoc unguentum,

℞ *terebinth.* ℥ i ß.
*ol: hyperic.* ʒj.
*ung: ægyptiac.* ʒiij.
*maſtich.*
*oliban.* añ. ʒij.
*mercur: ſublimat.* gr. i.
*M. F. S. A. ung.*

opus eſt. Paulum his croci quoque, ubi dolor eſt, accedere debet. Verùm ſcire convenit, id largiter linamento illini, & ſic calidè imponi debere; & quod impoſitum eſt, emplaſtro diapalma contegi, ſed ibi non amplius octo horis manere. Ulcere purgato & repleto, *unguentum griſeum*, cujus compoſitionem capite trigeſimo ſepti-

ptimo posui, aptissimum est. Quamvis emplastrum diapalma, ubi jam caro increvit, etiam maximè idoneum sit. Si cicatrix iterum rumpitur, eadem sunt imponenda, quæ primò fuerunt,

## CAPUT XLII.

### *De ulcere hypersarco.*

OB alkalinovolatilem & viscidam cacochymiam ulcus, in quo caro sive mollior, sive durior excrescit, & quod ὑπέρσαρκον à Græcis appellatur, contingere credo. Id vitium fit maximè in senibus; etiam cum sanguis ultra debitum fermentescit: & quidem post medicamenta pinguia, & ubi linteolum multiplex & fascia negligitur. In hoc autem morbo hæc animadvertenda sunt, ut cibus sit quammaximè tenuis, subacidus; ægerque à multis aromatis, & potionibus materiæ valentis vacet. Item à pinguibus, nimis acidis, & viscidis rebus. Intrinsecus medicamenta contra scorbutum capite vigesimo proposita, utilissima sunt. Inter hæc supercrescentem

tem carnem reprimere neceſſarium eſt. Ad quod conſequendum, ubi modica & mollis reperitur, nullum melius eſt, quam *ceratum auriacum*. Habet,

℞ *axung: porci* ℔ß.
*ovis* ʒiß.
*ceruſſ.* ʒij. ʒij.
*minii* ʒij.
*terr: ſigillat. boli Armeni.*
*ſanguinis draconis* añ. ʒß.
*rad: tormentill.* ʒiij.
*rhabarbar: rapont.*
*vitriol: alb.* añ. ʒij.
*ſarcocol.* ʒj.
*irid: Florentin.* ʒß.
*croci Brittannic.* ʒj.

*Quæ per ſe ſingula primum quamoptimè teruntur, deinde juncta iterum, axungiis adjectis, ut cerati craſſitudinem habeant.*

Per quod copioſè linamento inductum, & impoſitum, multò minus humoris poſtea fertur, & ulcus vel ſine compreſſione à panniculo multiplici, & faſcia adſtricta petenda, ad cicatricem pervenit. At quia crocus nullum uſum præſtat, & tantum coloris gratia additur,

eo

eo detracto, hoc cerato uti licet. Interdum caro increſcens, ubi mollis & exigua eſt, puro linamento reprimi, & ad cicatricem perduci poteſt. Sed tunc ſimul, impoſito pulvillo, faſciâ adſtringatur neceſſè eſt. Si plus carnis eſt, quod tolli opus eſt; aut ſi quid carnis firmioris increſcit, adhibenda ſunt etiam vehementiora, quæ corpus exedant. Cujusmodi ſunt ea, quæ capite quadrageſimo poſui. Si caro per unum ex iis ſemel adhibitum ex toto non conſumpta eſt, idem iterum vel pluries adhibere eatenus, ne quid eminere patiatur, convenit. Illud quoque ſcire oportet, quod quo id liberalius ſæpiuſque imponitur, hoc altior cruſta ſub eo ſequitur, unguento baſilico identidem à viva carne diducenda. Sed carnem, cum æger amat, forfice; vel ubi moles ejus major eſt, ſcalpello excidere melius eſt. Sanguis, qui utplurimum rapidè profluit, facilè ſupprimitur, ſi linamentis liquore ſtyptico, quem capite decimo retuli, madentibus vulnus impletur, ſupraque imponuntur pulvilli, & hæc omnia faſciâ ſatis adſtringuntur: parte deligata alta, & non in calore collocata. Quod ſi dolor, horis aliquot interpoſitis, admodum

dum premit, eum fasciam parum relaxando levare licitum est. Post manum intermittendæ duodecim, vel viginti quatuor horæ antè, quam plaga aperiatur: quæ tunc sanguine nigro induratoque, & utplurimum etiam crusta tenui contecta reperitur. Quibus unguento basilico plagæ resolutis, emplastrum citrinum, quod capite vigesimo quarto comprehendi, cujus uncia pollinis æruginis drachmam dimidiam habeat, purgandi, & cicatrice obducendi causa imponitur. Illud etiam, ubi duriusculum est, instar sparadrapi adhibere non alienum est. Quod si ad cicatricem inducendam non satis valet, emplastrum diapalma superdari in vicem ejus debet.

# CAPUT XLIII.

## *De ulceribus in locis carnosis, tendinosis, os contingentibus, juxta articulos, & in partibus glandulosis.*

AB ulceribus ex cacochymia oriundis ad ea transeundum est, quæ pro *parte affecta* inter se differunt. Inter quæ primò numeramus ea, quæ in *locis carnosis*, *tendinosis*, *os contingentibus*, *juxta articulos*, & *in partibus glandulosis* consistunt. Quæ verò sunt in *locis carnosis* nihil habent proprium, nisi quod, cum opus est, medicamenta validiora ferre possunt; & facilè sanescunt. Ulcera in *locis tendinosis* exigunt, ut, si sordida sunt, remedia leniora puta unguentum basilicum, & balsamus Arcæi, quem capite trigesimo sexto descriptum vide, sive alterutrum per se, sive utrumque inter se mixtum admoveantur. Hujus generis etiam est balsamus copayvæ, & sulphuris terebinthinatus: quorum prius plus, & hoc minus, alterutri è suprapositis lenioribus adjectum opitulatur. Adhæc curatio in hisce partibus difficilior est, & nonnunquam motus tarditatem relinquit: quibus tamen incommodis per em-

plaſtrum de labdano, cujus compoſitio capite tertio comprehenſa eſt, maturè occurritur. Quia non tam pus, quàm aerem, & quidem hujus frigus, os vitiare concipio, ideo, ubi *in ulceribus os* aeri expoſitum eſt, eum admotâ prunâ, dum ulcus deligatur, calefieri oportere judico. Pinguia verò per ſe os lædere poſſe, mihi probabile non fit, eo quod à medulla oſſi incluſa non corrumpitur; multaque corruptibilia oleo olivarum vel adipe ſuperdata corruptionem evadunt. Tamen ſi os nudatum eſt, ut pulverem, quii è radicibus ariſtolochiæ rotundæ, & iridis Florentinæ conſtet, aliquis inſpergat, author ſum. Niſi ex eo aliquid unguento vel balſamo ſuo adjicere mavolet. Si *ulcera articulos* occuparunt, ut maxillæ inferioris, pedis, cubiti, aliarumque partium, neceſſarium eſt, donec cicatrix ſit, conquieſcere, præcipuèque, ſi altè deſcendunt: nam corporis motu ſaneſcentia ulcera exaſperantur. Et ſi tumor adeſt, emplaſtrum de labdano circumdare, magis, quia motus tardi metus etiam ſubeſt. Cujus rei cauſa, dum curatur, ita membrum moveatur oportet, ut motus ſanitati non obſtet. Ubi *ulcera partes glanduloſas*, id eſt, mammas, collum, tenent, glandulæ vel *integræ* ſunt, vel *aper-*

*tæ*

tæ. Si prius, non eſt, niſi ut, juxta auxilia ordinaria, calor parti affectæ ſervetur. Sin poſterius, quod difficili curatione cognoſcitur, ulcere per unguentum capite quadrageſimo poſitum purgato, & repleto, ad *compreſſionem* confugere oportet, ſive à pulvillo & faſcia; ſive à machinula quadam petendam. Quamvis, ubi durities deeſt, gutta una aut altera *balſami martialis* capite quarto deſcripti, clyſtere intus adacta optimè prodeſt. Sed cum durities eſt, pulvere de cinnabari, quem capite vigeſimo quarto compoſui, ſuffumigari debet, emplaſtro diapalma ſuperimpoſito. At in hujusmodi ulceribus linamento oblongo & involuto opus non eſt. Quæ etiam emplaſtrum de labdano largiter membranulæ illitum, ſine linamento implicito, imo ſine panniculo multiplici & faſcia, ad ſanitatem perducit, maximèque ſi pars vel cum rubore tumet. Quod ſi nihil horum ſanitatem reddat, ad *butyrum antimonii* decurrendum eſt, è quo per penicillum ulceribus prius ampliatis ter quaterve, duodecim horis interpoſitis, illinendum ſic, ut cutem non attingat. Tum cruſtæ unguento baſilico liberaliter adhibito ab integra parte

reſolvendæ; & ulcera, ſicut alia, ſed pice liquida, vel oleo è carbonibus petræ, vel balſamo Peruviano; & compreſſione curanda. Atque ſcire convenit, terè plus ſemel ad ſupradictum butyrum eſſe recurrendum, donec ad ſanitatem veniatur. Quæ ſi nondum contingat, balſamo Peruviano tamdiu utendum, donec ulcuſculum non altum remaneat. Quod tandem cerato auriaco capite proximo deſcripto, cui tantillum hujus balſami adjectum ſit, ad cicatricem perducitur. Cui verò ſi viſcidum in ulcuſculo natum obſtat, illud eodem cerato cum pari portione unguenti Ægyptiaci mixto, ſimul & purgatur, & cicatrix inducitur. Vel ſi adhuc per hoc parum proficitur, paululum mercurii dulcis inſpergendum, & ſuperdandum emplaſtrum citrinum, capite vigeſimo quarto poſitum.

# CAPUT XLIV.

## *De ulceribus in oculis.*

*Oculorum* autem *ulcera* vel in albo, quod minus frequenter; vel in iride, quod ſæpius; vel in pupilla, quod frequentiſſimè fit, incidere, experientia conſtat. Ex inflammatione dolorifica utplurimum ſequuntur; nunquam ſine ea ſunt; & vix unquam ſine capitis dolore reperiuntur. Interdum etiam fit, ut ex variola, phlictæna, aliove vitio in oculo eveniant: at tunc ſubſequitur inflammatio. Igitur ubi è dolore tum oculi, tum capitis, ulceris ſuſpicio ſubit, palpebris diductis, oculus obliquè loco lucido inſpiciendus eſt. Quod, ſi is lumen refugit, cum difficultate fiat neceſſè eſt, præcipuè cum infans eſt. In quo ferè non prius oculum intueri licet, quam inflammatio parum levata ſit. Jam ulcuſculum quaſi macula alba ſe manifeſtat, cujus media pars foveolam habeat. Quam, ubi plana eſt, κοίλωμα Græci nominant; ubi alta, βόθριον. Ad quæ reliqua commodè referri poſſunt. At omnium facillimè ulcus ſordidum cognoſcitur, quod vel ſub variolis, vel

poſt eas, materia, quæ læſit, non ſatis expulſa, naſci conſuevit. Fiunt verò ex oculorum ulceribus cicatrices, leviter *depreſſæ*, ſi plana fuerint; & *eminentes*, in pupilla inſtar vitii, quod unguis appellatur, ſi alta. Utræque ubi pupillam invaſerunt pro magnitudine ſua magis vel minus aciem ipſam corrumpunt. Quando ulcus altè in tunicam corneam deſcendit, in oculi iride vel albo attollitur tunica uvea, & ſimilis figura acino fit. Unde σαφύλωμα Græci vocant. Quo in ſumma parte exciſo, humor aqueus exit, oculus vehementer ſubſidit, & lumen amittitur: quod ſine auxilio eſt. Itaque illud non niſi tunicam uveam eſſe credo, eo magis, quod purpureum colorem habet. At ſi ulcus pupillam occupavit, quin tunica cornea ſit, quod propullulat, non eſt dubium. Verùm ſub ulcere ad ipſum humorem aqueum penetrante oculus rumpitur, illeque humor quoque effluit. Id quod plerunque in ulceribus ſordidis evenit. A morbi ratione ad curationem veniendum eſt. Quæ ut rectè procedat, ut cœli frigus, ita ignis ſolisque ardorem & lucem fugere oportet. Et aromatis, ſalſis, ſpiritu vini ſimplici compoſitoque & ſimilibus abſtinere. Acria omnia, ſive ſint ſudorifera, cujus generis eſt pilula Starkei-

jana;

jana; ſive alvum ducant; ſive urinam citent, ut eſſentia cantharidum; ſive ſanguinem attenuent, ut ſal volatile oleoſum; imo ipſa veſicatoria, inimica ſunt: nam per ea ulcus cum inflammatione gravius fieri, uſus docet. Nimius corporis motus, continua vigilia, ira & fletus etiam nocent. Minus noxia ſubacida & dulcia. At cibis eupeptis, præſertim humidis, & potionibus aquoſis uti expedit. Porro, ex hoc collyrio,

℞ *decoct: fœnicul.* ℥vi.
*aloes* ℥ß.
*vitriol: alb.*
*ſacchar: cant: alb.* añ. ℈i.
*ærugin:* ℈ß.
*mell: alb.*
*fell: bubul.* añ. ʒij.

*Coq: parum, & poſtquam ſubſidit, per chart: bibul: ſupernatante madentem colletur humor pro collyrio.*

quod purgat, implet, ſanat, & in omnibus oculorum ulceribus utile eſſe evidenter comperitur, aliquot guttæ tepefactæ, quater vel ſexies die oculo inſtillandæ ſunt. Si infans hoc vitio laborans veretur, ne oculum id excipiendi cauſa aperiat, in canthum majorem infundere neceſſarium eſt: nam

tunc, palpebris diductis, per ſe circa oculum ſubintrat. In tali ægrotulo quoque id remedium addita aqua fœniculi lenius reddere convenit. Quod idem, ubi *dolor urget*, vel is, collyrio indito, *ultra momentum unum aut alterum durat*, etiam faciendum eſt. E quibus alterutrum ſi fiat, multaque lachryma profluit, materia acris in inferiora purgantibus antè depellenda venit, quam is thoc collyrio aliquis utatur. Etiam pannus viridis vel cœruleus è lana vel ſerico factus ante oculum dependeat neceſſè eſt, quod in id, ne lux officiat, præcipuè proficit. At ſuper eum medicamenta deligare alienum eſt, niſi quis cataplaſma anodynum, ubi dolor ingens eſt, noctu tantum admovere volet. Et pulvis, licet quam optimè tritus, ut qui magis quam humor afficiat, inflammationi etiam inutilis eſt. Supradicto modo morbus ad ſanitatem venire poteſt. Sed ea promptius reddetur, ſi quovis tempore matutino aliquis ex his *pilulis de ſcammonio dulcibus*,

℞ *ſcammon.* ʒj.
*mercur: dulc.* ʒß.
*ſucc: liquirit: depurat.* gr. xv.
*ſyrup: folior: ſenn.* qs.
*M. F. pilulæ* no. xxx.

ſex,

ſex, vel quot ter quaterve alvum moveant, devoret. Vel dari in vicem earum poteſt apozema capite trigeſimo ſexto propoſitum. Ubi parvulus hoc vitio tenetur, pro ætate minori modo exhiberi debet. Tandem ſcire convenit, quod in hoc vitio (imo in quavis oculorum inflammatione) mercurius præcipitatus ruber dulcis, quem capite vigeſimo quarto poſui, intrinſecus datus; & unguentum capite quinquageſimo deſcriptum, bis die oculo inditum, utramque paginam abſolvunt. Si quis infans nihil remedii ſumere velit vel poſſit, pro iſtius mercurii uſu unguento Neapolitano, cujus compoſitionem capite vigeſimo quarto videre eſt, cervix ungenda eſt. Cicatricem relictam non niſi longo tempore extenuant, non tollunt medicamenta. Quorum conchæ uſtæ, cornu cervi uſtum præparatum, os ſepiæ, aliaque id genus, tentari poſſunt, ut ex iis pollen factum, bis vel ter die ſuper cicatricem inſpergatur. Quin hanc, illo in oculum conjecto, per ſuperiorem palpebram atteri commodiſſimum eſt. Eam verò, quæ unguem refert, ſcalpello excidere, aliove ferramento tollere, dolor, oculi motus, & exitus humoris aquei prohibent. Staphyloma per ſe, ſi parvum eſt,

paulatim ſubſidit; ſi magnum, minuitur. Quò tamen ſupraſcripto collyrio uti; & noctu oculum linteo multiplici compreſſum, & vinculo adſtrictum habere, prodeſt. Per quæ oculus tandem ad priſtinum ſtatum revertitur. Quod ſi, humore aqueo emiſſo, vehementer ſubſidit, *vitreo* locum eſſe manifeſtum eſt.

## CAPUT. XLV.

### *De ulceribus in ano, in umbilico, in auribus, in palpebris, in naribus, in labiis, in ore, in cruribus, & in manibus.*

IAm ſequitur, ut de reliquis ulceribus, quæ huc ſpectant, dicamus. *Anus* autem, *ſive inteſtinum rectum* ut multa tædiique plena mala recipit, ita ſæpe *ulceribus opportunum eſt.* Ea utplurimum poſt abſceſſum veniunt; etiam poſt aſcarides, & poſt dyſenteriam. Forſanque hæmorrhoides internæ, cum emoriuntur, in ulcera tranſeunt. Habent verò haſce notas: *dolor* eſt, qui non tam in imo ventre, quam inferiori parte ſentitur; & pro puris acrimonia ac ulcerum magnitudine magis minusve infeſtat.

Ad-

Adeſt *magna deſidendi cupiditas* ſic, ut aut nihil, aut liquidi aliquid, niſi cum dolor leviſſimus exiſtit, excernatur. *Materia* quoque *purulenta* ſive per ſe, ſive hoc liquido mixta, alvo redditur; & quidem ſubnigra & fœdi odoris, ſi putria ſunt; & albida bonique odoris, ſi pura. Cum hujus materiæ coitus in aliquo ſinu fit, exitum dolor antecedit; & protinus poſt decedit. In putridis etiam alcarides naſci conſueverunt. Imo ſi longa fiunt, in fiſtulas ani, ut vocant, verti poſſunt. At in ulceribus puris, carnem, quæ in conſpectum chirurgi detur, excreſſere poſſe, uſu cognitum eſt. Etiam condylomata accedere queunt. Sordesque & altitudinem ulcerum ſpeculo ani aut digito explorare, dolor minimè permittit: etenim ſæpe linamentum implicitum, quod unguento leni illitum ſit, demitti æger non patitur. Ut verò ſupradicta ulcera curentur, genus victus habendum eſt, quod ſupra capite vigeſimo nono comprehendi, præterquam quod hic plus cibi ſimul aſſumere licet. Medicamenta, quæ capite quarto ad inteſtini recti ulcera compoſui, proſunt, cum eo, ut, ſi putrida ſunt, injectio, radice conſolidæ majoris remota, majorem mellis roſarum modum habeat. Si id dolo-

rem

rem moveat, illud mel antè cum paulo vitelli ovorum miſcere expedit. Ubi quis fiſtulam oricularii clyſteris in anum dari non ſuſtinet, hoc remedii genere rejecto, mel roſarum affatim in cibis; aut multum mellis albi vitellis ovorum mixtum per ſe ſumendo contentum eſſe oportet. Cum difficulter ad cicatricem venitur, quotidie rheo uti, donec ſemel venter liquidus ſit, ſatis eſt. Si caro increſcit, curari debet, ſicut capite quadrageſimo ſecundo præcepi. Si condylomata adſunt, uſus butyri antimonii, vel unguenti corroſivi, cujus compoſitio capite vigeſimo quarto poſita eſt, prodeſt. *Vlcuſculum*, quod *in umbilico* ſedem habet, utplurimum infantibus, funè umbilicali lino adſtricto, & ſic ablato, è puris aut ſudoris acrimonia, vel negligentia curantis, incidere ſolitum eſt. Ubi remedio apto purgatum eſt, aqua calcis linamento excepta, & ſic impoſita; vel cinere tabaci injecto, & ſuper eum linamento arido dato, perveniri ad ſanitatem poteſt: cum eo tamen, quod non ignoremus, illa curioſè in locum cavum demitti, pulvillum ſuperimponi, & vinculo adſtringi, ne elabantur, debere. *Vlcera in auribus* ſolent evenire, facto abſceſſu, eoque rupto. Cognoſcuntur facilè, ſi pus ex

iis

iis' fluit. Cujus ubi multum, malusque odor eſt, ulceris putridi ſignum eſt. Cum plana puraque ſunt, ferè per ſe ſaneſcere comperimus. Si alta ſunt, & in parte cartilaginoſa foraminis aurium conſiſtunt, facilè ſanitatem admittunt. Sin altè in parte oſſea ſunt, difficulter ad eam perducuntur. Si verò pus mali odoris aures habent, ſpecillum lana involutum, vel potius, ſpongiola filo ferreo adnexa in aurem injicitur, ibique vertitur; & rectè elixir proprietatis dulce, cujus compoſitionem capite quarto retuli; vel aqua viridis Hartmanni capite trigeſimo ſeptimo comprehenſa, cujus uni parti, quatuor plus minus mellis roſarum adjectæ ſint, ter vel quater die per ſe infunditur. Ubi auris repleta eſt, non ſuper lana mollis addenda eſt, quæ humorem intus contineat. Per alterutrum ex iis ferè intra quindecim dies ſanitas redditur, ſi vitium ſit in parte cartilaginoſa. Si ea non redditur, eſſe in oſſea, & in vetuſtatem incidere puto. Tamen in hoc malo, quod nullis aliis auxiliis cedit, admodum efficax eſſe conſuevit *balſamus martialis*, quem capite quarto comprehendi, cum pari vel ea portione *olei hypericonis* mixtus, ut ejus vis facilè ſuſtineri poſſit. Illud enim perpetuum eſt, quotiescunque acrius me-

medicamentum eſt, quam ut æger ferre poſſit, adjiciendum id eſſe, ex quo iſtud componi debet, donec ſatis lene ſit. Hujus autem medicamenti guttæ duæ vel tres ter die, aure antè ſpongiola repurgata, inſtillantur; ſed non etiam ſuper lana molliſ additur. Si in hujusmodi ulcere caro putrida ſit, quod interdum in infantibus fieri experientia docet, non alienum eſt, melle albo aqua diluto per oricularium clyſterem aurem eluere, & tum infundere mel album, adjecto paulo terebinthinæ, tepefactum, idque ter die facere. Deinde ubi purum eſt, linamentum involutum & oblongum unguento epulotico unctum demittere, & ita ſanare. *Ulcera palpebrarum* deſiderant hanc animadverſionem, quod diducendus quotidie oculus eſt, ne cicatrice inter ſe palpebræ glutinentur; quod, ubi ſordida ſunt, ad purgandum ex unguento de melle, capite quarto compoſito, linamentum imponendum eſt; ac noviſſimè, quod inungendum unguento oculari, de quo capite quinquageſimo referam, quo ulcera ad cicatricem perducuntur. *Ulcera narium* febre ſaneſcente ſæpe critica ſunt. Hanc habent proprietatem, quod magis quam reliqua cruſtulis conteguntur. Quæ proinde unguento pingui

à ſa-

à ſana carne reſolvendæ ſunt antè, quam cicatrice medicamento ad id apto obducantur. Jis tamen, quæ ob criſin contigerunt, non egent. *Ulcera* vel ex criſi, dum febris ſolvitur, *labiis* incidunt, cruſtulas etiam aliquando habentia; vel ſine ea naſcuntur. Etiam ſæpe labra hieme ex aere frigido & ſicco finduntur. Hæc autem res habet cum dolore etiam hanc moleſtiam, quod ſermo prohibetur; qui ſubinde eas rimas cum dolore diducendo ſanguinem citat. Ulcera critica, ſi levia ſunt, per ſe finiuntur; ſin gravia, ut & reliqua, exigunt, ut id, quod impoſitum eſt, emplaſtro tenaci, vel vinculo contineatur. Rimæ, quæ in ſummo ſunt, aerem lædentem evitando, & ex unguento pomato, vel candela ſebacea ad prunam ungendo, curantur. Cum altius deſcenderunt, oleo myrrhæ, vel balſamo Peruviano illinendæ ſunt. Ubi inveteraverint, unguentum Neapolitanum capite vigeſimo quarto deſcriptum bis die admoviſſe expedit. Sed hic ſciri volo, ulcera, quæ labiis clauſis ex toto conſpectui ſubtrahuntur, inter ea, quæ oris ſunt, referenda eſſe. *Ulcera oris* ex variis cauſis fieri, ſatis conſtat, id eſt, ex ſcorbuto, vel ex cancro oris ſive aquatico, vel ex ſaliva frequenti eaque acri,

vel

vel ex dentium tartaro. Eſt etiam hoc proprium eorum, quod acida, ſi ea, quæ è cancro aquatico ſequuntur, excipias, ſine ulla noxa comprimuntur; & exigunt, ut frequenter remedia admoveantur. Qualia verò ſingulis reſpondeant, ſuo loco ſupra propoſuimus, præterquam quod ulcera per tartarum dentium illata in alium locum reſervabimus. Jis tamen omnibus hoc etiam commune eſt, quod ubi dens ſcaber pungendo ulcus exaſperat, qua parte lædit, radendus eſt, vel, niſi quid obſtat, eximendus. *Ulcera crurum*, quæ utplurimum, quia ferè difficulter ſaneſcunt, vetuſta ſunt, optimè, ſive pura ſunt, ſive ob viſcidum vel putridum aliquid, leviter impura ſunt, unguento griſeo, cujus compoſitio capite trigeſimo ſeptimo habetur, curantur. Quanquam interdum emplaſtrum citrinum, vel per ſe, vel addita æquali parte picis liquidæ magis reſpondeat: atque ubi pura ſunt, aliquando emplaſtrum diapalma; nonnunquam ſtictícum Crollii vel opodeltoch, quæ capite trigeſimo quarto poſui, etiam utiliſſimum ſit. At ſub his faſcia ab unguibus ad genu uſque, calce ſolummodo libera, ſic deliganda eſt, ut & contineat, & valenter, quo propius genu, eo minus, adſtringat. Non tamen ni-

nimium vehementer, ne membrum torpeat. Adhæc faſciæ ſuperiores inferioribus liberaliter inſidant, ne quod adſtrictum eſt, veſiculis periclitetur. Tum extrema pars ejus inferioribus acicula jungenda eſt: nam nodus corpus lædit. Faſcia verò linea aptiſſima eſt, palmæ manus latitudinem non excedens, limbo fimbriave carens, ſuturis, ſi ſunt, planis prædita. Adhæc crus, ſi æger ambulare nequit, in lecto; vel in pulvinari ſellæ impoſito, ſublime habendum. Et quamvis quies neceſſaria eſt, tamen ea non ſemper contingere poteſt agendi neceſſitatem habentibus. Fonticulum autem ſub genu factum experimentum non approbat. Et qui rationi inſiſtit, eum non excitabit: quanquam interdum fit initium quoddam novi ulceris. Quid de ſanguinis detractione ſentiendum ſit, è capite vigeſimo quinto peti poteſt. Longè utilius ſuccurrunt purgationes per pilulas purgantes capite ſexto traditas, ſingulis, vel alternis diebus factæ: præcipuè ſi firmo corpore materia ſupereſt. At omnium maximè prodeſt mercurius præcipitatus ruber, qui quo pacto dandus ſit, capite vigeſimo quarto in lue venerea propoſui. Præprimis cum purgationes interponuntur. Ubi jam cicatrix inducta eſt,

facilè emollitum in balneo crus cito rursus eodem malo afficitur. Tandem *manus*, si ulcera habent valentia, ex cervice suspensæ sint necessè est: quippe quo dolor tumorque, si sunt, levantur, minusque puris fertur. Etiam quietæ habendæ sunt: quod ad cicatricem quoque confert. Et quicquid iis impositum est, non adstringi, sed modicè deligari debet.

## CAPUT XLVI.

### *De ulceribus cum oris tumentibus; & de ulcere ob aliquod non naturaliter in corpore hærens exsudante.*

IAm ad ulcera transeundum est, quibus *pro figura* diversa nomina sunt imposita: ut sunt, 1, *cum oris tumentibus*: 2, *plana vel sinuosa aliquem humorem exsudantia*, a, *ob aliquod non naturaliter corpori inhærens*; b, *ob sinum ex abscessu magno natum*; c, *ob os vel cartilaginem vitiosam*; d, *ob tendines nervosque corruptos*; e, *ob cujusdam humoris transitum*; &, f, *ob humiditatem nimiam*. Quæ singula curiosè sunt discernenda, sicut rationem habent dissimilem. *Ulcera verò oris tumidis circumdata* desiderant cum auxiliis, quæ

quæ carnem alunt, linteum multiplex & fasciam longam. In quibus hæc animadvertenda sunt: ut *illud* non latè oras contegat; suo loco servetur; & quavis deligatione eum mutet, ne summa cutis in vesiculas attollatur; & *fascia* satis adstringat. At si cui unguento grisseo uti placet, hac compressione opus non habet. Porro, sub nomine *ulceris exsudantis* significo id, quod humorem quendam emittit, sive *planum* sit, sive *sinuosum* (*cavernosum*, *cuniculosum*.) Primum igitur *ulcus humorem aliquem exsudans* eo, quod *aliquid non naturaliter*, id est, contra vel præter valetudinem *corpori inhæret*, comprehendam. Hoc autem inhærens esse potest linamentum implicitum, aculeusve ligneus, vel unguis, vel velamentum tumoris. Si *linamentum vel aculeus* ejusmodi sit, vulsella aliove ferramento ad id idoneo recipiendus est, orificio absceſſus illud eximendi causa antè ampliato. Post quæ vitium facilè auxiliis aptis ad sanitatem perducetur. *Unguis* maximè hallucis à latere per calceum angustum in cutem compulsa ambulando dolorem, ac si podagra cruciat, movet. Et deinde, nisi succurritur, paulatim lædendo cutem ulcusculum excitare

poteſt, quod chirurgiæ imperitis multum negotii faceſſere conſuevit. Ubi ergo hujus vitii metus eſt, ſuccurri latus unguis forfice exigua & acuta tollendo, ex penicillo tenuia quædam ibi indendo, & linteolum oblongum, cui emplaſtrum tenax illitum ſit, ſuperdando oportet. Quod ſi cutis unguem à latere magna ex parte contegat, antè illa quoque forfice excidenda eſt, ſiccis linamentis vulnuſculum implendum, ſupraque impoſitus pulvillus faſciola adſtringendus. Et quia non ſatis altè excidi poteſt, imo ferè denuo caruncula increſcit, nec ſicco linamento pulvilloque contineri poteſt, unguento corroſivo, cujus compoſitionem capite vigeſimo quarto retuli, ſuper plagam, quod altius ibi carnem exedat, uti convenit. Hoc ubi duodecim horis manſit, cruſta inducta unguento baſilico ab integro reſolvi debet, plaga eodem, cui aliqua pars unguenti Ægyptiaci adjecta ſit, purgari, & cerato auriaco capite quadrageſimo ſecundo deſcripto, ad cicatricem perduci. Inter hæc id agendum eſt, ut ſemper pulvillus faſcia adſtrictus ſupra habeatur. Adhæc ſi cutis ab unguis latere læſa ulcus contraxit, id ſicut paulo antè mihi dictum eſt, ſanare neceſſarium

eſt.

eſt. Præterquam quod, ubi putridum eſt, antè unguento Ægyptiaco, vel per ſe adhibito, vel cum aliqua parte balſami Arcæi, quem capite trigeſimo ſexto videre eſt, mixto, purgari oportet. Ad ſanitatem quoque uſus quietis, ſi non ſit agendi neceſſitas, non mediocriter prodeſt. Præterea ſæpe teneræ ætati ulcus oritur ex unguis portiuncula poſt abſceſſum relicta, & ſubjectam carnem afficiente. Eſt autem vel *cruentum*, vel *magis aut minus ſordidum:* & cum manu tangitur, dolens. Niſi rectè curatur, non facilè ſanitas reſtituitur. Ea tamen hoc pacto non difficulter dari poteſt. Supradicta unguis portiuncula, ſi æger ſuſtinet, vulſella arrepta eximenda eſt. Si non ſuſtinet, qua diducta eſt à carne forfice abſcindenda. Hoc etiam cum initio non fertur, poſtea fiat neceſſè eſt. Si ne tunc quidem aliquis tolerat, omitti debet: nec tamen dubium eſt, quin ſanitas, eo, quo dicam, modo reddatur. Et quia ferè non cruentum duntaxat, verùm etiam ſimul modicè impurum reperitur, unguentum epuloticum capite trigeſimo tertio poſitum, & Ægyptiacum pari pondere miſcere, & id imponere commodiſſimum eſt. Per hoc

enim ſic purgatur, ut etiam unà ſanguine ſuppreſſo ad cicatricem perveniat. Quæ tamen adjuvare pulvillus ſupraimpoſitus, ſi faſciolâ adſtringitur, poteſt. Ubi magis aut minus ſordidum eſt, vel unguentum Ægyptiacum per ſe, vel adjecto balſamo Arcæi injicere expedit. E quibus hoc quoque ad carnem nutriendam facit. At cicatrice obducendi cauſa ceratum auriacum admovere optimum eſt. Alioquin emplaſtrum Ruſtingii, cujus compoſitio capite trigeſimo quarto tradita eſt; vel ſtictícum Crollii ibidem etiam poſitum ad cicatricem perducere poteſt. Si poſt hæc viſcidum ulceri inducitur, aut emplaſtrum citrinum capite vigeſimo quarto deſcriptum per ſe; aut, ubi illud difficulter ſolvitur, ex balſamo ſulphuris, donec ei craſſitudo emplaſtri mollioris ſit, liquatum imponi opus eſt. Sub his autem tumor, qui ferè cuti ungui proxmæ eſt, diſcutitur ſic, ut nihil aliud ad ſui curationem deſideret. Si quando autem *tunica tumoris*, ſive tota, ſive ex parte eximi non potuerit, idque recens eſt, balſamum ſulphuris terebinthinatum immittere, & emplaſtrum de labdano capite

pite tertio propoſitum, quod membranulæ liberaliter inlinatur, & quavis deligatione detergatur, ſine linamento ſuperdare ſatis eſt. Sin inveteraverit, ſinus undique radice calami aromatici ampliatus butyro antimonii per penicillum inungendus eſt; vel linamentum involutum & oblongum unguento corroſivo, quod capite vigeſimo quarto retuli, illitum demittendum, ſicque velamentum tumoris adurendum. Si ex his alterutrum undique ad illud pervenire non poteſt, ſinum antè incidere neceſſarium eſt. Tunicâ ſic exuſtâ, linamentis id curandum, cæterisque pus moventibus, quæ cruſtam à ſano reſolvant; implentibus; & ad cicatricem perducentibus.

## CAPUT XLVII.

### *De ulcere ob ſinum ex abſceſſu magno natum exſudante.*

ULcus humorem aliquem *exſudans* etiam *ex ſinu abſceſſus magni* ſequi poteſt. Id verò facilè cognoſcitur ex abſceſſu, qui præceſſit; modo puris, cujus plus feratur,

quam quod anguſto ſpacio conveniat; & ſpecillo demiſſo. Corpus autem *ulcus purgando*; *ſinus partes conjungendo*; & *orificium cicatrice obducendo* ad ſanitatem venire poteſt. Igitur *purgationis cauſa* mel album paulo aquæ communis dilutum, addito, ſi opus eſt, tantillo unguento Ægyptiaco, oriculario clyſtere intus compellendum. Siquidem hydromel, cui vegetabilia, quæ ulcus purgandi facultate polleant, incocta ſint, nec neceſſarium, nec æquè bonum eſt. At ſciri debet, quod vitium, cum non vetuſtum eſt, ferè purum exiſtit; & medicamentum purgans non requirit. Ob quam cauſam plures ſinus ſine ejusmodi remedio, compreſſione duntaxat à pulvillis & faſcia petitâ, ſaneſcere comperimus. Inter hæc *ad partes ſinus in unum jungendas* orificium radice calami aromatici, vel ſpongiola, ſicut capite vigeſimo ſeptimo præcepi, ampliare convenit; eò plumbeam fiſtulam recurvatis in exteriorem partem labris, injicere. Hujus ea pars, quæ intra eſt, adeo longa eſſe debet, ut in ipſum ſinum procedat, ut, quicquid humoris intus eſt, jugiter effluat. Si iter, qui ad ſinum tendit, flexus habet, flexibili fiſtula uti. Item

pan-

pannum multiplicem, vel cataplaſma aridum ſuper linteum liberaliter impoſitum, vel ſpongiam planam è vino rubro auſtero expreſſam, quorum ſingula latè ſinum contegant, ſuperdare; illaque omnia faſcia longa adſtingere. Verùm in hac re quædam obſervationes ad hæc comprimentia, & faſciam pertinentes, neceſſariæ ſunt. Nam quo ulceris foramini propiora ſunt, eo illa tenuiora eſſe debent; faſciaque æqualiter injicienda minus attrahi: & ipſum foramen, quoad fieri poteſt, liberum ab utrisque manere. Adhæc quanquam pro puris copia bis terve die ulcus deligare expedit, tamen, quia cito adhibita fiſtula plurimum è pure minui ſolet, id bis die fieri abundè eſt. Etiam ad rem pertinet corpus ita jacere, ut inferior pars ſemper ea ſit, è qua pus ferri deprehendimus. Siquidem nihl facere oportet, quo minus, quicquid eſt puris, exeat. Porro, ubi ſuprapoſita compoſitione octiduo aliquis uſus eſt, ſinum perpurgatum eſſe conjectura rectè proſequitur. Proinde jam is curari debet implentibus. E quibus balſamus ſulphuris terebinthinatus, vel Peruvianus aptiſſimus eſt, cujus aliquot guttæ intus infundendæ, vel clyſtere adigendæ ſint.

Interdum uſu venit, ut alterutro balſamo cum compreſſione omiſſo, emplaſtrum epuloticum per ſe, ſed lento gradu, ad ſanitatem perducat. Quod ſi ex ulcere humor glutinoſo-aquoſus exire conſpicitur, niſi vas lymphaticum ſit apertum, ſanitatem præ foribus adeſſe indicium eſt: etiamſi per illum ſinus partes non coaleſcant. Neque eundem ex ulcere tunc profluere perpetuum eſt. At quamdiu locus admodum durus ſentitur, ſinus partes vix conjungi patitur. Itaque emplaſtrum Ruſtingii capite trigeſimo quarto, vel ceratum de cœpis capite tertio poſitum injiciendo emollire neceſſarium eſt. Quin potius, ſi curatio ſatis proceſſit, ob id ipſum, fiſtula remota, emplaſtro de labdano largiter membranulæ inducto, quod melius quam emplaſtrum Ruſtingii ulcus apertum ſervat, uti utiliſſimum eſt. Per illud enim longè optimè ulcus ſine linamento implicito nutritur. Etiam utile eſt ſcire, id, cujus ſinus latè ſe inter muſculos abdominis, & membranam, quam περιτόναιον Græci vocant, diffundit, licet orificium anguſtum eſt, maximè ſi in imo eſt, panno multiplici & vinculo præteritis, ad ſanitatem pervenire. Item, ſinum, qui altè inter muſculos deſcen-

ſcendit, plerunque facilius ſine pulvillis & faſcia, quam iis injectis, ſanari. Si ſinus ſanitatem admiſit, his indiciis cognoſcitur: ubi per foramen, implicito linamento demiſſo, & horis duodecim interpoſitis recepto, pus non increſcit; aut ubi poſt fiſtulam ſinus demiſſâ candelâ cereâ nihil puris emittit Etenim quoties ita pus ſe oſtendit, ad fiſtulam recurrere oportet. Si ſinus vel cavitas ſive ob magnitudinem ſuam, ſive quia aliquò longius procedit, ſive quoniam ima exitum non habet, auxiliis ſecundis fruſtra curatur, ab inferiori parte incidenda eſt, ne quis humor intus ſubſidat, qui proxima, & adhuc ſana rodendo ſinuet. Semper autem ubi ſcalpellus admovetur, id agendum eſt, ut quam maxima plaga ſit: cum eo tamen, ne cavitatis amplitudinem excedat. Dandaque opera eſt, ut, dum inciditur, vel foramine obturato cavitas plurimum puris habens diſtenta ſit; vel, demiſſo ſpecillo, contra principium hujus incidatur. At hoc modo incidere carnis altitudo nonnunquam vetat. Si ulcus in pectoris exterioribus ſub muſculis conſiſtit, ſpecillum recurvum demittitur, cujus prin-

ci-

cipium inſtar ſcalpelli acutum, & globulum cereum ſibi impoſitum habens, imam ſinus partem perforet. Quod ſi ſinus, ubi in ima parte exitu prædituſ eſt, nondum, quia major eſt, ſanitatem recipit, latius, interdum etiam duabus aut tribus lineis incidendus eſt. Et cum ſub his etiamnum perveniri ad ſanitatem non poteſt, totus incidendus venit. Hoc autem ſi protinus inter initia fiat, certius & maturius vitium ſaneſcat neceſſè eſt. Totius cavitatis inciſio vel *forfice*, cujus alter mucro globoſus ſit; vel *ſyringotomo*, qui tamen fiſtulis ani, ut appellant, incidendis maximè accommodatus eſt; vel * *cultello globoſo cum ſpecillo ſulcato* ſic, ut illum vel ſub motu partis incidendæ exilire non ſinat; efficitur. Igitur hoc ferro tutiſſimè, ut & expeditiſſimè ea, quæ ſupra ſinum quantumvis longiſſimum ſunt, uno ictu diſſecare licet. Sed diligentia adhibenda eſt, ne cædendo tendines, arteriæ, & venæ majores lædantur. Quod etiam facilè evitari poteſt, quoniam cavitates, quæ ex ſuppurationibus magnis eveniunt, utplurimum non altius quam ſub cu-

* *Tab.* 1. *Fig.* 2. & 3.

cutem deſcendunt: quamvis id, cum hæc admodum tumet, ita eſſe videtur. Quamnam verò ſedem illæ partes habeant, ex Anatomia intelligere integrum eſt. Etiam ex tactu & viſu: nam tendinum durities, ſi locus durus non eſt; & arteriarum motus, tactu; ſed venarum color lividus viſu ſentiuntur. Cæterùm inciſione facta, inſerere linamenta, ſupraque imponere pulvillos, & hæc faſcia adſtringere ſic, ut ſanguis ſupprimatur, oportet. Deinde vulnus, ſicut ulcus cavum vel cum oris tumentibus, de quo capite proximo explicui, curandum eſt. Tandem ſcire neceſſarium eſt, quod, ubi in vulvæ cervice ab anteriori parte ulcus ſinuoſum eſt, curioſè proſpiciendum eſt, ne os itineris urinæ, quod caruncula ambire cernitur, pro orificio ulceris incidatur.

## CAPUT XLVIII.

### *De ulcere ob os vel cartilaginem vitiosam exsudante.*

PRæterea *ulcus* humorem aliquem exsudans *ex osse vel cartilagine vitiosa* fieri posse, experientia abundè docet. Hoc autem vitium vel extrinsecus, puta, ex puris acrimonia inclusi, aëreve frigido incidit; vel intrinsecus nascitur. Posteriori modo etiam *cancer ossis*, & *spina ventosa* contingunt: sed hæc in alium locum reservare nos ordo propositus jubet. *Ossi jam vitiato* carnem resolutam esse, necessarium est. Cujus rei causa sinus inter utrumque interjacet, in quo pus coit, quod inde per foramen profluere conspicitur. Os verò corruptum specillo argenteo aut ferreo significatur, quod leniter depressum in id foramen, &, quaquaversum, si opus est, motum, os durum, & periostio denudatum, sed non semper inæquale & asperum, invenit. Quin si os magnum est, id tam vehementer specillo, ut sonus exaudiatur, ferire licet. Sin exiguum existit, ut ferè in digitis manuum atque pedum evenit; aut quando iter ad os non

rectà

rectà tendit, non ita facilè illud ultimo ſpecillo contingitur. Adhæc adeſt tumor vel mollis, vel durus, quorum hic utplurimum, ubi malum interius natum eſt, ipſius oſſis eſt, quæ ἐξόσωσις Græcè vocatur. At in ulcere non ſinuoſo, quod os vitioſum conſpectui ſubjicit, illud membrana ſua carens aut album, aut ſubflavum, aut ſubnigrum, quin ſpongioſum fœdique odoris reperitur. Hæc autem vera hujus morbi, quem hodie medici *cariem* appellare conſueverunt, indicia ſunt. Verum iidem & alia ponunt, quæ mihi minus certa, imo *conjecturalia* eſſe videntur: ut ſunt, 1, *quod ulcus ad ſanitatem perduci nequit.* Sed hujus rei etiam aliæ cauſæ eſſe poſſunt, ſcilicet cachexia quædam, vel præpeditus puris exitus. 2, *Quod cicatrix iterum rumpitur, ulcusque renovatur.* Sed hoc etiam fieri poteſt eo, quod malus corporis habitus eſt, vel ſinus partes intus non ſatis in unum junctæ ſunt. 3, *Quod ulceri caro mollis abundat.* At hoc vel ob quandam cachexiam, vel ob pingue medicamentum, vel ob diutinum impliciti in longitudinem linamenti uſum contingere poteſt. 4, *Quod emplaſtrum humore nigro inficitur.* At hoc ſæpe in ulceribus, vel puris, eſſe integro, evenire comperimus. 5, *Quod*

*lina-*

*linamenta extracta mali odoris sunt.* Atqui hunc utplurimum è carne vitiosa contrahunt. Præter hæc ex ulceribus cum carie ossis non alterius generis pus, ac ex aliis profluere, experientia cognitum est. Quamvis sunt, qui dicunt, *id eboris in ignem conjecti fœtorem redolere*; vel *tenue fœdique odoris ferri.* Sed hoc tantum, osse instar spongiæ exeso, inprimis ubi altè delitescit, verum est. Quin & rarò carnem mollem & copiosam in hujusmodi ulceribus, nisi plana sunt, aut vitium ad medullam usque, si in osse sit, penetrat, excrescere usus ostendit. Cum proposuerim ea, quæ ad morbi naturam pertinent, ad ea quoque transibo, ut indicem, quæ ad sanitatem reddendam facienda sint. Primum igitur *os nudandum*; deinde id *ab integro resolvendum*; tum *resolutum depromendum*; ac novissimè *ulcus relictum sanandum.* Oportet autem ante omnia *os nudare*, quod vel radice calami aromatici, vel spongiola ad id accommodata, vel medulla sambuci, quorum singula altitudine cariem æquent, ulcus ampliando fieri potest. De quibus capite vigesimo septimo satis mihi retulisse videor. Remediis verò exedentibus id efficere, metus ne tendines vasaque sanguinea rodantur, prohibet. At

ferro

ferro ulcus latius aperire, quo caries in conſpectum veniat, optimum eſt. Maximèque, ſi foramen anguſtum, ejusque latera craſſa obſtant, cur minus collyria ex radice vel ſpongia facta, humorem excipiendo diſtendantur: aut ſi cavitas ingens eſt, quam incidi, ne ibi retenta materia proximas partes ſinuet, opus eſt. Niſi cum æger manu ferroque uti non ſinit. Tunc enim ſpongia contentum eſſe oportet. At non ampliorem locum cædere neceſſarium eſt, quam cavitatem & cariem, quæ ſubſunt, eſſe certis indiciis cognoſcimus, diligenter temperata manu, ne tendines & vaſa ſanguinea lædantur. Siquidem tendinum vulnus ferè cum dolore inflammationem cuti inferre; deinde abſceſſum oblongum ſub ea excitare; & tum in ea gangrænam facere ſolet. Et vaſa ſanguinea, præcipuèque arteriæ percuſſæ non mediocrem ſanguinis curſum creant. Adhæc etiam vitandum eſt, ne ulcus minus latè amplietur. Etenim ob id ipſum, pure non liberè profluente, novi abſceſſus accedere poſſunt. Ne referam, auxilia ad os carie vexatum non commodè demitti poſſe. Ut &, ne id nimis latè amplietur. Hoc enim multum puris movendo, multosque exhalando ſpiritus, plus vi-

rium! aufert. Quæ res efficit, ut caries magna magni oſſis, id eſt, femoris, ubi ſub longa curatione ulcus nimis amplum habetur, paulatim ad mortem præcipitet. Ob quam cauſam hujusmodi vitium naturæ, quod ajunt, committere tutiſſimum eſt, cum eo, ut tenui radice vel fiſtula utendo expeditus puri, ſi per ſe non promptè exeat, exitus detur. Eſt ergo modus in ulcere cum carie oſſis dilatando, & ita habendo, donec teſta vel teſtæ decedant. Hoc interim ſpatio, quoties ulcus ligatur, pus ſpongiola bacillo adnexa, & ea demiſſa, detergatur neceſſè eſt. Illud quoque noſſe oportet, quod ſub dilatatione, quæ dolorem & intumeſcentiam movere ſolita eſt, ſuper partem ulceri proximam emplaſtrum defenſivum cum pulvillo & faſcia, per quæ iſtis incommodis occurritur, injiciendum eſt. Si illa pars, ulcere ampliato, adhuc cum dolore tumet, idem emplaſtrum etiam prodeſt. Si durities adeſt, id, quod *Ruſtingium* authorem habet, & capite trigeſimo quarto videre eſt, melius ſuccurrit. Inter hæc tum tumor, tum caries calorem facit neceſſarium. Cæterùm ubi ulcus non ſinuoſum vel planum eſt, quippe quod fere carnem mollem nutrit, os linamentis involutis aliis

ad

ad alia inſertis nudetur oportet. Vel ſuper eam remedio adurente, oſſe linamento antè contecto, aliquis non inutiliter utetur. Verùm ad carnem ſupercreſcentem, carie ad medullam uſque deſcendente, coercendam, vel validiſſimum ex erodentibus remedium nihil poteſt. Proinde in hoc caſu non niſi ferramentum candens valet. Quod etiam unà huic *oſſi carioſo à ſano reſolvendo* aptiſſimum eſt. Id autem ſequebatur, ad quod omne conſilium medici ſanitatem molientis dirigi deberet. Itaque ulcere dilatato, vel oſſe in conſpectum dato, ſi corpus mali habitus eſt, hoc priſtino ſtatui reſtituere neceſſarium eſt. Ad quod maximè convenit ſal volatile oleoſum; cum pilulis de gummis purgantibus capite tertio propoſitis, quibus bis tantum in ſeptimana uti ſatis eſt. Vel dari in vicem ſalis volatilis oleoſi liquor cornu cervi ſuccinatus capite quinto comprehenſus; & in vicem iſtarum pilularum pulvis purgans cum mercurio dulci capite trigeſimo ſeptimo deſcriptus, poteſt. At medicamenta ſudorifera, quatenus ſudorem movent, non multum opitulantur. Porro, è medicamentis, quæ ſuper os vitioſum injecta, id à vivo maturius reſolvunt, *alkali volatile oleoſum* habentia cæteris præfero.

Quorum *aridis*, ſic ut inſpergantur; aut per ſcriptorium calamum, ſi iter longum ſit, ſtylo detrudantur, uti maximè idoneum eſt. Eadem quoque melle roſarum, donec unguentum ſit, cogere, eoque uti licitum eſt. Nec *olei* formulam, modo deſtillatum & tenax ſit, inutilem eſſe judico. Sed *tincturæ*, *extracta liquida*, aliive humores, quia protinus pure diluuntur, minus utilia ſunt. Tamen ſi iter, quod ad os cariosum tendit, flexuoſum, vel longum eſt, non alienum eſt, ubi quis reſolverit, antequam rurſus arida injiciat, per oricularium clyſterem illis ulcus eluere. Arida verò eſſe poſſunt, vel *leniora*, ut radices ariſtolochiæ rotundæ, iridis Florentinæ, aloe, myrrha, aliaque ſimilia, quæ in recenti vitio, quod acriorum vim ſuſtinere nequit, proſunt. Vel *acriora*, quod genus ſunt euphorbium, radix angelicæ, zinziber, piper: è quibus euphorbium reliquis præſtat. Hoc autem idem facit, quod ferrum candens, ſed tardius; & magis re vetuſta, cui acrimonia inimica non eſt, proficit. Et notatu dignum eſt, quod hoc gummi, quamvis calidiſſimum, tamen æſtum, dolorem, inflammationem non movet: imo carnem mollem conſumendo cariem magis nudat. Sed pus

cruen-

eruentum reddit, & cuti ſummam pellicu-lam demit. Cui rei unguentum epuloticum, cujus compoſitionem capite trigeſimo ter-tio poſui, præſidio eſt. Quod ſi ſumma cutis ita læditur, ut hoc medicamento ad cicatricem non veniat, iſtud gummi, addi-to aliquo ex aridis lenioribus, temperari o-pus eſt. Verùm inter olea id, quod è car-bonibus petræ per retortam deſtillatur, ad os corruptum, quodcunque tempus ei ac-ceſſit, aptiſſimum eſt. Hoc autem oleo de-ficiente, pice liquida non minori cum uti-litate uti licet. Quanquam oleum cochlea-riæ etiam rejici, ubi caries vetuſta eſt, non debeat, quod in omnia idem, quod euphor-bium, poteſt: ſed quia liquidum eſt, mi-nus manet, plurisque conſtat, priori cedit. Igitur olei carbonum iſtorum aliquot guttæ ulceri infunduntur, vel linamento largiter exceptæ admoventur. Quod ſi os aut cau-ſæ proximæ acrimonia, aut longiore tem-pore ſubnigrum, & inſtar ſpongiæ corru-ptum eſt, vini ſpiritus ſpiritu vitrioli acidus factus, vel oleum camphoræ cum ſpiritu nitri paratum, maximè ſubvenit. Cæterùm vel *in ſummo oſſe caries* eſt, qualis ferè à cau-ſa exteriori proficiſcitur. In hoc genere teſta tenuis, λεπὶς, id eſt, ſquama à Græ-

cis nominatur, à parte ſana recedit: quod intra paucas ſeptimanas evenire conſtat. Vel *caries altius deſcendit*, cujusmodi oſſi craſſior ſquama abſcedit: quod menſibus aliquot exactis demum fieri poteſt. Vel *caries per totum os perrumpit*, quod antequam totum eximi queat, pauculos annos requirit. Hæc genera poſteriora ob cauſam interiorem contingunt. Et quoniam in carie oſſis plus proficitur manu ferroque, quam mediçamento, hunc curandi modum ſubjicere operæ pretium erit. Igitur *in primo caſu* ſummam quamque teſtam ſcalpro exciſorio excidere, donec integrum os relinquatur, licet. Verùm qui radit, imprimere ferramentum debet, ut & agat aliquid, & maturius deſinat. Os verò relictum aridis, quæ leniora ſunt, reſpergendum eſt. Sed illa exciſio ſine dolore vix fieri poteſt, quia finis vitioſi oſſis atque integri ſub cute eſt. Proinde aliquid corrupti, quod deinde adhuc à ſano reſolvi oportet, remanere neceſſarium eſt. Porro ut, ſi caries in ſummo eſt, inutilis uſtio eſt, ita ubi *caries altius proceſſit*, adurendi neceſſitas eſt. Ergo ferramentum candens, cum quis ab eo non abhorret, admovendum eſt, non donec ſiccum os ex toto

toto fiat; ſed calore ſubeat inter integram atque emortuam partem caruncula, quæ abſcedendum expellat. Sic enim ſolvitur ab integro oſſe, quodcunque vitiatum eſt. Caruunculam autem natam eſſe manifeſtum eſt ex eo, quod carioſum injecto ſpecillo labare deprehenditur. At ſcire convenit, quod, priusquam os ferramentis aduritur, id ſatis latè patere debet: ſic enim & non amplius quam os uretur; & theca, quæ ferramenta tutò transmittat, non deſiderabitur. Neque frequentius, nec diutius ferramenta admovenda ſunt, quam ut calorem æger ferre poſſit. Etenim non audiendi ſunt, qui urendo dolorem intolerabilem excitari volunt: ſiquidem non tortoris vicem exhibere debet medicus. Cæterùm quando *vitium totum os tranſiit*, maximèque ubi vitiata calvaria eſt, ſi illud in anguſto eſt, modiolo unica vice excidatur. Sin latius eſt, quam ut illo comprehendatur, plus ſemel res agenda eſt, donec omne vitioſum ſit ablatum: quanquam ejus aliquid ſub cute, ad quod modiolum pervenire dolor non ſinit, relinquatur neceſſè eſt. Quod deinde quoque ab integro diducatur oportet. Id quod citius quam in medio fieri videmus:

nam ſeparationem oſſis carioſi ſemper à lateribus incipere uſu compertum eſt. Sed dum modiolo utitur aliquis, magnam moderationem adhibere debet, ne dura mater, quæ ſubeſt, lædatur. Id quod tamen, modo circumſpectè agit, vix evenire poteſt eo, quod à cranio pure intermedio reſoluta eſt. Jam ſequitur, ut indicemus, quo pacto os *emortuum à vivo reſolutum & jam labans ſit depromendum.* Ad quod, ſi altè reſidet, neceſſaria opera * *hamuli*, qui oſſi corrupto ſubjicitur, eſt. Verùm circumſpectè agendum eſt, ne in ipſam carnem delabatur, ſequaturque dolor ſanguisque. Ubi verò craſſius eſt, & contingi ultimâ forcipe, quam à ſimilitudine corvinam vocant, poteſt, eâ arreptum protrahendum eſt. Cum minus craſſum exiſtit, vulſella ei educendo magis accommodata eſt. Magnaque cura cavendum, ne dum adhuc inhæreſcit tendini, ut in digitis ſæpe evenire conſuevit, extrahatur. Si teſta tenuis eſt ſic, ut ne vulſella quidem exigua prehendi queat; vel iter adeo anguſtum & flexuoſum, ut ſpecillum non transmittat; vel naturæ id vitium, quod in oſſe femoris fieri laudo, creditur, illam per ſe expelli ſinere expedit. Quanquam

* *Tab.* 3. *Fig.* 11.

quam hujus ossis testam, simul atque specillo labans indicatur, ulcere ampliato, protrahere integrum est. Id autem, quod protractum est, apparet, quale initio hujus capitis in ulcere non sinuoso reperiri dixi. At utile est scire, non semper ab osse corrupto squamam recedere. Etenim cum caries os ab exteriori tantum parte occupavit, ut sæpe in capitis & tibiæ vulneribus, ulceribusque evenire notissimum est, non squama abscedit, sed in minutissimas particulas divisa pure insensibiliter elujtur, & caruncula ex ipso osse, ac si quicquam testæ absceſſisset, enascitur. Ubi deinde aliquoties specillo explorando cariem invenire amplius non licuit; aut longo tempore per se nihil ossis carioſi ejectum est, reliqua *curatio talis esse debet, qualis in ulcere ob sinum ex abscessu natum exsudante* adhibetur. Porro nosse oportet, quod cum curatio non expeditissima sit, tamen non protinus cariem supereſſe judicandum est. Nam interdum, præcipuè ubi res inveteravit, vel mensis est, antequam cicatrix inducatur. Si nihilominus ulcuscülum manet sanitatem admittens nullam, specillum demitti oportet, quod etiamnum renitens aliquid inveniet, quæ caries est. Ea ulterius, ut supra dictum

eſt, curari debet. Inter hæc panno & faſcia intumeſcentiam, quæ adeſſe poteſt, coërcendi, & id quod impoſitum eſt continendi cauſa, opus eſt. Sed ille non multiplex ſit, & cum faſcia ex linteo trito, & foramina majuſcula habente factus ſit neceſſè eſt. Cæterùm inter ulcera cum carie oſſis eſt etiam id, quod vel *in mala*, *vel ſub maxilla inferiori è radice dentis molaris vitioſa* naſci conſuevit. Sequitur autem ex abſceſſu, cujus pus dentis radicem afficit: eo namque evulſo, ferè ex ipſo ulcere ſanguis exire conſpicitur. Huic rei non repugnat, quod radix alba eſt, & integra eſſe videtur: ſiquidem os album eſſe poſſe ſic, ut unà quoque vitiatum ſit, vel lippi & tonſores noverunt. Itaque ſuperioris dentis partis, quam *coronam* anatomici vocant, corruptionem in cauſa non eſſe apparet. Et tamen ſemper contra ejusmodi dentem, vel ei proximum, ſive ſit maxillæ ſuperioris, ſive inferioris, hoc vitium conſiſtere reperitur. Sed quid obſtat, cur minus ſimul & corona, & radix carioſa ſint. Hoc genus ad ſanitatem perduci non poteſt antè, quam dens, vel * *pede caprino* è loco ſuo extrudendo; vel ſi ſit, quod arripi queat, *forcipe canina*, ex-

* *Tab.* 3. *Fig.* 8.

extrahendo exemptus eſt. Quo facto, ex eo pus ferri deſinit, & puro linamento cicatrix inducitur ſic, ut remedium, quod callum, qui deëſt, exedat, etiamſi aliquot annos habuerit, injicere neceſſarium non ſit. Inter ſupraſcripta ulcera numerare etiam id, quod *cum cartilagine vitioſa* eſt, licet. Ad quam ſpecillum demiſſum perveniſſe ex reniſu patet: quamvis, ubi ſit, ipſa ſedes etiam docet. At non eadem in cartilagine læſa, quæ in oſſe carioſo, facienda ſunt. Cum enim facilius ab integro diducatur, eam nec ferramento candente adurere, nec ſcalpello radere expedit, ſed eodem pulvere reſpergere ſatis eſt. Omnium verò frequentiſſimè ex clavo in auriculæ anthelice ulcuſculum oritur, in quo antè purgato cartilago alba, nudata, adeoque leviter affecta cernitur. Id verò dolorificum eſt, præcipuè cum vitta aliave re præmitur: ſæpius namque fœminas tentare ſolet. Optimèque ad ſanitatem perducitur, ſi primùm emplaſtro citrino, cujus compoſitionem capite vigeſimo quarto poſui, quod unguento baſilico illitum ſit, purgetur; & deinde replendi, & cicatricem inducendi cauſa emplaſtrum ſticticum Crollii capite trigeſimo quarto deſcriptum, imponitur. Et-

enim

enim quia id, quod læsum est, insensibiliter resolvitur, aridis, quæ etiam dolorem movent, non eget.

## CAPUT XLIX.

### *De ulcere ob tendines nervosque corruptos exsudante.*

ETiam *ulcus ob tendines corruptos*, maximè in digitis manuum, humorem quendam *exsudans* contingere posse, usu abundè cognitum est. Ejus autem origo hæc est: corruptio ex causa interna ab interioribus partibus incipit, & intra biduum triduumve ad exteriores procedit. Inter hæc dolor modicus est, qui deinde augetur, tumorque accedit. Tum dolor maximus evadit, tumorque major, accedente inflammatione, non modo digitum dolentem, sed & totam manum & brachium occupat. Novissimè tendinibus jam ex toto vitiatis caro resolvitur, & pus inter utrumque nascitur. Contra hæc *cataplasma aromaticoviscidum* capite duodecimo descriptum, bis die, calidè, largiter, & immediatè supra manum imponendum, & in eo permanendum est, cum eo ut non prius camphora adjiciatur, quam

quam inflammatio intensè rubeat, & in gangræna m transeat. Nec etiam febris his adesse non potest. Hæc autem symptomata non antè remittuntur, quam pus aut per se cutem rumpit; aut cute scalpello adaperta exit. Et quo plus etiam puris quotidie profluit, eo plus illa quoque levantur. At interdum evenit, ut præter hæc palmæ super tendines pus, adeoque novus abscessus incidat, qui id agit, ut supradicta mala continuent, imo intendantur, & non, nisi exitu puri dato decedant. Cum jam pure effluente pedetentim imminuta & sublata sunt, digitus affectus adhuc non mediocriter tumet, nec ulcusculum, in quo nunquam linamentis involutis & oblongis utendum est, ob tendines corruptos sanitatem recipit. Igitur ubi chirurgus specillum tenue demittendo explorat, sinum inter tendines cutemque factum invenit: quem forfice, vel potius cultello globoso specillo sulcato, quæ capite quadragesimo septimo proposui, excepto, totum incidere oportet. Sanguine, sicut in vulnere recente, suppresso, tendo vel tendines albi, (qui color ipsis naturalis est:) tumidi, omni sensu destituti, adeoque corrupti conspiciuntur. Quos à cute diducendi causa unguento basilico illitum linamentum

tum in plagam datur; & cataplaſma adhuc ſuper imponitur, quo, quæ inflammatio & tumor in digito ſuperſunt, ulterius diſcutiuntur, at non finiuntur, quamdiu tendines corrupti manent. Scireque convenit, ſive manui, ſive digito cataplaſmate circumdato calorem eſſe ſervandum, qui præcipuè ad rubrum tumorem ſolvendum, & id quod corruptum eſt, à vivo diducendum, proficit. Quin partem deligatam multa veſte tectam, & ex cervice ſuſpenſam habere expedit. Præterea pedetentim, caruncula ſuccreſcente, tendines attolluntur, plagam ampliant, meliusque conſpectui ſubjiciuntur. Et quo maturius (etenim eorum ſeparatio longè tardius, quam carnis mortuæ evenit:) à viva parte reſolvantur, hamulo excepti, & leniter attracti transverſim incidendi ſunt, & utrinque in exteriorem partem reducendi, ut ita unguentum baſilicum altius admittant. Et ſanè notatu dignum eſt, quod digitus tendinibus iſtis nondum diſſectis, ab ægro moveri poteſt ſic, ut chirurgiæ ignarus non eſſe vitioſos credat. Item, quod illam eorum partem, quæ carpum reſpicit, ſi palmæ proxima eſt, in eam retrahi cernimus. Poſthæc nonnunquam periculum faciendum eſt, poſſint ne vulſella prehenſi extra-

trahi: id quod tandem, ubi à ſano ſoluti ſunt, fiat neceſſè eſt. Quo facto, eadem ratio medicinæ eſt, quæ ſupra in ulcere cavo poſita eſt. Hucusque de ulcere exſudante è tendinibus ob cauſam in iis delitescentem corruptis oriundo. Interdum etiam, ſed rarius, idem incidit ex abſceſſu, cujus pus tendines contingat, eosque ſic extrinſecus corrumpat. In quo caſu, ut tendines non tumentes reperiantur, tamen phænomena eadem ſunt. Hoc poſteriori modo quoque nonnunquam *ulcus ejusmodi è nervo corrupto* accidere obſervavi, quem, ſi in conſpectum chirurgi datur, etiam albidum offendit. At eum ex cauſa interna in corruptionem incidere, mihi non fit probabile eo, quod in arthritide, quæ in paralyſin convertitur, evenire non deprehendimus. Phænomena quoque, & auxilia à ſuprapoſitis non multùm differunt.

## CAPUT. L.

### *De ulcere, è quo saliva, vel lachrymæ profluunt.*

ADhæc *ulcus* humorem quendam *exsudans*, *ob cujusdam humoris transitum*, abscessu aut vulnere præcedente, contingit. Transit autem vel *saliva*, vel *lachrymæ*, vel *lympha*, vel *urina*, vel *chymus stercusve*, vel *stercus circa anum*. Primùm autem proponemus ulcus, è quo saliva vel lachrymæ feruntur. In mala, qua ductus salivalis Stenonianus decurrit, ulcus oriri potest, *è quo saliva*, sive per se, sive pure mixta *profluit*. Quod quia is ductus, dum abscessus scalpello dividebatur, læsus est; aut antè erosus à pure, fieri concipio: nam vulnus rarò in causa esse, experientia docet. Jugiter quidem, sed maximè maxilla inferiori mota, effluit. Sanitatem verò reddi licet, si linamentum implicitum in balsamo sulphuris terebinthinato tinctum in ulcus demittitur; (cujus saporem æger gustu in ore sentit:) pannus multiplex super istum ductum inter ulcus & aurem fascia adstringitur; & maxilla quieta habetur. Cujus rei causa cibum

ge-

generis durioris mandere non oportet, ſed eum, qui fluidus eſt, ſorbere. Iſthoc modo cum ter die curatur, paulatim minus ſalivæ prodire comperitur. Quod ubi animadvertimus, linamentum tenuius & brevius indendo ulcus carne repletur, & deinde arido linamento ad cicatricem perducitur. Cui ſi tantillum ſalivæ effluvium obſtare deprehenditur, ad cinerem tabaci decurrendum eſt, quo largiter impoſito, & ex penicillo tenuibus quibusdam ſuperdatis, cicatrix inducitur. At inter hæc, ſicut ſupra mihi dictum eſt, ductum ſalivalem linteo multiplici comprimere neceſſarium eſt. Dixi de ulcere, è quo ſaliva exit. Nunc tranſeundum eſt ad id, quod in angulo, qui naribus propior eſt, ex abſceſſu parvo vel variola glandulæ lachrymalis naſcitur: ἀιγίλωπα Græci vocant. Sed Latini non rectè *fiſtulam*, quia callus deëſt quantumvis vetuſto, *lachrymalem* appellant. At rarò etiam exeſo oſſe uſque ad nares penetrat. Per id aſſiduè lachrymæ, vel laxè puri confuſæ, vel per ſe inſtar aquæ limpidæ deſtillant. Adhæc *aut* immediatè ex ipſa glandula in angulum exeunt, qui ob id ipſum ferè pus habet, quo etiam cilia purulenta fiunt, imo manè ſomno ſoluto cohærent ſic, ut pal-

pebræ vix diduci queant. *Aut* per exiguum foramen, quod prope angulum in cute conſpicuum eſt, præcipuè ubi is digito premitur, ferùntur. Per hoc ſpecillum tenue demiſſum intus ſinum invenit. Quod ſi celerius glutinatur, quam ſinus impleatur, lachrymæ purulentæ in eo coeunt, & tumorem excitant. Qui cum per ſe ruptus, vel ſcalpello apertus eas denuò emittit, rurſus finitur: niſi, cicatrice confirmata, ex palpebra ab inferiore parte erumpant. Quæ res efficit, ut jugiter madeat oculus. His cognitis, etiam curatio noſcenda eſt; quæ in infantibus, & ubi vitium non inveteravit, *lachrymis immediatè è glandula lachrymali venientibus*, hoc *unguento*,

℞ *lapid: calaminar: præp.* ʒvi.
*tutiæ præp.*
*vitriol: alb.*
*camphor.* añ. ʒß.
*ung: roſar.* ʒiij.
*M. F. ung: diu ſuper lapid: porphyr: terend: & in pixidicula ſervandum.*

procedit. Cui adjicitur, cum ætate inareſcit, olei amygdalarum dulcium, quantum ſatis eſt ad id molliendum. Quamvis re-

recens adeoque molliuſculum præſtat. Ejus vero aliquid, quod capituli aciculæ magnitudinem impleat, angulo manè veſperèque inducendum eſt. Si verò hoc vitium vetuſtum eſt, cum iſthoc unguento compreſſione ab * *inſtrumento ciliari Aquapendentis* illata opus eſt. Verùm ſi in infantibus, re adhuc recente, *lachrymæ è foramine exiguo effluunt*, balſami ſulphuris terebinthinati, ſpongiolæ, & vinculi adſtringentis beneficio, ſanitas contingit, cum eo, ut bis die iſtius balſami guttula clyſtere ſubtili intus compellatur. Si foramen anguſtius eſt, quam ut eum recipiat, antè radice calami aromatici ampliari neceſſè eſt. Sed aliquid ex penicillo in modum collyrii adſtrictum inditum habere, alienum eſt. At in adultis, & ubi hoc malum longiore tempore tenuit, magna inſuper compreſſione, quam à ſuprapoſito inſtrumento petere oportet, eget. Id verò conſtat ex *tenui lamina ſemicirculari*, quæ ab interiori parte linteo molliori conduplicato, aut goſſipio cum ſindone obducta, fronti immediatè ſupra ſupercilia, adhibetur. Illius *una extremitas ligulam* è corio vitulino factam, & in

 duas

* *Tab.* 2. *Fig.* 4.

duas partes diductam ſibi affixam habet; *alterique plana fibula duplex* adnexa eſt, cui ambæ partes ligulæ, quorum una ſupra, & altera infra occiput deducuntur, infibulantur. Adhæc *annulus* ita laminæ mediæ infixus eſt, ut difficulter circumagi poſſit: alias enim lamella circularis admota è loco ſuo dilabitur. Per annulum obliquè poſitum *cochlea* tranſit, quæ *arcu* prædita eſt, ut lamella præcipè canthum reſpiciat. *Annulus* verò huic arcui continuus *claviculam* transmittit *cochlearem*, infra *lamellam circularem* habentem. Hæc illam vertendo admota angulum comprimit, & quaſi claudit. Verùm ne à loco recedat, *parvam cochleam* excogitavi, quæ foramen in annulo priori factum tranſiens cochleæ immittitur, eamque, ne dimoveatur, impedit. Hoc autem inſtrumento ad caput alligato, angulo, poſtquam lachrymæ expreſſæ ſunt, ſpongiola imponitur, ſupra quam lamella claviculam vertendo ſatis arctè demittitur, ut tamen nihil doloris moveat. Quo pacto ſi æger primò bis die, & deinde ſemel curatur, ſanitas intra pauculas ſeptimanas redditur. Sed inſtrumento hoc præterito, nec *balſamus Martialis*, nec *rubicundus Saturni* hoc vitium

tium finire poteſt. Nihilominus priorem, glandula per ulcus conſumpta ſic, ut per id poſtea humor deſcendat: ῥυάδα Græci nominant; & inſequentem, utpote qui vehementer adſtringit, ubi lachrymæ immediatè ex ipſa glandula in canthum effunduntur, utiliſſimum eſſe concipio. Dudum tamen bis uſu cognovi, *emplaſtro Ruſtingii* capite trigeſimo quarto; & *de labdano* capite tertio traditorum, pares portiones in unum junctas, & membranulæ illitas ſic, ut in medio inſtar papillæ eminerent, quæ cantho majori injecta vinculo ſatis adſtringebatur, vitio recente, brevi ſanitatem reddidiſſe. Quod ſi perpetuum eſſet, inſtrumentum ciliare ſupervacuum foret. Si os carie vexatum ſit, curandi modum à capite quadrageſimo quarto petere licet. Sin os adeo exeſum ſit, ut lachrymæ in nares defluant, forſan hominem curare ſupervacuum eſt: vix enim ſaneſcit.

## CAPUT LI.

### *De ulcere, è quo lympha profluit.*

DAtur quoque ulcus, è quo *lympha fluit*, vel *glutinoſa*, vel *tenuis*, à vaſe lymphatico allata. Illud autem, è quo *prior* fertur, ſequitur tumorem durum, colorem ſanæ cuti ſimilem habentem, ferèque oblongum exiſtentem, qui utplurimum in crura incidit. Adhæc hic tumor modò ſub cute in exteriorem partem *protuberat*; modo altè inter muſculos conſiſtentis *durities* tantum *plana* tactu ſentitur. Protuberans autem, ſi inter duos articulos ſedem habet, *lupia*; ſed durities plana circa illos nata, vulgò *catarrhus frigidus* vocatur. Utrumque diu in eodem ſtatu manet, paulatimque increſcit: etenim rarò diſcutitur, licet hoc per emplaſtrum de ranis cum duplici mercurio, oleum ceræ, ſpiritum vini camphoratum, aliaque id genus extrinſecus admota; caloremque parti affectæ ſervatum moliamur. Imo licet æger omnimodo frigore, acidis, viſcidis, & dulcibus abſtineat;

ulmta

multa aromata in cibis assumat; corpusque pila, ambulatione, similibusque exerceat. Neque eò multum confert, si quotidie sale volatili oleoso; & ternis quaternisve diebus remedio purgante cum mercurio dulci aliquis utatur. Et, etiamsi hæc auxilia aptissima sunt, tamen interdum ne obstare quidem possunt, cur minus plures ejusmodi tumores locis diversis oriantur. Porro ulcus, è quo *lympha tenuis* exit, etiam tumorem subsequitur, qui durus est, cutis colorem, sed variam figuram habet. Fit autem maximè in brachio, collo, & medio corpore. Etiam aut sub cute est, & *protuberat*; aut inter musculos residet, & *planam duritiem* excitat. Distat tamen hoc genus à priori, quod celerius crescit, & facilius, abscessu facto, durities solvitur. Nam rarò quoque suppurationem evadit, quanquam supraposita auxilia haud negliguntur. Quoque minus corpus pluribus simul tumoribus corripiatur, per ea succurri vix ullo modo potest. Præterea ulcus, cujus rationem hucusque comprehendi, etiam è vulnere, in quo vas lymphaticum læsum sit, incidere posse, manifestum est. Cujusmodi longè facilius sanescit, quam quod ob tumorem contingere solet. Ut id quoque, quod lympham glu-

tinosam effundit, facilius sanitatem recipit, quam id, è quo tenuis emittitur. Cui interdum etiam carnem corruptam adesse usus ostendit. Adhæc quò propius ventrem & pectus est, eò difficilius, quoniam vasa ibi majora sunt, sanitas restituitur: præcipuèque cum locus, sicut in nate, fasciæ idoneus non est. Ita ut, si lymphæ cursus non ad quietem perducatur, metus subest, ne viribus exhaustis mors paulatim sequatur. Id quod maximè, ubi ætas processit, evenire potest. Quin cum pluribus ulceribus totum corpus afficitur, non tantum vix quoque ad sanitatem pervenitur, sed insuper etiam ferè ipsa ossa vitiata deprehenduntur. Curationemque per remedia mercurialia maturare, periculum, ne lympha acrior & uberior feratur, sicque sanitas impediatur magis, prohibet. Cæterùm ulcus, quod lympham emittit, vel *planum*, vel *altum*, utrumque utplurimum à vulnere profectum; vel denique *sinuosum*, quod plerunque post tumorem accedit, reperitur. Si *planum* sit, vas lymphaticum ferè in quoddam album capitulum patet, cui curatio eadem, quæ alteri plano, adhibetur, præterquam quod super emplastrum contra illud capitulum panniculum multiplicem deligari necesse est

sic,

ſic, ut faſcia bene attrahatur. Injectis autem medicamentis adurentibus illud abſumere non expedit. Ubi ulcus *altum* eſt, linamentum ex balſamo ſulphuris terebinthinato, vel oleo carbonum petræ, de quo capite quadrageſimo octavo retuli, impletum; vel unguento, quod capite quadrageſimo primo propoſui, illitum, in id demittere; linteum multiplex, non modò ſuper idem, verum etiam præcipuè ſuper locum proximum, qui in eminentibus partibus ungues, & in medio corpore illas reſpiciat, imponere; illudque faſcia adſtringere, convenit. Hoc quidem unguentum etiam, ubi caro putris eſt, proficit: nam eam medicamentis adurentibus conſumere non opus eſt, nec prodeſt. Sed cum vas lymphaticum magnum eſt, & carne viſcida & ſpongioſa circumdatum, linamentum involutum & oblongum, cui *unguentum fuſcum F. Wurtzii*, quod ſic componitur,

℞ *herb: biſtort. plantag. ſcrophular. veronic.* añ. M. ij.
*infund: in aceto, & macer: aliquot dies in loco calido, tum*

℞ *expreſſ: hujus fort: fact.* ℥VI.
*terr: vitriol: dulc.* ℥IV.

*phlegm: vitriol.* ℥ijß.
*flor: virid: æris* ℥ij.
*mell: deſpumat.* ℥xv.
*Coq: ad conſiſt: unguent.*

vel per ſe, vel admixto paulo unguenti baſilici illitum ſit, in locum molliſſimum demitti, & linamentum planum cum eodem medicamento ſuperdari, ſicque bis die curari oportet. Quod ſi nihil profit, melle albo, cujus uncia ſcrupulum unum aluminis uſti contriti, vel donec illud ſic purget, ut hoc carnem firmam reddat, non cruſtam excitet, utendum eſt. Et cicatricem inducendi cauſa ceratum auriacum per ſe, aut ſi ulcus non purum manet, cum unguento Ægyptiaco mixtum, commodiſſimum eſt. Sed illud noſſe oportet, quod hoc malum cum magna difficultate ſanitatem recipit. Tandem cum ulcus *ſinuoſum* eſt, duritiem, ſi ſit, emplaſtro de ranis cum duplici mercurio reſolvere oportet; pannum multiplicem latè ſuper ſinum, & locum proximum, quem paulò antè indicavi, injicere, eaque omnia faſciâ adſtringere. Sed utiliſſimum eſt ſcire, quod guttula una aut altera balſami aut olei ſupradicti in ulcus inſtillari; in ejus orificium fiſtula plumbea, quæ quo major, eò ſanitas maturior erit,

de-

demitti; & hujus exitus à compreſſione liber haberi debet. Imo aqua, in qua radix conſolidæ majoris decocta ſit, per ſe, vel, ſi aliquæ ſordes ſint, addito melle roſarum, immiſſa iis, quæ ſupra comprehendi, præſtat. Quamvis interdum ex toto ſinum incidendi neceſſitas eſt: cui plagæ tunc ſuprapoſitum unguentum, non *fuſcum* reſpondet. Quod ubi unà in ulcere viſcidum eſt, ut evenit, cum plura corpus invaſerunt, plus unguenti Ægyptiaci addi conducit. In quo caſu etiam *decoctum lignorum*, cujus compoſitionem capite vigeſimo quarto poſui, magnum remedium eſt. Verùm ſi ulcus rubet, potius *apozemati vulnerario* capite vigeſimo ſeptimo tradito, locus eſt. Vel quotidie *pulveris radicis conſolidæ majoris* drachmâ unâ, adjecto ſyrupo canti albi, donec bolus ſit, adhuc utilius utetur aliquis. Si nihilominus foramen exiguum tantillam lympham exſudans relinquitur, id cinere tabaci copioſè repletum, & linteolo multiplici ſuperdato faſcia adſtrictum, brevi ad ſanitatem venit. Ubi vitium in nate eſt, lymphæ effluvium non deſinet, niſi ſuper linteum maximè conduplicatum, & ſummo femori à poſteriori parte injectum, faſciaque adſtrictum

æger

æger ſedeat; hacque vaſis lymphatici compreſſione humoris affluxum præpediat. Si caries ſimul vexat, curanda eſt, ſicut ſupra capite quadrageſimo octāvo præceptum eſt.

## CAPUT LII.

### *De ulcere, è quo urina, vel chymus ſtercusve profluit.*

INcidit quoque ulcus in eo marium loco, quod inter ſcrotum & anum interjacens περίναιον à Græcis vocatur: ſive è lapillo ibi inhæreſcente & abſceſſum excitante; ſive ex abſceſſu per ſe nato, & quidem nonnunquam ab utroque latere; ſive ex vulnere ad calculum protrahendum inflicto. Per hoc autem ulcus, ἐραρυάδα Græci nominant, urina, dum redditur, exit ſic, ut pars maxima per colem deſcendat, donec ex toto ulcus claudatur, quod interdum ſecunda ſeptimana, interdum non ante quartam, interdum nunquam fit. Ubi id ex abſceſſu ſequitur, linamentum balſamo ſulphuris terebinthinato intinctum imponere convenit; & panniculum multiplicem * *vinculo lumbari*

* *Tab. 2. Fig. 7.*

ri adſtringere. Id verò tres habet partes, quarum prior lumbis ſubjicitur ſic, ut duo ejus capita ad ventrem dentur. Et ex inſequentibus dextra ſiniſtrorſum, & ſiniſtra dextrorſum ſuper perinæum, ubi ſeſe decuſſant, procedentes, in priorem partem adducuntur. Adhæc cruribus inter ſe devinctis, & extentis jacere oportet. Porro ſi ulcus ſimul in muſculo veſicæ conſtrictore dicto conſiſtit, urina jugiter ex illo fluere cernitur. Itaque pulvinum ægro ſubjectum ſubinde mutare expedit. Aſt eum plerunque febris, ex abſceſſu præcedente & dolore nata, inprimis ubi ætas paulùm proceſſit, tollit. Si nihilominus febre remediis ad id aptis victa manet invita; curatio uſque eo proceſſit, ut vinculum citra dolorem vehementer attrahi liceat; ulcuſculumque exiguum relictum ſit, cætera ſic, ut in ulcuſculo poſt vulnus veniente, facienda ſunt. Id eſt, cinere tabaci, qui cum ad plura valeat, plurimum tamen proficere in his ulceribus videtur, utendum eſt. Etenim, ſi is liberaliter ſuper ulcuſculum imponitur; & pulvillus per vinculum, quantum æger ſuſtinere poteſt, & dolor ſinit, adſtringitur ſic, ut ne guttula quidem urinæ exeat, a-

li-

liquot diebus ad cicatricem venietur. Hoc autem modo bis die deligandum eſt. Et quoties vitium reſolverit aliquis, antequam ex iſto cinere rurſus admovetur, aqua calcis tepefacta eluere id debebit. Illud autem etiam ad rem pertinet ſcire, ubi ulcus ex abſceſſu factum eſt, id genus victus habendum, eaque remedia danda eſſe, quæ ſupra capite trigeſimo comprehenſa ſunt. Etenim illud, quod è vulnere evenit, ea non facit neceſſaria. *Præterea interdum incidit, ut* vermes per inteſtinum gracilius vel plenius rodendo perrepentes in inguen ab interiori parte decidant: ſequente in eo tumore magno cum carne putrida; & ex hac foramine amplo, per quod vel chymus ſive cibus & potio, vel ſtercus exit. De qua re capite quarto retuli. *Cæterùm etiam aliquando* in inguen incidit ulcus è tumore colon habente. In quo caſu ibi durities tantùm plana, vel leviter tumens deprehenditur, quæ tardiſſimè matureſcit, vel certè in qua, quia altius pus movetur, id non antè tactu ſentitur, quam ſuppuratio in exteriorem partem prorumpat. Hoc autem adhuc tardius fieri neceſſarium eſt, cum nonnihil puris è tumore rupto in colon effluit. At nihil

puris

puris in ipſum ventrem emittitur, quando colon & peritonæum exulcerata, dum ſaneſcunt, conjunguntur. Præter hæc durities paulatim protuberare conſpicitur: quæ, ubi mollis, & dolorifica eſt, reſiſtitque prementi, ſcalpello ingenti plagâ inciditur, & quicquid intus humoris eſt, exprimitur. Is deligatione una aut altera bonum pus eſt, ſed deinde humor ſubniger & peſſimi odoris fertur, quem nihil aliud quam ſtercus liquidum eſſe ex eo apparet, quod humor per omnia ſimilis, & quidem crebrius quam naturaliter oportet, alvo redditur. Ægerque ab initio uſque febre hectica conſumitur. Igitur cum tumor durus in inguine tactu, imo viſu ſentitur; pus tardiſſimè maturat; venter liquidus eſt; & febris hectica affligit, in malis ægrum eſſe certiſſimum eſt. Porro quia ſuppuratio perquam difficilis eſt, ea remedio meliori nullo, quam cataplaſmate de cœpis, quod capite tertio deſcripſi, excitatur. Et poſtquam tumor ſcalpello diviſus eſt, nam per ſe rumpi ſinere diutius durat, curandum eſt, ſicut capite quadrageſimo ſeptimo in ulcere, quod ex abſceſſu magno naſcitur, præcepimus. Inter hæc autem victus ratio

tio & medicamenta adhibenda ſunt, quæ in *lenta corporis extenuatione febri accedente*, capite vigeſimo primo, propoſuimus. At hujusmodi laborantes utplurimum diu tracti animam tandem amittunt.

## CAPUT LIII.

### *De ulcere circa anum, è quo ſtercus profluit.*

NEque infrequens eſt *ulcus circa anum*, è quo per unum vel plura ora, quæ ab eo ſunt, aliquis humor fertur. Hic autem eſt vel pus ſolum, ubi ad muſculos ani conſtrictores, rectumve inteſtinum uſque pervenit; vel ſtercore liquido, & nonnunquam quoque ſpiritu mixtum, ſi illud perforare deprehenditur. Etiam cum hoc fit, levis teneſmus adeſt, liquidaque ſæpenumero deſcendunt. Cumque chirurgus diligenter ungue circumciſa ſiniſtræ manus digitum indicem leniter prius unctum oleo in anum inditum habet, ultimum tenue ſpecillum ex oſſiculo balænæ in ulcus demiſſum iſtum digitum continget. Ex oſſiculo, inquam, ba-

balænæ, quia argenteum vel ferreum utpote inflexibile, foramen quod intus fert, vix invenire poteſt. Interdum, ſi corpus mali habitus eſt, & ob id ipſum durities juxta eſt, plura ejusmodi ulcera, vel à latere oſſis coccygis, vel in ipſis natibus conſpicua, naſcuntur. Quorum his, ſi curatio negligitur, etiam aliquando caro putrida accedit. Vulgò *fiſtulæ* vocantur, ſed perperam, quia, licet longa vetuſtate occupantur, tamen nunquam intus callo obducta reperiuntur. Fiunt autem ex abſceſſu inteſtino recto circa anum proximo; vel ex hæmorrhoidibus internis, ſed non niſi quatenus abſceſſum trahunt. Siquidem eas per ſe in cauſa eſſe non credo. Medicamenta ad ſanitatem perducere non poſſunt. Tamen ſi ulceris foramen, quod in ipſum inteſtinum patet, exiguum eſt, homoque multùm ſanus, curationem recipiet, ſi ab exteriori parte radice calami aromatici parum amplietur; oriculario clyſtere guttulæ aliquot balſami martialis, qui capite quarto comprehenſus eſt, in ejus orificium, & ex aqua, cui radix conſolidæ majoris incocta ſit, in anum inſerantur; & manè veſperèque conditi ex radice conſolidæ majoris contrita & melle roſarum compoſiti, quod caſtaneæ magnitudinem

impleat, devoretur. At collyrium ex unguento fuſco Felicis Wurtzii, quod capite quinquageſimo poſui, cocto factum, idemque demiſſum, ſi ulcus recens eſt, ingentem dolorem movet; nec cuilibet ullo modo ad ſanitatem reddendam poteſt. Quanquam, ubi caro vitioſa eſt, opitulatur. Quin verò inciſione, συριγγοτομίαν Græci nominant, ſaneſcat, dubitatio eſt nulla. Cui quidem, ſi ob ſanguinem viſcidum & acrem habitus vitiatus eſt, curatioque tardè procedit, levis ſalivatio accedere debet, præcipuèque, cum cicatrix plus ſemel iterum rumpitur, ulcusque renovatur. Verùm ad eam excitandam bis die ſubjicienda pruna, & pulveris cinnabarini capite vigeſimo quarto propoſiti uncia dimidia, atque ita anus ſuffumigandus. Porro ut curatio, quæ cultello, (quem συριγγότομον Græci appellant,) adhibetur, feliciter cedat, ſcire oportet, 1, *unumne an plura ſint ulcera*; 2, *ab iis ſingulis unusne an plures ſinus ſint*; 3, *hi ad inteſtinumne rectum uſque deſcendant, an intus ferant*. *Unum* verò ex his cognoſcitur, ſi ea, quæ circa anum ſunt, curioſè contemplemur: etenim interdum adeo exigua ſunt, ut propemodum aciem oculorum effugiant. *Alterum & tertium* teſtantur indicia, quæ prima

prima parte hujus capitis expoſita ſunt. Quibus adjici licet, quod, ſi ſpecillum in ſingula ulcera demiſſum non in unum angulum tendit, uno plures ſinus eſſe neceſſarium eſt. Itaque cum plura ulcera ſinusque deprehenduntur, omnia ad radices uſque radice calami aromatici dilatare convenit; & ſyringotomo incidere, ut ex omnibus unum vulnus fiat, quod ſiccis linamentis implendum, & impoſitis pulvillis deligandum eſt. Duodecim horis interpoſitis, ubi ſanguis conquievit, ſi ad inteſtinum uſque pervenit, id * *cultello exiguo* globulum cereum habente perforare expedit, quod, dum æger ſuper genua proſtratus jacet, ſupra indicem digitum in anum demiſſum fieri debet. Sunt, qui opinantur, inteſtino ſic pertuſo, quia pus jam in illud exit, ſanitatem reſtitui poſſe. Sed eorum opinioni ipſa experientia repugnat. Igitur quando inteſtinum, ſive cultelli opera, ſive per ſe foramen habet, ad * *ſyringotomi* curationem veniendum eſt. Quod hoc modo adhibetur. Ægro in loco lucido ſuper genua proſtrato ſic, ut nates ſuperiores ſint, digitus in anum datur, & *pars globoſa* in ulcus uſque eo, dum eum contingat, demittitur. Tum hujus beneficio



* *Tab.* 3. *Fig.* 9. * *Tab.* 3. *Fig.* 10.

illa pars, reliquam *ſcindentem* à tergo protrudendo, foramine ani educitur. Quo facto, pars globoſa firmiter prehenſa attrahitur, & ſic reliquâ inteſtinum cum ani conſtrictoribus transverſim dividitur. Quidam, ſi inteſtinum nondum pervium eſt, id ſyringotomo, qui pro globulo mucronem gladiolo ſimilem habeat, eâdem operâ & perforant, & incidunt. Quod ſi ei, dum demittitur, globulus cereus impoſitus ſit, minimè condemnari poteſt. Porro ſi inteſtinum ſupra conſtrictores ulcus intus procedens habet, eos ex toto diſſecare licet: nam quando tunica muſculoſa ſphincteris vicem præſtat, periculum non eſt, ne ſtercus præter voluntatem laboranti deſcendat. Igitur ne octavam quidem eorum partem, quæ munere conſtringendi fungatur, intactam relinquere neceſſarium eſt. Cum nihilominus in hoc caſu ulcus, quod ob cacochymiam cicatricem non admittit, in inteſtino remanet, alvus liquida reddit, nec ea continere poteſt, præcipuè, ſi alia inſuper cauſa ſit, de qua venter fluat. Is etiam invito liquida excernit, ubi magna pars inteſtini, quæ ſupra ſpincteres ſit, ſecta eſt, eo quod, quæ integra inciſionem paſſa non eſt, minori pollet conſtringendi facultate,

quam

quam ut alvum retinere queat. Cæterùm inciſione facta, quia ſinus jam patet, pars affecta ibi ſubſidit; & ad ſanguinis fluxum, qui non multus eſt, ſiſtendum, ſicca linamenta vulneri indenda, ſupraque imponendi pulvilli, & vinculum lumbare, de quo capite proximo retuli, ſuperdandum. Sed loco ambarum partium deſcendentium una anguſta facienda eſt, quæ inter nates ſuper anum procedens in priorem partem adducatur. Hisce duodecim horis relictis, balſamum ex eo, qui copayvæ, & ſulphuris eſt, conſtantem tepefacere, in eo linamentum intingere, & hoc vulneri aperto injicere, ſicque illud bis die ligare convenit. Si qua circa duriora ſunt, ad ea diſcutienda ex emplaſtro Ruſtingii capite trigeſimo quarto poſito aliquid imponendum eſt. Per iſtum balſamum non modo vulnus repletur, verum etiam cicatrice obducitur ſic, ut remediorum validè deſiccantium neceſſarius uſus non ſit. Quamvis cum difficulter curationem recipit, unguento griſeo capite trigeſimo ſeptimo communicato uti commodiſſimum eſt. At longè minus medicamenta callum exedentia neceſſaria ſunt. Adhæc ſive cachexia, ſive vetuſtas vitii nonnunquam efficit, ut cicatrix iterum rumpatur. Quam

igitur confirmandi cauſa emplaſtrum diapalma, cujus uncia mercurii vivi drachmam habeat, imponere, pulvillum ſuperinjicere, & vinculo ſupraſcripto adſtringere expedit. Tandem, qui ad ſanitatem recipiendam manu ferroque ſuprapoſito uti non patitur; vel, quoniam ulcera alibi altè in inteſtinum deſcendunt, iis utendo periclitabitur, curationem lini, quæ non multum dolorifica, ſed longa eſt, ſubire debebit. Cujus rei cauſa ſpecillum recurvum in ulcus demittitur, & digito in anum dato, eo educitur, lino ſequente, quod in aliam ejus partem ob id ipſum perforatam conjectum ſit. Tum linum ibi prehendendum vinciendumque cum altero capite eſt, ut ſtrictè carnem, quæ ſuper ſinum eſt, teneat. Eodemque quotidie caro parum, at ſine magno dolore adſtringenda. Neque committendum eſt, ut id linum putreſcat: ſed antè id cerâ obducendum, & quoties putreſcere cœpit, nodus reſolvendus eſt, & ad caput alterum recens linum alligandum, eductoque vetere id in ulcere cum ſimili nodo relinquendum. Sic enim paulatim carnem quæ ſupra ſinum eſt, incidit, ſimulque & id ſaneſcit, quod à lino relictum eſt; & id, quod ab eo mordetur, inciditur. At ex pe-

ni-

nicillo tenuia quædam intus demittere, ut caro hoc ipso extenuetur, quo extenditur; eademque, ut & linum aliquo medicamento illinere ex iis, quibus callum exedi capite trigesimo quinto posui, quia, licet celeriter, tamen etiam tormento adjicitur, non convenit.

## CAPUT. LIV.

### *De ulcere ob humiditatem nimiam exsudante.*

TAndem *ulcus* humorem aliquem *exsudans* excitat *humiditas nimia*, sive ea sit *ex loci natura*, sive *è sanguinis natura*, sive *è menstruis suppressis*: nam necessarium est animadvertere unde id cœperit. *Natura* verò *loci* humiditatem nimiam calore articulique motu producere potest, quæ, exempli gratia, vulnus sclopeti in summo femore factum in ulcus convertat, illudque sanari prohibeat. Id enim neque radice calami aromatici dilatando, ex balsamo sulphuris infundendo, & fistula plumbea utendo; neque aliquot guttas hujus balsami clystere intus adigendo, & aridum linamentum superdando; etiamsi utrobique homo conquiescat, sanitas reddi-

tur. Et per aquam phagadænicam, cujus compoſitionem capite vigeſimo quarto retuli, itidem clyſtere intus compulſam, æque minus proficitur. At bis die balſami martialis capite quarto poſiti aliquot guttæ eodem modo intus actæ; & ſiccum linamentum ſuperimpoſitum, quod emplaſtrum tenax contineat; licet quies adhibeatur nulla, brevi ad ſanitatem, cicatricem concavam inducendo, perducit. Ad hujusmodi ulcus etiam pertinet id, quod *deorſum in abdomine ad inteſtina penetrat*. Cui etiam, nec ob balſami ſulphuris terebinthinati, nec ob aquæ phagadænicæ uſum; ſed ex facili balſamo martiali, ut ſupra mihi dictum eſt, adhibito, ſanitas contingit. Præterea humiditas nimia, qua vulnus abſceſſusque in ulcus verti poteſt, etiam interdum *è ſanguinis natura* evenit. Id quod in extremis digitis, quibus unguis per abſceſſum dempta ſit; vel calceo anguſto compulſa pungendo cutem læſerit, incidere conſuevit. Hoc autem ulcus vel ſordidum, vel purum reperitur, è quo aut humor cruentus, aut cruor per ſe apparet, maximèque ubi corpus movetur. Curationem verò capite quadrageſimo ſexto comprehendimus: ideo illam hoc loco, ne crambem bis coctam apponamus, ite-

iterum non perſequemur. At plus negotii faceſſit ulcus magnum, quod cruribus fœminarum aut virginum, maximè ancillarum, quibus *menſtrua non feruntur*, evenire ſolitum eſt. Præſertim ſi putridum eſt; hac putredine cum oris quaſi exeſis, & tumen-mentibus; ſine tumore eorum, quæ circa ſunt, vel utique cum eo non ingente; ſingulis menſibus vel cruorem, vel ſaltem humorem cruentum ferens. Quod genus aut omnino non ſaneſcit, aut certè cicatricem vix recipit. Ad ſanitatem reſtituendam ratio victus & medicamenta talia, qualia ad menſium ſuppreſſionem capite decimo tertio præcepimus, idonea ſunt. Per ea enim, & per ſuperiorum partium exercitationem corpus agitandum eſt, ut moveatur ex eo ſtatu, quo detinetur. E medicamentis tamen ſal volatile cornu cervi utiliſſimum eſt, cujus bis vel ter die grana quinque laborans è lacte dulci ſumat, cum eo, ut bis in ſeptimana quoque pilulis de gummis purgantibus capite tertio propoſitis bene ſe purget. Quin potius, quia inutilis materia corpori ſupereſt, ſale volatili præterito, quovis tempore matutino iis utatur. Si ſub his menſtrua non proveniunt, ea ulcere finito, demum evocanda ſunt, quo ſic conſequa-

mur, ne ulcus, cicatrice iterum rupta, renovetur. Inter hæc ulcus unguento de melle, quod capite quarto tradidi; vel balſami Arcæi aliquo, cui unguenti Ægyptiaci dimidio plus adjectum ſit, purgare ſatis eſt. Et replendi cauſa unguento de melle plus terebinthinæ addendum; aut unguentum, quod capite quadrageſimo primo compoſui, imponendum. Sed ad cicatricem inducendam emplaſtrum Ruſtingii capite trigeſimo quarto; vel unguentum griſeum capite trigeſimo ſeptimo deſcriptum, prodeſt: linteo multiplici & faſcia, ſicut capite quadrageſimo quinto & ſexto præceptum eſt, haud neglecto. Sed inter ea cavendum eſt, ne qua mulier inſeſſu utendo ulcus & tumidum, & ſordidum reddat. Quod ſi ſaneſcendo viſcidum ulceri inducitur, curatio adhibenda eſt ea, quam capite trigeſimo quarto propoſui. Atque ſi ſanitas difficulter datur, imponere ea, quæ exedunt, cruſtaque eum locum adſtringunt; tum verò ulcus curare, alienum eſt. Si cui tamen ea placent, tendoque aliquis, exeſa carne, nudatus eſt, reſpergendus reſina terebinthinæ contrita eſt, ut ſub eo medicamento caro alatur. Quando ulcus renovatur, ad eadem recurren-

rendum eſt, & cicatrix confirmanda per ea, quæ capite proximo ejus rei cauſa imponenda eſſe poſui.

## CAPUT LV.

### *De inflammatione in genere; & de ea, quæ membranis cerebri incidit; de pleuritide & peripneumonia.*

UBi corpus quibusvis caloribus relaxatum ſubito frigore excipitur; multaque aromata, alkalina, & ſalſa, cum acidis & viſcidis ſumuntur, *cauſam* inflammationis *remotam* eſſe credo. Et quia ex iis ſanguis viſcidior & ſalſus fieri poteſt, qui vaſcula ſanguinea exiliſſima per membranas diſcurrentia anguſtet, in hoc *cauſam proximam* conſiſtere judico. Etenim hinc membranas cum tantilla intumeſcentia rubere, adeoque inflammatas eſſe neceſſarium eſt. Proinde *inflammatio* nihil aliud eſt quam *membranarum rubedo tantillo tumore comitata*. In ea verò vaſcula ſanguinea diſtinctè nudo oculo non apparent, præterquam in oculorum inflammatione, ubi hoc quandoque contingere videmus. Reperiturque aut ſine dolore;

re; aut cum eodem, qui tunc nonnunquam ex intervallo intenditur, & etiam calorem comitem habet. Hic autem, quantum ego concipio, non movetur eo, quod motus ſanguinis progreſſivus in inteſtinum convertitur. Ut dolor quoque non ex acido evenit, etiamſi ſanguis in pleuritide miſſus interdum perquam niger conſpiciatur; & alkalia terreſtria uſu comprobentur. At melius ſuccurrunt ramoſa craſſa, quibus alkali volatile implicitum ſit, cujus generis ſunt ſperma cœti, cornu cervi ſine igne præparatum, ſimiliaque, ſumpta; & res viſcidæ extrinſecus impoſitæ, quamvis ab aliis, ſed quibus experimenta deſunt, vituperantur. Idem de rebus acidis intelligi volo. Tamen utriſlibet ex his adverſus dolorem ingentem & ardorem, ſi ſint, paululum opii adjectum etiam poteſt. Verùm alkalia pura, ſive fixa, ſive volatilia, ut ſunt, ſal abſinthii, ſal volatile cornu cervi, omni inflammationi maximè aliena eſſe uſus oſtendit. Eadem offenſa etiam in oleis deſtillatis internè datis; & pinguibus ſuper inflammationem injectis eſſe deprehenditur. Quæ obſervationes ad cauſam proximam ſupra mihi dictam confirmandam conferunt. Ejus autem vitii ratione *cauſæ tres ſpecies* ſunt,

ſunt, *unum* eſt, *idiopathicum* 1 è *cauſa interiori*, ut cum cauſa proxima è ſanguine in membranas dimittitur, febre nulla intercedente; 2 *è cauſa exteriori*, ut ubi ob ardorem aeris, vel calefacientium, vel vehementis corporis motus; frigore aeris, vel rerum quæ frigefaciunt, vel corporis quietis ſequente, contingit. Hisce generibus non, niſi cum dolent, ſanguisque mobiliſſimus exiſtit accedere febrem experientia conſtat. *Alterum* eſt *ſymptomaticum*, quod utplurimum è febre naſcitur. E ſuperioribus inflammationem per ſe non febrem, ſed hanc illam excitarè patet. *Tertiumque* eſt *ſympatheticum*, plerunque in partes corporis exteriores, & quidem vel ex tendinis, vel nervi, vel fibrarum nervoſarum læſione, incidens. Hanc verò adfert aut corpus durum externum, id eſt, acicula, piſcis ſpina; aut humor acris, ſive ab interiori parte, ſive ab exteriori partes ſuprapoſitas; lædens. At ſcire licet, iſtam læſionem non ſine magno dolore hoc malum creare. Porro ratione *loci* inflammatio vel *interna* in interioribus corporis, vel *externa* in exterioribus ſedem habens, reperitur. Adhæc ſæpe evenit, ut *inflammationi tumor* ſit, qui vel diſſolvitur, vel ſuppuratur: atque ſic

pus

pus ei adeſt, non ineſt: ſiquidem in ea nunquam pus concitari uſu cognoſcitur. Quod ſi dolor ardorque augentur, colore intenſè rubente, in *gangrænam è calore* dictam mutatur. Aſt cum veſiculæ cruentæ, dolore & ardore finitis, accedunt; pars affecta mollis, haud naturaliter albida, fœdi odoris, & frigida, viſu, tactu, & olfactu ſentitur, gangrænam in ſphacelum tranſire manifeſtum eſt. Raròque incidit, ut, ubi gangræna eſt, pars plus tumeat, cum minori dolore, & ardore, leviterque rubeat. Et ubi ſphacelus ex ea ſequitur, veſiculæ minus cruentæ cernantur. Cæterùm inflammatio, gangræna, & ſphacelus, quæ ſecundum plus & minus inter ſe differunt, frequentius cutem, quam corporis interiora corripiunt: at ex iis inflammationi maximè oculi noſtri patent. Etenim quamvis, ubi interna ſunt, non conſpectui ſubjiciuntur, tamen ea eſſe ex aliis phænomenis conjectura proſequi licet. Præcipuæ verò *inflammationes internæ* ſunt, 1, *membranarum cerebri*; 2, *pleuritis*; 3, *peripneumonia*. Sed *externæ*, 1, *oculorum*; 2, *angina*; 3, *cutis inflammata*; 4, *morbilli*; 5, *variolæ*. Quæ *membranarum cerebri* eſt, non certis indiciis cognoſcitur, ſed è capitis dolore, vel in ipſos oculos per-

ve-

veniente, & è febre, eam esse conjicimus. Inde febrem, quæ *phrenitis* vocatur, fieri, quidam ex antiquis medicis judicarunt: qua de re capite vigesimo primo explicui. Hoc vitium nonnunquam cum tumore, in quo pus moveatur, quod major capitis dolor medicamentis cedens nullis significat, conjunctum est. Quod si fiat, scire licet, in malis ægrum esse, nisi pus per aures aut nares erumpat. Jam sequitur ut de inflammatione, quæ πλευρῖτις Græcè vocatur, dicamus. Ejus verò duæ species sunt, una *membranæ pleuræ*, & altera *membranæ, quæ asperæ arteriæ ramos*, βρόγχια Græci appellant, *ab interiori parte velat. Prioris* indicia sunt dolor lateris eundem locum servans, & febris: at sine tussi & sputo. *Insequentem*, quæ crebrius quam prior incidit, esse testantur, cum dolore eodem pectoris loco manente, & febre, sputa. Hæc autem ferè cruenta sunt, & tussiendo eduntur. Ubi glutinosa sunt, vix excreantur, tussisque gravis est, quæ tunc dolorem, & hic febrem adauget. Quin cum his symptomatis vires ægri convelluntur, sputa tandem in bronchiis hærent, cum sono spiratur, & mors in propinquo est. Propria quædam in singulis pleuritidis generibus proposui: utris-

que

que communia nunc ſubjiciam, quæ ſunt, quod, cum dolore & febre, ille, ubi multus aër trahitur, gravior eſt, ſpiritus præciſus, & crebrior; & quod cubare in partem dolentem ferè jucundius eſt. Sed mala ſigna ſunt, ſi in partem ſanam aliquem decumbere dolor vetat; ſi dolor protinus ſub ſanguinis detractione non levatur; ſi remedia ſecunda brevi ex ſymptomatis non minuunt; & ſi hæc vehementer urgent. At illud etiam ſcire convenit, quod, ubi ægrum dolor modò in latere dextro, modò in ſiniſtro, modò in alia pectoris parte cruciat, nervi intercoſtalis rami ſimul diſtenduntur. Tandem utrisque commune eſt, quod abſceſſus accedit, qui in *priori inflammatione* inter membranam pleuram & muſculos intercoſtales eſt, cujus pus vel illam rumpit, & in pectoris cavitatem coit, vitium, quod ἐμπύεμα Græci vocant, excitans; vel in exteriorem partem procedit, & cuti jungitur, per quam ſcalpello inciſam fertur. At abſceſſus in *inſequente*, vel altè in pulmonem incidit, cujus pus tuſſiendo, ubi divulſus eſt, expuitur: vel ſub pulmonis membranam reſidet, quam dividit, & in pectoris cavitatem effuſus etiam empyema facit. Porrò pulmonis inflammationis, quam περιπνευμονίαν Græ-

Græci nominant, ſigna ſunt, ubi, cum dolore & febre, tuſſis oritur nulla, adeoque per eam non ſputa excreantur. Dolorisque ſenſus obtuſior quam in pleuritide eſt, & in medio pectore moleſtus. Quod ad genarum verò rubedinem pertinet, quam alios inter ea quoque numerare video, id nec ab experientia, nec à ratione tractum eſt. Siquidem in ipſa pleuritide, omnique inflammatione, quæ cum febre calida eſt, hoc phænomenon ſe oſtendit. Adhæc mali morbi teſtimonium eſt, auxilia bona non brevi opitulari, atque ſymptomata gravia eſſe. Etiam interdum abſceſſus adeſt, quo adaperto pus per tuſſim excreatur. Id autem eo tempore, quo rumpitur, magnâ copiâ exit; ſed deinde ad certum modum minuitur. Et tunc aut per ſe, aut ſputo mixtum extuſſitur. Ex iis verò, quæ ſuprapoſita ſunt, patet, ſuppurationes modò à pulmone, quæ *vomicæ* appellantur, & phthiſin *concitant*; modò à coſtarum parte, è quibus *fiſtulæ pectoris*, ut vocant, fiunt, naſci. Ab his tranſitus ad inflammationum *curationem* eſt, quam aliam *omnibus internis communem*, aliam *ſingulis propriam* eſſe pono. *In illa* verò à cauſa proxima æger abſtineat oportet; nihil pingue ſumat; omnem æſtum & frigus,

gus, cum corporis totius, tum maximè partis affectæ fugiat. Præterea in conclavi collocetur modicum calorem ſine ullo perflatu habente, nam adjuvare calor mediocris poteſt. Ubi cibi cupiditas eſt, eupeptis utatur; potiones aquoſas, id eſt, aquam coctam calidiſſimamque, quæ herbam thee, vel fabas coffi habeat; cereviſiamve materiæ tenuis antè calefactam bibat; diu multumque, niſi aliqua cauſa prohibet, dormiat; adeoque in tenebris & loco tranquillo cubet; corpus conquieſcat; & animus ſecurus ſit. Porro ad ipſam febrem ſanandam maxima cura transferenda eſt: ſiquidem ea ſaneſcente, dolorem & inflammationem ſimul ſolvi neceſſarium eſt. Proinde utile eſt mixturam antifebrilem, cujus compoſitionem capite vigeſimo primo propoſui, eo quo ibi præceptum eſt modo dari, hoc tantum interpoſito diſcrimine, quod pro cinnabari ſubſtituitur pulvis ramoſus, ſive oleoſus, ut ſperma ceti; ſive viſcidus, ut cornu cervi vel ebur ſine igne præparatum, vel mandibula lucii piſcis quamoptimè trita. Quod ſi dolor intolerabilis eſt, laudanum opiatum addere, eoque unà pugnare expedit. Id enim non modò dolorem per ſomnum lenit, verum etiam per ſe tollit, præter-

terquam cum cauſa valentior eſt. At quia hoc auxilium hominem infirmat, & febrem quidem tolerabiliorem, ſed etiam lentiorem reddit; ideo ſi vires deſunt, id præterire præſtat, quamvis ingenti dolore premitur. Et quando nitroſa quoque aliena ſunt, idcirco non niſi ardor & ſitis cruciant, mixturæ adjici debent. Igitur hæc compoſitio

℞ *ocul: cancr: præp.* vel
*corall: alb: præp.*
*antimon: diaphor.* vel
*regul: antimon: medicinal.*
*ſperm: ceti*, vel
*cornu cervi ſine ign: præp.* añ. ℈ß.
*ſyrup: fœnicul:* vel
*papav: errat.* ʒij.
*aq: fœnicul:* vel
*ſcabioſ.*
*yſop:* vel
*betonic.* añ. ʒj.
*cinamom.* ʒj.
*M. F. Mixt.*

hujusmodi febri præſidio eſſe poteſt. Si dolorem aliquis non ſuſtinet, granum unum, vel unum & ſemis laudani opiati; aut tincturæ opii capite decimo ſexto poſiti guttas triginta vel quadraginta addere conve-

nit. Sin ardor ſitisque urgent, lapidis prunellæ vel nitri antimoniati grana quinque; aut ſpiritus nitri dulcis guttas novem adjicere ſatis eſt. Ejusmodi verò mixturæ ter quaterve die cochlearium ſumere neceſſarium eſt. Venio ad medicamenta externa, quæ ſi ſacculus, linimentum, emplaſtrum, ſimiliaque ſint, parum juvant; & adhuc minus juvant, cum os ſubeſt, quod obſtat, cur minus aliquid præſtent. Et imponere emplaſtrum, quod *cantharides* habet, donec veſiculam excitet, noxium eſſe concipio, licet ſuccurrat oculorum inflammationi, quæ nec cum febre, nec cum dolore eſt. Sed remedium eſt magni doloris, tam procedente tempore, quam inter initia, ſanguis miſſus, ſub quo vires æſtimandæ ſunt, & ex eo colligere, quantum ſanguinis ſit detrahendum. Siquidem alii facilè detractionem ejusmodi ſuſtinent, alii celeriter ea affliguntur. Semper antè finis faciendus eſt, quam anima deficiat. Poſtero die, dolore non levato, niſi quid obſtat, adverſo digito vena fricanda, ut recens coitus ejus reſolvatur, iterumque ſanguinem fundat, cum eo, ut cætera quoque eodem modo ſerventur. Si non reſolvitur, altera ve-

vena incidenda eſt. Novi quidem ægrum hac re debilitari. Sed non minus dolorem opiumque, vel aliquid ex eo paratum id facere, uſus oſtendit. Neque intereſt, ex vena partis ejus, qua inflammatio eſt, an ex oppoſita ſanguis mittatur: uſu namque cognitum eſt, doloris levamen non è venæ ſede, ſed è ſanguinis detractione pendere. Adhæc arteriam incidere, etiamſi hoc periculo vacet, ubi parva eſt, os ſubjacet, locus faſciæ idoneus eſt, & chirurgus peritus, tamen omnino ſupervacuum, imo inimicum eſſe exiſtimo. Atque experientiam, quam ſequi ſe contendunt, fallacem fuiſſe, ratio dictat. Ne referam, quod ipſa experientia in curationibus contrarium docet. Et quoniam remedia, quæ alvum movent, febrem & dolorem intendunt, præcipuè ubi valentia ſunt, ea quoque pernicioſa ſint neceſſè eſt. Quin cum vomitus iidem effectus ſint, eo magis, quod corpus inſuper vehementer concutit, ideo medicamenta, quæ eum eliciant, etiam aliena ſunt, niſi cum dolor modicus eſt, febrisque levis, cauſa id prohibente nulla. Cum alvus triduo quatriduove ſuppreſſa fuit, eam ſuppoſitorio ex inferiori

parte indito resolvi opus est. At eam, ubi ultra id tempus nihil descendit, lotione ducere melius est. Sequitur *curatio singulis* inflammationibus, quæ internæ sunt, *propria*: nam ubi *cerebri membranæ* inflammatæ sunt, placentam rosarum ex aqua rosarum tepida expressam super caput imponere licet. Cum inflammatio *membranam pleuram* occupavit, cerato de cumino, cujus compositionem capite sexto comprehendi, super locum dolentem uti non alienum est. Linimentum, quia non nisi corpore nudato adhiberi potest, nocet, præterquam cum admotâ prunâ inducitur. Sed id necessarium non est. Si dolor diutius manet, & febris lenta facta est, *abscessus* subest. Cujus rei certiores sumus, ubi *empyematis* notæ se ostendunt; aut cum inter costas tumor mollis, dolens, & resistens visu tactuque sentitur, & quidem in ea maximè parte, qua cubare aliquis consuevit. Sed hosce binos morbos in eum locum reservare, quo tumores, si Deo placet, persequemur, ordo desiderat. Quod si *membrana, qua bronchia ex interiori parte conteguntur*, inflammatione correpta est, suprapositum ceratum, linimento præterito, non inutile est.

Ve-

Verùm totam hujus mali curationem capite vigeſimo primo, qua pectoris dolores febri ſupervenientes curavi, videre eſt. Cum autem nervi intercoſtalis rami diſtenduntur, imo difficilis ſpiritus & anguſtia eſt, quod ob dulcium abuſum in hoc vitio fieri ſolitum aliquando contingit, ea, quæ eodem capite in paſſione hyſterica febri ſuperveniente comprehendi, utiliter mixturæ adduntur. Si ſputa perquam glutinoſa ſunt, tuſſim graviorem, ideoque etiam dolorem & febrem vehementiores reddunt. In quo caſu florum ſulphuris ſcrupulum, & croci grana tria mixturæ miſcuiſſe expedit; & *potionem pectoralem*, capite vigeſimo primo, qua dolores pectoris febri accedentes juvavimus, deſcriptam adjeciſſe, cujus ſubinde ciathus antè calefactus ſorbeatur oportet. Ubi æger bellè ſe habet, mixtura omiſſa, veſperi duntaxat hauſtus ex iis, quæ in mixtura ſunt, compoſitus, addito, ſi dolor nondum ex toto diſcuſſus eſt, laudani opiati grano dimidio, dari poteſt. Cæterùm quando ſudor lenis prorumpit, in eo hominem potiones calidas bibendo contineri oportet: etenim per id impetus materiæ, quæ

febrem excitat, ad cutem evocatur, & facilius ſputum excreatur. At ſudorem medicamentis validis, id eſt, theriaca, mithridatio, ſimilibusve movere, nihil aliud eſt, quam febrem & dolorem incitare. Imo ſub iis vix ſudor ſequitur, ubi per ſe non venit; & cum per ſe venit, iis adhibitis ſæpe deſinit. Eumque cum quis corpus multis veſtimentis operiendo evocat, hominem ſtrangulat & vires conſumit. Ubi ſputa facile extuſſiuntur, venterque imus ſemel aut iterum die ſedet, corpore leniter inſudante, bona ſigna ſunt. Siquidem frequentior quies ſequitur, die uno aut altero in urina ſedimentum apparet, febrisque finiri deprehenditur. Quæ interdum etiam per tumorem in crure vel alia corporis parte ortum ſic, ut vel diſcutiatur, vel ſuppuret, finem habet. Quod ubi incidit, urina aut minus, aut nihil ſedimenti trahere videtur. Si febris continuat, & vis corporis adeo minuitur, ut ſputa non amplius aliquis excreare valeat, cum ſono ſpirat, & non ita diu poſt extinguitur. Protinusque timeri debet, ſi duo grana laudani opiati mixturæ, quæ tota duodecim

cim horis ſumatur, adjecta dolorem non levant. Tandem æger periclitatur, ſi propemodum ab initio, pectus, ſputis in aſpera arteria hærentibus, ſonat, niſi cum id in ſecunda valetudine ſemper tutò habuit. Interdum etiam huic morbo illud accidit, ut *abſceſſus* fiat, quod facilè ex dolore continuato, & febre lenta intelligitur: ut &, ubi pus per tuſſim excreatur, vel, ubi *empyematis* indicia ſunt. Sed hæc vitia poſthæc in tumoribus comprehenſurum me ſpero. At de *phthiſi* & *fiſtulis pectoris* in ſuperioribus retuli. Poſtremò *peripneumonia* nihil præter ea, quæ ſupra poſui, requirit, niſi quod, ubi aliquid ſuppurat, cujus rei notæ jam mihi dictæ ſunt, ægrum curare oportet, ſicut in tumoribus quoque oſtendam.

## CAPUT LVI.

### *De oculorum inflammatione.*

INter inflammationes externas ea, quæ oculos occupat, & ὀφθαλμία à Græcis nominatur, jure primum locum habet. In hac quidem expedita cognitio eſt, ſi quæ in oculis alba eſſe debent, rubeſcunt, pupilla & iride, ſicut naturaliter oportet, manente. Hanc rem non ineleganter repræſentat cera rubra, in qua oleum terebinthinæ liquatum ſit, ſi in oculi arteriolam clyſtere magno ad id apto antè calefacta compellitur. Siquidem tunc album oculi velut inflammatione adfectum conſpicitur. Hoc tamen non obſtat, cur minus id vitium tam grave eſſe queat, ut propter neſcio quid membranoſi pupillam ab iride vix dignoſcere liceat. Nonnunquam dolor adeſt, qui modò major, modò minor id agit, ut oculus lumen refugiat, & in loco tantum obſcuro videndi uſum habeat. Cum dolore rarò ardor eſt. Aliquando, ſed non niſi in corpore cacochymico, dolore multum moleſto, *maculam albam* adfert, quæ ab in-

fe-

feriori parte iridis inchoatur, & quotidie ſurſum procedit, donec vel uſque ad pupillam pervenerit, vel hanc, imo totam iridem invaſerit. Pure repleta videtur: quod tamen non eſt, quia modò increſcit, modò decreſcit; interdum ſolvitur, interdum manet, & qua pupillam occupat, lumen tollit. Adhæc quo plus increſcit, eo quoqe dolor & inflammatio pejus laborantem habent, & contra. Quin interdum exulceratur, oculo contabeſcente. At ſæpius in oculo inflammato *ulcuſculum* eſt. Hoc ubi quis illum, quippe cum lumen non ferat, aperire nequit, quando cum dolore inflammatio eſt, conjicitur. Sed id rectè colligitur eo, quod caput ſupra oculum læſum dolet. Caligare etiam oculus nonnunquam ex inflammatione conſuevit, quod ad *ſuffuſionem* pertinere judico. Capitulum album iridi proximum quandoque conſpicuum eſt, è quo inflammatio oblonga per album oculi decurrit, quem à ſimilitudine *unionem* appellare quid vetat? Quamvis vulgò id nomen pupillæ eſt, ubi tunica cornea poſt ulcuſculum in ea attollitur. Præterea cum inflammatione, & ea vetuſta, vel recente gravi, plerunque *nubecula* eſt, quæ pupillam vel ex parte, vel

ex

ex toto tegit ſic, ut pro varia magnitudine & craſſitie, plus vel minus videndi uſui officiat. Neque ignorare oportet, quod inflammatione ſaneſcente, ſuffuſio & unio ſimul ſanitatem recipit, at nubecula duntaxat minuitur. Cujus quicquid remanſit, id poſtea amplius diſſolvi poteſt, ſed non, ubi craſſa eſt, ex toto. Quod ſi nubecula major & craſſior fit, degenerat in *unguem*, quod πτερύγιον Græci vocant. Id igitur membranula craſſior eſt, non tantum pupillam totam, verum etiam iridem, & ſæpe magnam albi oculi partem operiens. Ex ea verò craſſiori vel tenuiori caligo major vel minor eſt: ſiquidem alia adhuc recens & tenuis eſt; & alia inveteravit, jamque ei craſſitudo acceſſit. Prius genus aliquomodo ſanabile eſt; inſequens ſanitatem non admittit. Cæterùm unguis ut plurimum brevi tempore, id eſt, pauculis diebus naſcitur ſine inflammatione, dum oculus unà minor fit, quam eſſe naturaliter debeat. Porro, ut ophthalmia, quæ remanet, iterùm, quamvis levi de cauſa, exaſperatur; ita, ubi longius tempus habuit, facilè ex levibus momentis redire conſuevit: id quod etiam in cæteris vitiis, quæ ex vaſorum obſtructione, vel potius anguſtia fiunt, evenire uſu cognogno-

gnoſcimus; & vulgò, ſed perperam, partis affectæ debilitati tribui videmus. At hoc vitium ſive recens, ſive vetuſtum, contrahi poſſe ex eo, quod oculum inflammatum, quantumvis cominus & diu, aliquis intuetur, & vanæ rationi inſiſtit, & ipſa quoque experientia ei rei repugnat. Metumque ac imaginationem etiam eò conferre, ſicut per hanc ſtigmata fœtui imprimi novimus, æquè ab utroque abhorret. Ad hunc morbum verò pertinent *epanaſtaſis*, & *lippitudo*. Quando album oculi inflammatione correptum relaxatur & procidit, interdum ſic, ut cum palbebræ committuntur, inter has ex iſta tunica aliquid appareat, ἐπανάςασις à Græcis appellatur. Quæ interdum ſubrubra eſt, interdum, ſed perquam rarò, alba deprehenditur. Utque major inflammatio epanaſtaſis, ita epanaſtaſis major *pannus* mihi eſſe videtur, in quo, quicquid in oculo album eſſe debet, velut panno rubro contectum cernitur. Inflammatio ciliorum vocatur *lippitudo*, quam utpote aridam ξηροφθαλμίαν Græci vocant: nam humida eſt, ubi ſumma cute læſa humor quidam purulentus provenit. Is cum pituitoſus eſt ſic, ut palpebris noctu prægravibus inhæreſcat, *cohærentia nocturna* dici

me-

meretur. Si ob hanc humiditatem palpebræ ſumma cutis relaxatur & procidit, ejus pili ad ipſum oculum convertuntur, quia non ſimul cartilago quoque ſe remiſit: τριχίασις Græcè nominatur. Prævisis iis, quæ pertinent ad oculorum inflammationem, ad curationem veniam, quæ inter initia non difficillima eſt, ſi cum victus ratione capite proximo præcepta, *apozema acria leniens & per alvum educens*, quod capite trigeſimo ſexto poſui, ut ibi dictum eſt, adhibetur. Nam è ventre ſuppreſſo ſi ullius partis ſuperioris, utique oculorum mala increſcunt. In hoc ipſo tamdiu permanendum eſt, donec ſanitas reſtituta ſit. Si non ſatis alvus movetur, foliis ſennæ adjici debet. In iſtius apozematis locum etiam hic pulvis,

℞ *fol: ſenn: ſine ſtipit.* ℥j.
*ſem: aniſ.*
*fœnic: dulc.* aã. ʒj.
*ſummitat: euphrag.* ʒß.
*M. F. pulvis.*

ſubſtitui poteſt, qui longè minoris conſtat; cujusque quotidie manè drachma, vel quantum ſatis eſt ad ter vel quater dejiciendum,

aut

aut per ſe, aut ſyrupo conveniente addito, ut ei craſſitudo boli ſit, exhibetur. Neque ignorare oportet, quod purgationes, quæ acribus medicamentis fiunt, perniciosæ ſunt; & quod in pueris parcius agendum eſt. Cum quis à vocabulis medicamentorum abhorrens potione ex theè delectatur, ſingulis diebus tempore matutino aquam coctam, in qua drachmæ duæ foliorum ſennæ, & quarta pars ſeminis aniſi jaceant, calidiſſimam ſorbere expedit. Quod ſi vitium, ſive de cauſa ſua proxima, ſive quia in vetuſtatem incidit, non ex facili ſanatur, quotidie *pilulis de ſcammonio dulcibus*, quarum compoſitionem capite quadrageſimo quarto poſuimus, uti opus eſt. Quin eaſdem ita *mercurio dulci* augere, ut quælibet doſis ſcrupulum habeat; vel dovec os leviter exulceretur. Maximè cum alvus difficulter movetur, ſicut frequenter evenire conſuevit. Etenim ubi tardè ad ſanitatem venitur, per iſtas pilulas aut alvus aliquoties die ſolvatur, aut os exculcerationes leves invadant, neceſſè eſt. Inter hæc *veſicatorium*, quod vix imperialis magnitudinem excedat, ſive ſuper nucham, ſive ſuper humerum, eo ſcilicet loco, quo fonticuli concitantur, imponere convenit. Quod pro-

fi-

ficit, quia ſal volatile acre intus volat; & interdum etiam, quando humorem acrem illuc citat: nam ubi hic locus inflammatur, oculus inflammari deſinit. Sed hoc auxilii genere abſtinendum eſt, ubi oculus inflammatus dolet; & in pueris, utpote cum ob dolorem ab iſto emplaſtro motum ſæpe plorent. Siquidem lachrymæ inflammationi inimicæ ſunt. Igitur hanc difficultatem evitandi cauſa pro veſicatorio quotidie pauculas guttas *eſſentiæ cantharidum* capite decimo tertio propoſitæ, ex cereviſia dare commodiſſimum eſt. Suprapoſitis medicamentis ſanitas reddi poteſt, quamvis nihil remedii ipſi oculo injiciatur, quippe qui interdum à medicis diu vexatus ſine eo ſaneſcit. Et è contra levem inflammationem unguentum, cujus compoſitio & utendi modus capite quinquageſimo comprehenſa ſunt, ſæpenumero depellit. Adhæc animadverti, quod quo morbus vetuſtior eſt, eo plus *vitrioli albi* adjici oportet ſic, ut, qui annum unum aut alterum duravit, vel dimidio plus, & amplius exigat. Eſt etiam ea moderatio neceſſaria, ut pro doloris impetu vitriolo albo quoque ſubtrahendum ſit: etenim cum vehemens eſt, eo uti alienum eſt. Iſthoc unguento adhibito dolor le-

vi

vis naſcitur. Qui ſi momento uno aut alterò diutius manet; aut ſi rubedo ex hoc dolore ſequuta ultra horam continuatur, ob vitriolum album acrius eſt, quam ut eſſe debeat. Nam acria medicamenta non alio magis nomine oculis nocent, quam quod dolorem movent. Etiam levem inflammationem frequenter ad ſanitatem perducit collyrium, in quo vitriolum album ſit, ſine, vel cum paululo camphoræ. Hæc enim, ſicut cætera calida, ultra debitum addita multum malo adjicit. Recenti igitur rei hoc accommodatum eſt,

℞ *trochiſc: alb: Rhaſ.* gr. xv.
*vitriol: alb.* gr. ij.
*camphor.* gr. ½.
*aq: fœnicul.* ℥ iß.
*M. F. collyr.*

Noctu verò, quo commodior quies, ſi dolor eum prohibet, veniat, non alienum eſt, ſuperimponere candidi panis interiorem partem ex hoc collyrio ſubactam; vel id lana excipere & imponere, magis, quia, ſi quid lachrymæ procedit, abſorbet. Tutiamque præparatam & lapidem calaminarem itidem præparatum illud non habet. Neque id ſine cauſa fit, cum non ſolvi poſſint, ſed gravitate ſua ſubſidant. Quod ſupra de vi-

triolo albo pro vetuſtate mali moderando dixi, idem hoc loco etiam intelligi volo. Etenim ubi admodum inveteravit, vel grana ſex ſupraſcripto humori addere licet, cum eo tamen, ne dolorem aliquis ſentiat, vel certè dolor modicus excitatus intra breve tempus finiatur. Si quis ad eundem uſum pro vitriolo albo, quod tamen melius huic rei eſt, ſaccharum Saturni ſubſtituere volet, hujus dimidio plus quam prioris adjiciat. Quod ſi dolor gravis affectui adeſt, quinque grana croci, & tria opii admiſcere, & eo ante agitato quater die, uti expedit. Qualis verò uſus ſit, capite quadrageſimo quarto comprehendi. Ubi quis oculum aperire non poteſt, & ne ulcuſculum ſit, ob cauſas ante dictas, metus eſt, collyrium loco jam allegato compoſitum eò aptiſſimum eſt, magis, quod pupillam unà purgat, ideoque & nubeculæ, ſi adeſt, ſuccurrit. In ipſum verò oculum pulvis non rectè conjicitur. Inter hæc id agendum eſt, ut pannus viridis vel cœruleus, qui ante oculum dependeat, lucis aditum præripiat. At oculum linteum multiplex ſuper eum deligando operire, viſui inimicum eſt. Etenim ſi quis vel aliquot momentis manum ſuper oculum comprimit, caligo, licet brevi decedens, ſequitur.

tur. Quamobrem interdiu cataplaſmate uti non prodeſt. Sed medendi cauſa caput radere nocet. Tandem hoc ſublime & tepidum habendum: calor namque & frigus æquè offendit. Porro vitia in oculis ut ipſa diverſa ſunt, ita aliter aliterque curantur. Si igitur in gravi inflammatione ob neſcio quid membranoſi pupilla ab iride dignoſci nequit, protinus ſingulis diebus grana octo vel decem *mercurii cathartici*, addita mucilagine gummi tragacanthi, donec inde pilulæ fieri poſſint (creat enim per ſe aſſumptum nauſeam) dare oportet, ut quamprimum exulcerationes leves in gingivis, aliave parte oris naſcantur. Quarum initia cum ſe oſtendunt, mercurio omiſſo, gargariſmate, quod eas ſanet, uti abundè eſt. Sanitate reddita, ad mercurium revertendum eſt, intraque hæc ita conſiſtendum. Si evenit, ut alvum non moveat, ſex vel plura grana aloes, dejectionis cauſa, adjici opus eſt. Eſt verò ille mercurius nihil aliud quam præcipitatus albus, qui ter ſpiritu vitrioli elutus, & deinde, poſtquam in ſole exaruit, aqua calida pluviatili dulcis factus eſt ſic, ut nonnihil acoris in eo remanſerit. Sub his collyrium, cujus compoſitionem capite quadrageſimo quarto retuli, maxi-

mè idoneum eſt. In *macula alba*, quod genus mali difficillimè eliditur, quotidie decem grana mercurii dulcis in pilulis de ſcammonio dulcibus ſumere aliquis debet, dum illud attenditur, ut, ore quam leviſſimè exulcerato, ſtatim omittantur. Neque collyrio ex trochiſcis albis Rhaſis ſuprapoſito granum unum aut alterum camphoræ, niſi inflammatio id prohibet, addere alienum eſt. Quod etiam oculi tabes deſiderat. De *ulceribus oculorum* ſupra capite paulò ante citato explicuimus. *Suffuſioque* & *unio* non propriam curationem exigunt, quia cum inflammatione depelluntur. Curatio inflammationis cum *nubecula* dividenda eſt, & antè illa, tum hæc diſcutienda. Quemadmodum verò agendum ſit, operæ pretium eſt proponere. Quotidie in pilulis, quarum in ſuperioribus plus ſemel mentionem feci, decem granis mercurii dulcis uti, utiliſſimum eſt, cum eo, ut ſemper oris ratio habeatur. Et contra nubeculam, quæ inflammatione finita relicta eſt, pulvis, qui ſic illam tollat, ut ne rodat, ter die infricandus eſt. Cujus rei cauſa ſaccharum albiſſimum tamdiu in pelvi ſtannea ſtanneo cochleari terendum eſt, donec ad plumbi colorem venerit. Concharum uſtarum, cornu cervi uſti præparati,

parati, ossis sepiæ, similiumque, sive singulorum, sive inter se mixtorum pollen eodem modo admotum, minus proficere mihi videtur. Sed *unguentum* nostrum *de vitro*, quod vitrum quamoptimè tritum & cribratum, addito melle rosarum, donec ei crassitudo unguenti sit, habet, ad idem efficaciissimum est. Ejus verò paulum ter die inter palpebras super oculum injiciatur, & moveatur oportet. Quod si sub uno ex his inflammatio redeat, antè rursus discutienda est, quam ad idem recurri liceat. Et tunc eo parcius utendum est. Si per hæc parum proficitur, *collyrium* nostrum *viride*,

℞ *vini Hispanic.* ℥vi.
*mell: alb.* ℥iij.
*sal: commun.* pugillum semis.
*M. & colloc: in pelvi ænea per aliquot dies, vel donec color evadat viridis.*

tepidè bis die in oculum penicillo ad id ipsum facto infusum, id malum tollit, si non in totum, utique ex maxima parte. Si dolorem movendo inflammationem revocat, hac superioribus auxiliis iterum finita, dimidia vel pari portione mellis rosarum temperandum est, ne illa rursus sequatur. Ubi id

adhuc parum proficit, tamen non desistendum est. Sæpe enim pertinacia juvantis malum corporis vincit. Transeo ad *unguem*: quæ, utpote crassior, valentiora medicamenta requirit, etiamsi collyrio viridi quoque aliquis non inutiliter utatur. Igitur, dum æger quotidie è pilulis de scammonio, cum eo mercurii dulcis modo, quem oris partes sinunt, devorat, *aqua cærulea*, quæ hoc modo fit,

℞ *sal: armoniac.* ʒiij.

*Solve in aq: calcis* ʒiij; *& colloca in vase æneo per noctem. Tum filtra per chartam bibulam, & F, aq: cærul.*

utendum est. Hæc ubi usus necessitas incidit, pari portione aquæ fœniculi dilui debet, ne nimis rodendo dolorem faciat. Sic enim verendum erit, ut ne oculus in inflammationem recidat. Et si etiamnum hunc humorem justo acriorem esse usus docebit, plus aquæ fœniculi addere necessarium est. Modus autem utendi similis est ei, quem de proximo collyrio dixi. Sunt qui oleum è fumo lintei combusti condensato, quod ungui per penicillum bis die illinunt, magni faciunt. Quo tamen medicamento ego nunquam usus fui, qui in è magno dolore, quem excitat, ferè inflammatio sequitur. Ast

quam-

quamvis pertinaciter in hisce permanemus, tamen hominis acies non ex toto in antiquum ſtatum redit. Maximè, ubi vitium, inflammatione præcedente nulla, exortum eſt. Cui generi eadem medicamenta quidem reſpondent, ſed inſuper etiam ſal volatile oleoſum intrinſecus neceſſarium eſt. Tandem, ubi unguis craſſior eſt, quam ut medicinam admittat, nonnulli eum manu hoc modo tolli volunt. Chirurgus hamulum acutum paulùm mucrone intus recurvato ſubjicit extremo ungui, eumque infigit. Tum hamulo apprehenſo levat unguem, eumque acu trajicit linum trahente. Deinde acum ponit, lini duo capita apprehendit, & per ea erecto ungue, ſi qua parte oculo inhæret, ſcalpello diducit, donec tota ſequatur. At duplex periculum eſt, ne vel ex ungue aliquid relinquatur, quod exulceratum vix ullam recipiat curationem; vel pupilla quoque ipſa lædatur: inflammatione ſequente. Accedit ad hæc, quod ob oculi dolorem motumque hanc unguis ablationem vix efficere aliquis poterit. Et ſi, hæc mala vitandi cauſa, eundem per linum, ſine ſcalpello, ab oculo avellere tentat, nihil aliud quam intolerabilem oculi capitisque dolorem movebit. Cui præterea gra-

vis ſuperveniet inflammatio. Sequitur, ut *epanaſtaſeos* & *panni* curationem ſubjiciam: quam per eadem auxilia, quibus ſupra inflammationem ſaneſcere propoſui, conſequi licet. Sed *albam* epanaſtaſin hic pulvis,

℞ *tutiæ præp.* ʒß.
*oſſ: ſepiæ* ƷßS.
*camphor.* gr. ij.
*M. F. pulv: inpalp.*

cujus paululum ter die in oculum conjiciatur, brevi diſſolvit. Quod attinet verò ad *lippitudinis* curationem: neque eſt dubium, quin alia curatione opus ſit, ſi ea ſit ſicca, alia, ſi humida. In priori genere proficit hoc unguentum,

℞ *ung: pomati* ʒj.
*ſacchar: Saturn.*
*præcipitat: alb.* añ. gr. viij.
*M. ad fictile.*

quo lippientes oculi ter die parcè ſuperinunguntur. Succurrit autem inſequenti, ſi quis unguentum, cujus compoſitionem capite quinquageſimo poſui, eodem modo admoveat. Per quod ſimul *nocturna cohærentia* finitur. Si humoris curſus hoc medicamento non quieſcit, paululum ejusdem antè ſuper cilia induci debet, tum mollis linamenti mul-

multum ſuperimponi. Si *pili intus ad oculum tendunt*, tenuis acus aurea (nam aurum candens, uſtione facta, dolorem non relinquit) ad ſimilitudinem ſpathæ lata in ignem conjicienda eſt: deinde candens, ſublata palpebra ſic, ut ejus pernicioſi pili in conſpectum curantis veniant, ſub ipſis pilorum radicibus ab angulo immittenda eſt, ut ea tertiam partem palpebræ tranſeat: deinde iterum tertioque ad alterum angulum. Quo fit, ut omnes pilorum radices aduſtæ emoriantur. Tum ſuperimponendum medicamentum eſt, quod aduſta loca ad ſanitatem perducat. Si quis hoc auxilii genus adhiberi non patitur, *lapidem infernalem* bis die (non enim aliquot momentis, ut chimici credunt, cruſtam inducit) iisdem locis immittere integrum eſt, donec pilorum radices conſumptæ ſint. Sed magna cura proſpiciendum eſt, ne is humore dilutus in oculum perveniat, eumque lædat. Cui rei impoſita linamenta arida rectè occurritur. At iſtos pilos vulſella evellere nihil juvat, quia cum renaſcuntur, idem malum redit.

# CAPUT LVII.

## *De fonticulis & ſetaceis.*

CUm igitur inflammationes per ea, quæ capite proximo poſui, auxilia optimè ſaneſcant, *fonticulos* & *ſetacea* ſupervacua eſſe manifeſtum eſt. Imo, quia non ſine dolore fieri, nec ſine moleſtia ferri poſſunt, utilitatem non ingentem afferentia, operæ pretium non eſt excitari. Quando tamen non ex toto condemnanda eſſe concipio, paucula de iis hoc loco dicere viſum eſt. *Fonticuli* nomine ſignificatur ulcuſculum cavum, cuti arte, tam morbos præveniendi, quam ſanandi cauſa illatum, quod globulo indito, ne impleatur, prohibetur. Fit autem in interſtitio muſculorum, & quidem ut plurimum in humero, vel crure. In illo, à parte anteriore, non poſteriore, eligitur ſpatium, quod quatuor digitorum latitudinem infra articulum inter muſculum deltoida & bicipitem interjacet. Id, dum brachium variè movetur, viſu & tactu foveæ ſentitur. In crure verò inter muſculum gaſterocnemium & initium ſolei, eandem latitudinem infra genu, atque à parte interiore

riore concitatur. Quod interſtitium eodem modo, ſed difficulter, ubi corpus obeſum eſt, reperitur. At majorem uſum præſtare fonticulum in ala aut inguine, quin & in poplite, credo. Sed cervix & dorſum loci ſunt fonticulis parum idonei. Et is, qui *in ſutura coronali* fieri conſuevit, etiam hodie non multùm in uſu eſt. Excitatur autem vel *pungendo*, quod commodius in humero; vel *incidendo*, quod melius in crure fit; vel *inurendo*, quod olim utplurimum in ſutura coronali eveniebat; vel *remedio erodente*, quod quibuslibet locis imponi poteſt; vel denique *veſicatorio*, quod pueri facillimè patiuntur. *Pungendo* hoc pacto infligitur: locus in humero inventus atramento notatur. Tum chirurgus humerum ab inferiori parte apprehenſum attrahit ſic, ut cutis, quæ ſuperior eſt, diſtendatur. In quam tunc loco notato demittit ſcalpellum, & ſic vulnuſculum facit adeo magnum, ut piſum majuſculum facilè recipiat. Quo injecto, protinus emplaſtrum imponit, & pulvillum ſuperdatum faſciâ adſtringit. Quæ omnia cum dolore modico, & ſanguine ferè nullo contingunt. Deinde bis die ab ipſo ægro aperitur, piſum mutatur, & faſcia vel vinculo ad id apto deligatur. Si non ſat humoris

moris fertur, in piſi locum globulus è ligno hederæ arboreſcentis ſubſtituitur: qui etiam cicatricem impedit. Hæc ſi nihilominus inducitur, paululum cantharidum contritorum inſpergi debet. Cum ob carnem putridam fœdi odoris eſt, globulo unguentum baſilicum, in quo mercurius præcipitatus ruber ſit, illinitur. Si locum dimittit, quod fit, quia ipſi muſculo inſiſtit, pulvillo, qua tendit, objecto, & faſcia in adverſam partem ducta in eodem loco detinetur. *Incidendo* hoc modo excitatur: loco infra genu notato, cutis à chirurgo & miniſtro elevata ſcalpello inciditur tam altè, ut piſum ex toto admittat. Tum eadem, quæ paulò antè in humeri fonticulo præcepi, facienda ſunt. *Inurendo* in ſutura coronali efficitur ferramento candente, quod, qua cum ſagittali committitur, vertice raſo, imprimunt, ac uſque ad os ipſum adurunt, & quidem in epilepſia, quando focus mali eſt in capite, ſic ut ſqamam remittat. Is autem locus, qua ſummus digitus medius, initio palmæ manus narium radici injecto, pertingit, eſſe judicatur. Quanquam alii fila duo ducunt à media aure ad mediam alteram aurem; deinde à naribus ad verticem: tum ubi fila committuntur, ferro candente urunt.

urunt. Sed uterque modus dubitatione non caret. Ad cruſtam à viva parte diducendam unguentum populeum, cui par portio ſaponis nigri adjecta ſit, largiter imponunt. Ubi excidit, quod octiduo præter propter interpoſito contingit, piſum indunt, emplaſtrum cum pulvillo ſuperdant, hæc omnia vinculo verticali adſtringunt, & ſic bis die ligant. *Remedium exedens* carnem, ut fiat fonticulus, eſt *lapis corroſivus*, qui ſic conficitur,

℞ *calc: viv: recent.* p. i.
*ciner: clavill.* p. ij
*Affunde multum aquæ calidæ. Poſtquam quinque vel ſex horis ſtetit, parum coq: filtr: per chart: bib: linteo ſuffultam, & lixivium evapor: in patella, donec ſal in fundo olei adinſtar remaneat. Tum effunde in pelvim calidam, & diſcinde in fruſtula vitro bene clauſo conſerv.*

Atqui utile eſt ſcire eum *infernali* facultate adurendi non cedere; & ubi materia antè comburitur, minus acrem evadere. Imponitur ergo emplaſtrum tenax linteo inductum, per cujus foramen conſpectui ſubjiciatur locus, ubi fonticulus erit. Tum ſu-

per

per foraminis fines injicitur vallum è consimili emplastro convoluto paratum, intra quod immittatur frustulum istius lapidis pisi majusculi magnitudinem æquans. Posthæc superdantur idem emplastrum, linteolum multiplex, & fascia sic continens ut adstringat. Quæ omnia diligenter servanda sunt, ne vicinus & sanus locus à soluto lapide lædatur. Duabus horis exactis, sub eo crusta cum modico dolore pungente sic, ut inflammatio accesserit nulla, satis altè excitata erit. Quam tunc tractare oportet, ut supra de crusta igne inducta præcepi: nisi quod, ut maturiùs ab integro resolvatur, decussatim ad vivum usque incidi debeat. *Per vesicatorium* fonticulus fit, si loco medicamenti erodentis, vallo præterito, portiuncula unguenti basilici, quæ cantharides contritas habeat, injicitur, & fascia non multùm attrahitur. Post diem vesicula sublata, pisum majusculum super hunc locum imponitur, emplastrum & linteolum multiplex lamella cuprea præditum superdantur, & hæc fascia bis die adstringuntur sic, ut piso paulatim cutis excavetur. Si, antequam hoc fiat, in cutis cavo, qui fonticulus est, pellicula renascitur, paululo cantharidum insperso iterum solvi necesse est.

Huc

Huc uſque de fonticulo: ſequitur *ſetaceum*, quod majoris effectus quam fonticulus eſſe creditur. Denotat autem ulcus ſub cute oblongum, quod ejuſdem rei cauſa, cujus ille, concitatum funiculus apertum ſervat. Locus huic rei maximè idoneus exiſtimatur in cervice, qua vertebra ſecunda cum tertia committitur: ſed inferius cum dolore habetur. At majorem uſum præſtare judicatur, ſi in ala vel in inguine eſt. Idem de poplite intellige. Excitari quoque in ipſis artubus poteſt. In auriculæ lobulo etiam contra ophthalmiam habent. Modus autem, quo fit, hic eſt. Per acum ingentem, qua perforata eſt, funiculus è ſedecim filis ſericis ſic contortus, ut unitas in eo facta ſit, conjicitur. Is cera illitus, & ita longus ſit neceſſè eſt, ut duo capita antrorſum ad pectus uſque perveniant. At proſpiciendum eſt, ne acus foramen, quod tranſit, craſſitie excedat. Deinde duo puncta transverſim inter vertebram ſecundam & tertiam, duobus digitis interpoſitis, atramento notantur. Tum cutim infra miniſter & ſupra chirurgus compreſſam ita attrahunt, ut puncta ſibi directè reſpondeant. Quo facto, acus per ea inter cutim elevatam, & muſculos ſubjectos trajicitur, funi-

niculo ſequente. Qui tunc apprehenditur, ad anteriora adducitur, & ibi cum altero capite ligatur. Tum emplaſtrum vulgare, linteum conduplicatum, & faſcia ſuperinjiciuntur, è quibus hæc, ſanguinem, qui tamen perquam modicè fluit, ſupprimendi cauſa adſtringitur. Poſthæc funiculus unguento baſilico oblitus paulum bis die ducitur ſic, ut ſubeat vulnuſculum pars, quæ ſuperior fuit. Quia hac ratione commodè & promptè ſetaceum concitatur, neque ferramentum aliquod, quod cutim arreptam comprimat, perque duo foramina acum transmittat; multò minus acus candens requiritur. Cæterùm ad efficiendum, ne intus cicatrix oriatur, unguento baſilico, quo funiculus perungitur, è cantharidibus contritis aliquid adjiciendum eſt. Medicamento erodente in hunc uſum uti, alienum eſt. Nec *inſtrumento Hildani è ligno hederæ*; nec ejus *fiſtula cum medulla*, ad idem opus eſt. Venio autem ad utilitatem, quæ ob fonticulos & ſetacea corpori noſtro contingit, & à multis hodie negatur. Sed ut rectè de hac re judicemus, morborum cauſam materialem aliam ab alia diſtingui oportet. Etenim ſi ea craſſa ſit, & alibi fixa hæreat, ut in omnibus tumorum generibus,

in

in omni inflammatione, in morbis paralyticis, & ſimilibus, inutilia, imo noxia eſſe credo. Idem intellige de morbis è ſanguine viſcido natis: ſiquidem mulieribus ſterilitatem, & pallorem viris intuliſſe uſu cognitum eſt. Igitur doloribus ex intervallo repetentibus, ſive inflammationum, aliorumve morborum, ſive per ſe vexantibus, id eſt, arthritide vaga, ejusque ſpeciebus: item, peſte, morbis fluentibus, & aliis id genus, ſuccurrere poſſe, è ſuperioribus manifeſtum eſt. Quæ omnia quoque experientia confirmantur. Adhæc ſciri debet, ubi prodeſſe deprehenduntur, ferè dolorem, odorem malum, & ruborem adeſſe, & caruncularn excreſcere. Unde hæc, niſi à cauſa morbifica è corpore per hasce vias ejecta? Quam, quo longius ſpatium acceſſit, eò etiam copioſiorem ferri comperimus. Hinc utplurimum ex curatione morbi cutanei humorem quendam exſudantis, purgatione adhibita nulla, pueris varia vitia naſcuntur; & adulti, cum ulcera crurum vetuſta ad ſanitatem inclinant, in febrem, vel in malum habitum decidunt. Proinde non juvant eo, quod pus in iis proveniens pernicioſum eſt; nec eo, quod multus humor lædens evadit, cum una dejectione liquida

plus humoris, quam anno per iſta itinera excernatur. Porro, non ſemper ejicitur iſta cauſa, ſed quando incidit, ut cum poris de tenuitate conveniat; & motum inteſtinum ſimilem habeat ei, quo gaudet jam è ſanguine ſecreta: quibus rationibus ſuccos ex eo glandularum beneficio ſecerni putamus.

## CAPUT. LVIII.

### *De angina.*

MEmbranarum, quibus fauces & larynx conteguntur, inflammationem Latini *anginam* vocant: apud Græcos nomen, prout ſpecies eſt. Etenim cum faucium membranam occupavit, συνάγχην; cum laryngis membranas interiores, κυνάγχην; cumque membranam ejus exteriorem, παρακυνάγχην appellant. Alii quatuor anginæ ſpecies ponunt, inflammationem membranarum pharyngis ab interiori parte ſynanchen; & ab exteriori παρασυνάγχην nominantes. Sed quia prius ab inflammatione membranæ faucium non differt; & inſequens certis indiciis cognoſci non poteſt, tribus plures ponendas eſſe non judico. *Sy-*

*nan-*

*nanchen* verò indicant faucium, uvulæ, amygdalarum, & ſi quæ aliæ partes vicinæ ſunt, rubedo & tumor. Hic autem vel minor, vel major eſt; & ubi laryngis rimulæ proximus conſiſtit, eamque anguſtat, ſpirandi difficultatem, & ſonum, dum æger ſpirat, excitat, imo nonnunquam brevi ſpiritum elidit. Quod ſi tumor adeo gravis eſt, ut fauces ſupra modum diſtendantur, cum colore ſubnigro, rimulam quoque coarctans, apud *Germanos* nomen *de braune* habet. Quam quidem ego gangrænam ex inflammatione natam exiſtimo. Cum hoc genus propius accedit ad uvulam, potionis decurſum impedit, efficitque ut in ìtinera bina, quæ ad nares pervia ſunt, ſubintret, naribusque reddatur. Etiam aliquid deglutientem dolor vexat, cujus quoque impetus ab omnibus non idem ſentitur. Tandem & febris adeſt, quam hoc vitium facere, non autem ex eo fieri concipio. At *kynanche* ſignificatur eo, quod ſpiritus difficilius trahitur, & ſpirare æger ſine ſono non poteſt. Quæ duo leniora eſſe videntur, ubi recta cervice, & linguâ exſertâ aliquis reſpirat. Præterea rubor tumorque faucibus deſunt, unde fit, ut ſine iis homo ſtrangulari, & quamdiu in vivis manet, aliquid devorare,

licet cum aliquo dolore, queat. Strangulare verò fauces intra diem unum, aut alterum, quicquid etiam adjuvandi cauſa adhibetur, ſolet. Hoc malum etiam utplurimum ex febre incidit, & quidem plerunque in viros, & eos, qui faucium inflammationi ſæpe opportuni ſunt. Atqui quo minus unquam fiat, an ſuccurrere hæmorrhoides poſſint, affirmare non auſim. Sed extrinſecus tumore orto, ſcire licet fauces liberari. Tandem *parakynanche* cognoſcitur, ſi pomum Adami, ut dicunt, tumens deprehenditur. Porro interdum evenit, ut ſingulis accedat *abſceſſus*, quo ſymptomata, quæ ſunt, non parum intendi conſueverunt. Adhæc ſcire licet, frequenter in ſynanche carnem putreſcere, quæ tunc præternaturaliter apparet. Hoc ſæpiſſimè in uvula amygdalisque incidere uſus oſtendit. Verùm ipſos laryngis pharingisque muſculos inflammari, quia inflammatio membranis propria eſt, & in muſculis nunquam pus concitatum reperitur, mihi non veriſimile videtur. Quanquam haud negare, ob ſanguinem craſſum intumeſcere poſſe, velim. Quod ſi angina ſubito finita eſt, febre ſuperveniente, in membranam pleuram vel pulmonem id malum nonnunquam tranſit.

Præ-

Prævisis his, quæ pertinent ad anginæ rationem: ad singularum ejus specierum curationes veniendum est. Et quia pro genere mali subveniendum est, ideo si *synanche* levis est, gargarismate, quod capite vigesimo primo proposui, antè calefacto gargarizare; & emplastrum Rustingii capite trigesimo quarto descriptum, vel ceratum de cumino, quod capite sexto habetur, liberaliter impositum habere, satis est. At gargarizare valenter adstringentibus, aut potenter calefacientibus medicamentis, nihil proficit, imo nocet. Si inflammatio his auxiliis non cedit, pro lapide prunellæ idem pondus, vel scrupulos duos spiritus salis armoniaci gargarismati adjicere expedit. Inter hæc æger calido conclavi, clausisque fenestris tenendus est, potio calida, cibusque lenis, ne exasperet, dandus. Imo, si res coget, in lectulo continendus, os obtegendum, fauces caligis laneis colore nigro tinctis circumdandæ; non autem iis harum partibus, quæ è pedum plantis multum sordium exceperint, velandæ. Porro si tumor magnus gravisque est, sed non tantus, ut deglutitionem impediat, nec febris infestat, remedium aliquod sal volatile habens, ut hoc,

℞ *ſal: volat: cornu cerv.* ℈ i.
*ſyrup: radic: quinq: aperient.* vel
*eryſimi* ℥j.
*aq: menth.*
*ſcabioſ.* aã. ℥ iß.
*theriac: ſimpl.* vel
*ſp: vini rectiſ.* ℥x.
*M. F. mixt.*

cum iis, quæ jam retuli, maximè ad eum poteſt. In ſalis volatilis cornu cervi vicem etiam ſpiritus ſalis armoniaci drachmam dimidiam ſubſtitui licet. Ejusmodi mixturam toto die cochleatim, & tepidè, ægrum non multis veſtimentis ſtrangulatum ſumere oportet. Bonum ejus ſignum eſt, ſi ſudor ſequitur. Sin minus, parvi refert, ſed tunc tali compoſitione, ſi res urget, octodecim, vel duodecim horis tota uti integrum erit. Cum intra diem unum aut alterum nihil è tumore minuitur, poſtero die hoc,

℞ *reſin: ſcammon.* ℈ ß.
*Quam ſolve in tantillo vitello ovi, add:*
*ſal: volat: corn: cerv.* gr. iv.
*ſyrup: card: bened.* ℥ij.
*aq: fœnicul.* ℥vi.
*cinamom.* ℥j.
*M. F. hauſt.*

quod

quod materiam lædentem ſolutam movendo alvum ſubtrahit, aſſumi opus eſt. Ubi per hoc nondum quicquam proficitur, recurrendum eſt ad ſupraſcriptam mixturam; &, ea quoties neceſſarium eſt, biduo triduove data, ad hunc hauſtum. In quibus permanendum eſt, donec fauces ad priſtinum habitum revertantur. Verùm ſi febris gravis eſt, mixturâ ad inflammationem internam capite quinquageſimo quinto traditâ, hoc remedio, quod purget, præterito, eget. Si mediocris eſt, huic mixturæ guttas duodecim ſpiritus ſalis armoniaci, vel grana octo ſalis volatilis cornu cervi addere licitum eſt, cum eo, ut ſyrupi drachmâ augeatur: ſubjecto quoque hoc hauſtu purgante. Ubi fit, ut febre manente, æger adeo debilitetur, ut ſputa, ſi quæ ſunt, non amplius excreare valeat, id quod interdum etiam ob ingentem ſub deglutitione dolorem non audet, è gargariſmate aliquid in fauces per clyſterem dare commodiſſimum eſt. Et quando tandem in bronchiis multa coeunt, cum ſono ſpirat, ſpiritus intercluditur, & mors ſequitur. Adhæc cum tumor obſtat, cur minus quicquam in ventriculum demittatur, iis, quæ præter medicamenta interna in ſuperioribus comprehen-

di, contentum esse oportet. Nonnulli pulvere quodam respergunt anginam synanchen: cujus rei causa experientissimus *Hildanus* duo follium genera excogitavit, quamvis * *cochleare*, cujus manubrium ad fistulæ similitudinem cavum sit, mihi non minoris usus esse videtur. Ille verò, ubi inflammatio tumida admodum gravis est, fauces velut incrustando spiritum adhuc difficiliorem reddit. Cum levis est, eum, modo lenis sit, ut est, in quo radix iridis Florentinæ, semen anisi, album græcum, similiaque sint, adhibere licet. At piper, sal commune, baccæ lauri, inimica sunt, nisi fauces supra modum tument. Quin extrinsecus cataplasmate, quale est *aromaticoviscidum cum camphora* capite duodecimo propositum, calido uti utile est, modo ei calor calore conclavis, multa veste, aliave ratione servetur. Sed linimenti usus adhuc supervacuus est. Et quia nidi hirundinum ex terra & stramine constant: siquidem extra eos excernunt, nihil per se valent. Præstat cataplasmati album græcum adjicere; quod tamen longè minus quam camphora solvit. Cæterùm ubi inflammatio continuatur, tumorque cum dolore increscit, pus movendi causa gargarismate, cujus su-

* *Tab.* 4. *Fig.* 12.

pra

pra mentionem habui, rejecto ſpiritu ſalis armoniaci, ut &, lapide prunellæ, uti; & extrinſecus ſuper fauces ceratum, vel cataplaſma de cœpis, quæ capite tertio & quarto poſui, injicere: adjecto, ſi quis volet, ex unguento de althæa cum gummis, oleo liliorum alborum, & verbaſci linimento, optimum eſt. Ubi pus maturum eſt, quod, quando os aperire aliquis poteſt, mollities & reſiſtentia, cum majori dolore; & ſi non poteſt, ſolus dolor & ſpatium teſtantur, id emitti debet. Quod vel ferramento in tumorem demiſſo, vel eo per ſe rupto fiat neceſſè eſt. Pure effuſo, ſymptomata, dum æger in gargariſmate ſubſiſtit, brevi finiuntur, & fauces ad priſtinum ſtatum revertuntur. Et quandoquidem in hujusmodi caſu nil quicquam devorare potis eſt, ad corpus nutriendum, alvo antè lotione ducta, ex inferiori parte infundere lac dulce', vel è pullis mollibusve jus aliquod, abunde eſt. Quod ſi caro putrida in faucibus eſt, gargarizare ex aqua, in qua hordeum decoctum ſit, additis ejus libræ mellis roſarum nuciis tribus neceſſarium eſt. Quo non tantum caro vitioſa ab integra reſolvitur, verùm etiam is locus repletur, & cicatrice obducitur. Ubi uvula corrupta eſt, nil

quicquam commodius eſt, quam vulſella apprehendere, ſub eaque, quod volumus, forfice excidere. Itaque inſtrumento nec *Bartholini*, nec *Hildani* ad uvulam præcidendam opus habemus. Porro maximè *kynanche*, niſi ſuccurritur, celeriter ſtrangulat. Quam ob rem hauſtum purgantem, cujus compoſitionem ſupra retuli, ſed granis duobus reſinæ ſcammonii auctum, protinus dare convenit. Etenim celerius malum diſcutere, quam remedium, quod ſudorem per alkali volatile moveat, facere poteſt. Si alvo aliquoties ſoluta, nec ſpiritus facilius trahitur, nec æger cum minori ſono ſpirat, poſtero die ad idem, ſed jam lenius factum, revertendum eſt: interpoſita ſuperiori mixtura ſudorifera. Sed præſtantiſſimum auxilium eſt gargariſma, quod *Schultetus* memoriæ prodidit: habet hæc,

℞ *ſem: ſinap: ſubtilit: trit.* ʒß.
*aceti vini acerrimi* ʒj.
*ſacchari albi* ʒij.
*aq: plantagin.* ʒiij.
*M. F. gargar.*

E quo, ubi magna ſpirandi difficultas eſt, gargarizare non tutum eſt, niſi antè multus ſpiritus attractus eſt: alioquin emiſſus vix re-

retrahi poterit. Sed tunc istius gargarismatis paululum delingere qualibet semihora praestat. Si mavolet aliquis sibi in fauces infundi, clyster amplus sit, & dum per eum adigitur, prius aerem abunde inspiret, oportet. Eoque remedio frigido uti alienum est. Interdum fauces leviter cum albedine exulcerat: cui rei deinde gargarisma ex decocto hordei, addito melle rosarum, opitulatur. Quin & dolorem, tussim, & raucedinem pectori facit, quibus, finito malo, syrupus liquiritiæ, alterve pectoralis, si subinde ex eo lingatur, respondet. At quia suprascriptum gargarisma passione hysterica laboranti inimicum est, aut clystere intus compelli sic, ut nihil devoretur; aut eo, quod capite vigesimo primo proposui, sex drachmis spiritus salis armoniaci in locum lapidis prunellæ surrogatis, uti opus est. Atqui ad rem pertinet scire, hujus generis etiam sæpe paulum deglutiendum esse, cum eo, ut interim nec haustus purgans sal volatile habeat, nec mixtura cum sale volatili detur. Cum hisce auxiliis *vesicatorium* magnum faucibus ab exteriori parte impositum etiam non parum in hoc vitio proficit. Sed emplastra & cataplasmata, quæ supra comprehendi: ut & linimenta valentissima debi-

biliora ſunt, quam ut præſidio eſſe poſſint, niſi *oleum caryophyllorum* illinere aliquis volet. Præter hæc æger in calore continendus eſt, & fauces lana nigra liberaliter circumdandæ. Si in lectulo recta cervice ſedere, quo facilius ſpiritum trahat, cogitur, multa veſtimenta corpori injicienda ſunt. Juxta talum ex crure ſanguinem mittere, *videtur* aliquid poſſe. Sanguinisque detractione laryngis rimulam aliquo modo liberari, medicus rationalis vix credet. At avertere materiæ aditum per ſanguinis miſſionem è brachio; vel ſub lingua, è cujus venis utplurimum non niſi tantillus ſanguis exit, ſanguinis circulationi repugnat. Imo licet venæ ſub lingua inciſæ multum ſanguinis effundant, tamen morbum ullo modo levari non comperies. Idem de ſanguinis miſſione è brachio intelligendum. Si cui venarum ſub lingua inciſio placet, ut inflentur, magisque ſe oſtendant, non cervix, ſed alæ deligandæ veniunt. Igitur in hoc tantum ſanguinem detrahi præcipere poteſt medicus, ut aliquid facere videatur. Idcirco & venas jugulares externas ſecare ſupervacuum eſt, quarum vulnuſculum pulvillo manu ſuper compreſſo, ut raninarum arido linamento impoſito, ſanguinem funde-

re

re desinit. Si febris, eaque gravis est, ab hausto purgante, & mixtura, in qua sal volatile sit, abstinendum est: sed mixtura ad febrem capite quinquagesimo quinto composita utendum. Ubi quid abscedit, faciendum est, sicut supra in abscessu præcepi, at per se rumpi patiendum. Quod à rimula abfuisse necessarium est: cæteroquin mortem evadere æger non potuit. Quod si, cum in graviori synanche, tum maximè in kynanche, difficultas spirandi & sonus singulis momentis increscant, nec ullum appareat aliud auxilium, periturusque sit, qui laborat, nisi temeraria quoque via fuerit adjutus, in hoc statu boni medici est ostendere, quam nulla spes sine operatione, quam λαρυγοτομίαν (rectius, βρογχοτομίαν) Græci vocant, sit, faterique quantus in hac ipsa re metus sit, & tum demum, si exigatur, manum admovere. Satius est enim anceps auxilium experiri quam nullum. Imo cum hoc vitium plus periculi ostendat, quam bronchotomia; hæc interdum feliciter cesserit; & asperam arteriam vulneratam ad sanitatem perveniisse usus docuerit, non video cur illa uti non liceat. Quanquam ubi æger graviter febricitat, tussique affligitur pituitosa, ab hoc opere vacare præstat.

Cum

Cum igitur nihil prohibens eſt, curatio, quæ in conclavi calido adhibenda eſt, hoc modo ordinatur. Homo in ſedili, loco lucido, & ſi nox eſt, admotis candelis accenſis, collocandus eſt, pulvinari uno dorſo; & altero occipiti ſubjecto, in quod caput recumbat. Tum miniſter à tergo ſtans caput ſublime & immobile tenet; & chirurgus à dextro latere, miniſterque alter à ſiniſtro cutim contra aſperam arteriam inter laryngem, & juguli ſcrobiculum attrahunt. Deinde chirurgus cutim elevatam ſecundum longitudinem novacula ad fundum uſque diſſecat ſic, ut plaga ſatis longa ſit. Hoc facto, caput, quantum fieri poteſt, in poſteriorem partem reclinatur, quo fiſtula pulmonalis melius in conſpectum veniat, ejusque annuli cartilaginoſi plus à ſe invicem ſecedant. Sic caput pulvinari incumbens, ut ſupra poſui, tenetur. Jam verò ſanguis obſtat, cur minus linea, qua bini muſculi ſternohyoidei committuntur, appareat. Neque hos utpote tenaciter junctos ſejungere exigua ſpathula poteſt. Proinde hoc ſcalpello fieri debet, magna cum moderatione, ne cartilagines lædantur. Quando laboranti putat obeſo cutis craſſa eſt, diducere per duos * *rutu-*

*ſos*

* *aTb.* 4. *Fig.* 13.

*ſos hamos dentatos* oras plagæ oportet: quod cum gracilis eſt, non requiritur. Atqui ſpatium, ſanguine licet deterſo, inter duos annulos, quos tertium & quartum eſſe neceſſarium non eſt, tactu non viſu, ſentire licet. Quod igitur phlebotomo, ad latitudinem fiſtulæ argenteæ, dividitur. Et ne altius, quam debet, ſubintret, emplaſtro, mucrone libero, circumdari opus eſt. Ex foramine protinus erumpit ſpiritus. Tum * *fiſtula argentea* plana, quam incurvam eſſe paululum oportet, lævemque admodum, in illud demittitur: id quod cum aliqua vi, at ſine dolore, contingit. Sed magna cura habenda eſt, ne ob longitudinem ſuam aſperam arteriam à parte poſteriori afficiat, tuſſimque excitet. Neque etiam nimis plena, neque nimis tenuis eſſe debet: qualis futura eſt, ubi, naribus clauſis, per eam ore exceptam, aliquis aerem accipere & reddere poteſt. At noſſe convenit, illam duabus alis à ſuperiori parte, & totidem ab inferiori præditam eſſe debere; & præterea ab utroque latere una, cujus foramen funiculum habeat adnexum. Utriusque capite cum altero circa cervicem ligato, fiſtula bene continetur, ne ſub tuſſi, capitisve motu ela-

* *Tab.* 4. *Fig.* 14. 15.

elabatur. Et ne alæ oras plagæ offendant, linteum ſextuplex emplaſtro aliquo illitum ſuo foramine fiſtulam antè excipere oportet. Jam æger multò liberius ſpirat, quam aſperâ arteriâ non inciſâ: ſed facilius ſpiritum emittit, quam trahit. Cumque ſputa ſunt, primo cruenta, deinde ſincera per fiſtulam argenteam tuſſiendo edit. Eaque ſi non ſunt, inter initia paulum ſanguinis per eandem excreat, & poſthæc tuſſis nulla eſt. Sanguis verò, qui ſub operatione fluit, modicus eſt, & facilè linamento vulneri impoſito, ac manu ſuper compreſſo quieſcit. Ubi aliquid è ſputis fiſtulæ argenteæ agglutinatur, eamque ne claudat metus eſt, aſſula tenui reſolvendum eſt. Etiam cura adhibenda eſt, ut in eo conclavi, quo curatur æger, ignis continuus ſit, maximèque tempore antelucano, quo præcipuè frigus intenditur: niſi ſi æſtus ſolis cœlum ſatis calidum efficiat. Item, ut vapores aquæ ferventis, igne ſubjecto, jugiter per conclave diſpergantur. Etenim periculum, quantum ego experientia & ratione motus concipere potui, è cœli frigore & ſiccitate maxima ex parte pendet. Neque pectus linctu utendo delenire alienum eſt. At ſi non requies eſt, ſed modò ſel-

lam,

lam, in qua inſideat, cupit; modò in lectum ſe referat, præcipuèque, cum anguſtia magnopere premit, ad ultima ventum eſſe teſtatur. Si anguſtia naſcitur è ſputis, quæ non excreantur, potio pectoralis, cujus compoſitionem capite vigeſimo primo poſui, additis ſpiritus ſalis armoniaci ſcrupulis quatuor, conducit: cujus aliquid calefactum ſubinde per tenuem fiſtulam bibere neceſſarium eſt. Ubi nil quicquam deglutire valet, iſtius ſpiritus paululum linctui pectorali inſtillare, eoque uti expedit. Si ſputa deſunt, quæ anguſtiam creent, mixtura poſterior cardiaca capite vigeſimo primo comprehenſa utiliſſima eſt. Inter hæc fiſtula argentea ſemper in vulnere manere debet, quod pauculis horis poſt bronchotomiam factam, omni dolore vacat. Et magna diligentia opus eſt, ut per ſuprapoſita auxilia kynanche diſſolvatur, gargariſmate cum ſpiritu ſalis armoniaci, quod ſupra contra ſynanchen retuli, adhibito. Quamvis hoc quidem præterire licet eo, quod potio pectoralis, addito ſpiritu ſalis armoniaci, ejus vicem ſupplere poteſt. Ferèque tertio vel quarto die, fiſtula

argentea ſuperdatâ manu clauſa, homo ex facili per nares ſpirat. Quod vitium ſolutum eſſe indicat. Idcirco fiſtulâ remotâ, ſutura cuti injecta oræ conjunguntur ſic, ut infra exiguum foramen relinquatur. In hoc implicitum linamentum vel potius fiſtula plumbea, quæ balſamo Arcæi, cujus compoſitio capite trigeſimo ſexto propoſita eſt, illita ſit, demittitur, quia metus ſubeſt, ne, ſi celerius ſic, quam intus plaga, glutinatur, ibi collecta materia in aſperam arteriam deſcendat. Præterea linamentum eodem balſamo inlitum imponitur, pulvillus ſuperdatur, caput pronum admota faſcia tenetur, & vulnus, ſicut alia vulnera, curatur.

## CAPUT LIX.

### *De cutis inflammatione.*

INflammatio, quam Græci φλεγμονὴν nominant, ſæpe occupat cutim. Plerunque cum tumore eſt, qui nonnunquam ſuppurat, cujus rei notæ major intumeſcentia, doloris impetus, & reſiſtentia eſſe deprehen-

henduntur. Interdum in gangrænam, & hæc in ſphacelum tranſit. Inflammationi verò optimè ſuccurrit *cataplaſma viſcidum*, ex avenæ farina in aqua, vel cum hiems eſt, in lacte dulci, continuè movendo, ne aduratur, cocta, donec ei juſta craſſitudo fiat, præparatum. Id quod calidè, liberaliter, & non interjecto linteo ſuperimpoſitum id agit, ut dolor levetur, calor minuatur, pars affecta & extenuetur, & rugoſa fiat. Tam procul abeſt, ut obſtructioni aliquid addat, unde inflammatio adaugeatur. Præterea cataplaſmatis formula ad hoc vitium plus quam quævis alia poteſt. Si quis ſuprapoſitæ farinæ leniter diſcutientia, id eſt, flores camomillæ & meliloti minutim conciſos addere volet, præſertim ubi tumor adeſt, nihil eſt quod adverſer. At valentiora, ut ſunt, herbæ aromaticæ, camphora, cum paulo farinæ fænugræci aut lini ex aquæ communi, ut cataplaſma fiat, decocta, dolorem caloremque incitant, & colorem ſubnigrum reddunt, adeoque inflammationem in γάγγραιναν convertunt. Quod ad *acida* verò pertinet, ut ſunt, iſtæ herbæ ex aceto coctæ; & ad *adſtringentia*, utputa lac virginis, vel decoctum, quod adverſus eryſipelata, & quascunque inflammationes

propoſuit Zwelferus *in appendice ad pharmacopœiam regiam*, non laude digna ſunt. Quanquam inflammatio, ubi levis eſt, & ſine tumore, per ea ad ſanitatem pervenire poteſt: nam rubedo, calor, & dolor decreſcunt, ac finiuntur. At ſi gravis eſt, facilè in gangrænam, & hæc in vitium, quod σφάκελος Græcè appellatur, tranſit, maximè per hæc medicamenta, quæ adſtringendi facultatem habent. Quam ob rem hisce *camphoram* adjici melius eſſe certum eſt. Neque tunc adhuc in magna inflammatione uſque adeo tuta ſunt. Ne referam per omnia acida & adſtringentia tumorem, qui inflammationem comitatur, indureſcere, difficiliusque ſanitatem admittere. Si ſub cataplaſmate avenaceo tumor ad ſuppurationem venit, aperiatur, & ſicut alii abſceſſus curetur oportet. Ubi febris cum inflammatione eſt, mixtura antifebrili capite quinquageſimo quinto tradita uti convenit. Quod ſi inflammatio in gangrænam degenerat, *cataplaſmati ſupradicto vehementius reſolventia*, cujus generis ſunt herbæ rutha, abrotanum, abſinthium, ſimiliaque adjici commodiſſimum eſt: quæ inſuper, ſi æger ſit humilis, ſtercore humano; ſin opulentus, camphora ſpiritu vini diluta augere neceſſarium eſt.

Si-

Siquidem partem affectam albidam & rugosam efficiunt, doloremque cum ardore minorem. *Cataplasma aromaticoviscidum cum camphora* capite duodecimo comprehensum eosdem quoque sortiri effectus, usus abundè ostendit. Quorum utrumlibet ter die mutari expedit. Vel pannum quadruplicem *spiritu vini camphorato* madentem latè imponi, & vesicam superdari, satis est, quia & reponi commodè potest, & quia, cum inaruit, iterum madefaciendus est. Si verò incidit, ut gangræna in sphacelum mutetur, intra alterutrum cataplasma, quippe quæ formula in hoc casu fomento præstat, consistendum est, donec à viva mortuam partem resolvi appareat. Tunc enim super utriusque fines unguento basilico, cui par portio balsami Arcæi capite trigesimo sexto compositi admixta sit; vel ubi fœdus odor est, unguento de melle, capite quarto descripto, calidè & liberaliter uti oportet, suprapositio cataplasmate etiamnum, donec intumescentia soluta sit, superinjecto. Per quæ puris multò amplius concitatur, quam per aloen, myrrham, aliosque pulveres purgantes. Quæ proinde minus efficaciter quam pinguia mortuam à viva carne diducere comperimus. Sed mercurius præcipitatus

ruber unguento digeſtivo ad id ipſum mixtus non rejiciendus eſt. Et ad putrem carnem, quæ intentione quadam proximum quoque locum malè habet, continendam, ne ultra ſerpat, quidam illius fines ex *butyro antimonii* illinunt. Atqui citra auxilium, imo cum noxa, quia malum augere animadvertitur. Porro ſi carnis vitioſæ magna moles eſt, quo plus reſolvitur à ſana, hoc plus doloris moveri uſu cognoſcimus. Ejus autem, quod jam à vivo diductum eſt, oræ vel vulſella, vel hamo prehendendæ, tum, quicquid corruptum eſt, forfice excidendum ſic, ut dolore excitato nullo, ex integro nihil dematur. Quin potius ex ægra parte aliquid relinquitur, quam ex ſana exciditur. Si, quicquid mortuum eſt, altè deſcendit, ſcalpello id crebrò incidere prodeſt. Non autem uſque in ſanum corpus concidere, quod ob id ipſum facilius corrumpitur: ſicut fruſtum carnis animalis minutim conciſum citius, quam ſi non diviſum ſit, putreſcit. Accedit ad hæc, quod integra caro citra dolorem incidi nequit; & periculum eſt, ne vaſa ſanguinea, tendines, & nervi lædantur. Præterea ſpiritui vini camphorato, addita theriaca, caro corrupta elui poteſt. At ſpiritum vini, addito

dito unguento Ægyptiaco, non æquè utilem esse, experientia constat: præterquam cum magna putredo, odorque pessimus est. In qua re vel unguento Ægyptiaco per se, vel cui tertia aut quarta pars balsami Arcæi addita sit, uti magis convenit. Verùm supradictæ lotiones supervacuæ sunt, cum caro corrupta, & ea concisa vulsella prehenditur, & forfice exciditur sic, ut ejus tenuis duntaxat lamella relinquatur, super quam tunc unum è suprapositis unguentis imponendum est. Quamvis rarò tam altè penetrat, ut hanc curationem adhibere necessarium sit. Ubi latè sub cute procedit, id quod cognoscitur, si pars tactu mollis sentitur, & specillum undique demissum admittitur, * cultello globoso cum specillo sulcato, vel forfice, cujus alter mucro itidem globosus sit, incidi una vel pluribus lineis opus est. Carne vitiosa ab integra diducta, ulcus eodem unguento repurgandum est, & deinde, si caro deest, implendum, & cicatrice obducendum. Si malum inter ungues alasque aut inguina celeriter serpendo, penetrandoque usque ad ossa corpus vorat, medicamentis, quorum supra mentionem habui, victis, membrum præcidi oportet,



* *Tab.* 1. *Fig.* 2. 3.

tet, nisi corpus pessimi habitus est, vires-que desunt. Tunc enim id cum summo periculo fiat necesse est. Verùm hic quoque nihil interest, an satis tutum præsidium sit, quod unicum est.

## CAPUT LX.

### *De morbillis & variolis.*

QUando inflammatio instar macularum rubrarum totius corporis cutim afficit, *morbilli* appellantur. Qui morbus epidemicus est, id est, multos eodem tempore corripiens. Ideo causam in aere residere credibile est: non tamen sine materia quadam è gravida muliere in partum translata. Hinc plerunque in infantes incidit, quamvis adulti quoque ab eo non tuti sunt: nam illud vitium in qualibet ætate est. Non verò omnes promiscuè corripit; sed frequentius æstate quam hieme. Primum autem febris nascitur: post oriuntur pustulæ rubræ, quæ ferè tertio die in maculas rubras vertuntur. Verùm si, his non venientibus, pustulæ majores fiunt, & ex lympha purulenta tument, *variolas* nominant. Atquè ita manifestum est:

eſt harum eandem, quæ morbillorum, eſſe cauſam, ſed aliquantò pejorem. Et quia utrumque de febre, & puſtulis rubris exiguis incipit, ideo inter initia unum ab altero non dignoſci poteſt. Sed cum utrumlibet ex iis graſſatur, hunc eſſe morbum jure exiſtimare licet. Porro mala, quæ *præcedunt*, *comitantur*, & *ſequuntur*, variolarum quam morbillorum graviora ſunt: quod in cauſa eſt, cur illæ plus quam hi timendæ veniant, maximèque in ætate, quæ quadrageſimum annum exceſſit. Quæ verò *præcedunt*, ſunt febris, nonnunquam ſomnolentia, etiam interdum delirium, imo nervorum diſtentiones. Ea, quæ *comitantur*, ſunt, cum febre, utplurimum tuſſis; & alvi fluxus, qui, ubi perquam modicus eſt, ex febre cæterisque malis minuit, ideoque ſalus ægro facilis eſt. At ſi immodicus ſit ſic, ut variolæ foveolam nanciſcantur, homo manifeſtè conſumatur, & febris cæteraque non decreſcant, vix ſalvus futurus eſt. Eſt etiam in rerum natura, ut morbillorum, præcipuèque variolarum materia non, ut debet, expellatur, ſed in aliquam partem incumbat. Ob hoc ipſum contingunt mala, quæ *ſequentia* vocamus, ut ſunt, abſceſſus, caries, cancer oris vel potius a-

quaticus, tuſſis, aſtma, & ſi quæ plura ejusmodi ſunt. In hisce quoque numeranda eſt variola quæ in pupilla eveniat; rarò album oculi invadat; ferè in ulcuſculum degenerans. Id ubi putridum eſt, per tunicam corneam interdum penetrat, & efficit, ut humor aquoſus ex oculo exeat, oculusque ex toto ſubſidat. In hoc caſu oculo vitreo, naturali, qui ſubſidit, non effoſſo, locus eſt: quæ operatio ſupervacua, & perquam dolorifica eſt. Tandem ubi variolæ, vel in ſummo foveolam habent, vel aridæ exiguæque apparent, terribiles ſunt. Cumque inſuper colore purpureæ aut ſubnigræ ſunt, adhuc magis terreri debent, præſertim ubi ſimul arteriæ celeriter moventur, vel febris vehemens eſt. Deinde quia inprimis febri curatio adhibenda eſt, & impetus materiæ, quæ febrim excitat, ad cutim evocandus, mixturæ antifebrili, cujus compoſitionem capite vigeſimo primo poſui, croci grana quinque, & mithridatii ſcrupulum adjicere, eoque, ut ibi præceptum eſt, uti convenit. Atque infantibus dulcia, quæ alvum movere ſolita ſunt, ſubtrahere. Inter hæc danda opera eſt, quantum fieri poteſt, ut æger calido conclavi teneatur, do-

donec ex toto convaleſcat. Quod etiam præcipuè in hoc proficit, ut cicatrices præveniamus. Ideo plerunque in facie; & rarò in iis partibus, quæ veſtimentis contectæ fuerint, conſpiciuntur. Neque tamen hominem immodico ſudore digeri oportet: ſudor namque modicus, vel nullus, non ingens effuſus prodeſt. Et manus panno laneo aut veſte pellicea velare non alienum eſt. Faciemque è carnis vitulinæ juſculo illinere, & folia auri vel argenti ſuperdare commodiſſimum eſt: ex eo enim evenire poteſt, ut cicatrices non oriantur. In quem uſum etiam variolas ex lympha purulenta tumentes incidere huncque humorem emittere expedit. At ſi, ſive arte emittatur, ſive per ſe erumpat, cruſtulis materiam præbet, eas cuti hoc linimento,

℞ *ol: amygd: dulc.* ℥j.
*ligni Rhodi* gutt, ij.
*ſpermat: cœti* ʒ1 ß.
*M. F. ung.*

illinendo, reſolvi opus eſt. Etenim iis manentibus, humor, qui ſubeſt, ſi acris eſt, cicatrices cavas aut craſſas inducere poteſt. Eædem quoque fieri poſſunt ex eo, quod pruritu motus aliquis unguibus cutim lacerat. Cujus igitur manus, ſi infans eſt, ad pectus de-

deligentur oportet. Verùm ſi nihil aliud quam variolas ſcalpendo aperiat, periculum ne fiant, erit nullum. Quando nares cruſtulis repletæ ſunt ſic, ut tranſitu ſpirituii denegato, lactentes fugere nequeant, oleo amygdalarum dulcium inungi, & à naribus diduci debent. Si qua, ſumma pellicula læſa, cutis multum humoris limpidi exſudat, ex unguento epulotico capite trigeſimo tertio poſito linteolis inducitur, idque ſic bis die imponitur. Ubi inflatio palpebris tumorem fecit, qui obſtat, cur minus aperiri queant, pars omenti agnini ex aqua fœniculi calida expreſſa, ſuperdanda eſt. Id enim & tumorem diſcutit, & palpebrarum cohærentiam impedit. Et ne lachrymæ ſub iis manentes acrimonia ſua oculos offendant, quotidie bis palpebræ diducendæ ſunt. Quam rem ſi non tam tumor, quam quod palpebris pituita purulenta inhæreſcit, prohibet, cilia manè veſperèque perungenda ſunt unguento, cujus compoſitionem capite quinquageſimo comprehendi. Cum fauces inflammationem habent, gargariſma, quod capite vigeſimo primo ad earum eryſipelas compoſui, utile eſt. Si variola pupillam occupavit, pollen è *ſaccharo canto albo* & *tutia præparata* paribus

por-

portionibus mixtis, & in pelvi ſtannea ſtanneo cochleari contritis uſque eo, donec eis color plumbi fiat, in oculum ter die conjiciendum eſt. Ubi ex illa ulcus ſequitur, ea medicinæ ratione opus eſt, quam capite quadrageſimo quarto propoſui. Si tuſſis vexat, ad ſanitatem perducenda eſt, ſicut in febre cum tuſſi capite vigeſimo primo mihi dictum eſt. Si alvus fluit, ſanitas reddenda eſt, ut eodem capite in febre cum alvi fluxu videre eſt: inprimis hujus rei cauſa ſyrupus papaveris albi mixturæ addendus, per quem, alvo quietâ, variolæ ferè denuò intumeſcunt. Sed vulgò infantibus ſudorem eliciendi cauſa bis die *croci* à granis tribus ad ſex dari conſuevit, & quidem ex vino Hiſpanico, vel rubro auſtero. Quod laudamus, ſi illud in tuſſi, & hoc in alvi curſu adhibetur. At neutrum ex his valet, ubi quis febre graviter laborat: etenim prius ſanginem nimis agitat, & inſequens motum ejus nimis retardat. Maculis, quas variolæ reliquerunt, opitulatur *aqua venuſtatis*, quæ habeat aquæ florum fabarum libram dimidiam, qua ſalis communis puriſſimi drachmæ ſex dilutæ ſint. Ex hac autem vel cutis frequenter madefacienda eſt, vel lin-

linteolum madens ei imponendum. Et cicatrices butyro toties aqua roſarum, donec ſale ex toto privetur, eluto illinendæ. Quod etiam optimè ulcuſcula à variolis cuti illata ſanat, ſed linteolo inductum, & ſicter die adhibitum: unguentum ſiquidem deſiccans cicatrices efficit fœdas. Morbi verò, qui variolas ſequuntur, tractandi ſunt, ſicut alibi, ubi eos perſequimur, vel præceptum eſt, vel præcipietur.

## CAPUT LXI.

### *De eryſipelate.*

EX iisdem cauſis, è quibus inflammatio, de qua capite quinquageſimo quinto explicui, naſcitur tumoris genus, quod ἐρυσίπελας Græci nominant: hoc tamen interpoſito diſcrimine, quod plus aromatum, & rerum ſalſarum ſumptum eſt. Rarò ſubſequitur febrim inſenſibilem, utplurimum verò gravem, quæ cum magna præcordiorum anguſtia eſt. Errant igitur, qui ex eryſipelate ſequi febrem putant. Modò per ſe fit, modò diviſioni cuidam, ut abſceſſui aperto, vulneri, & ulceri accedit. Plerunque

runque in faciem incidit, oculis ob palpebrarum intumeſcentiam clauſis. Interdum etiam artus, vel fauces, aliasve partes invadit. Ejus verò notæ ſunt rubedo, quæ digito preſſa veſtigium album accipit protinus rurſus decedens; & intumeſcentia ferè magna, lata, & vel pungens, vel pruriens; rarò cum magno dolore ac calore conjuncta; ſapè locum mutans. Ubi bullæ vel veſiculæ oriuntur, lympham purulentam continentes, *eryſipelas bulloſum* nuncupatur, cui facies maximè obnoxia eſſe deprehenditur. Cum tumor ingens eſt, vertitur vel in abſceſſum; vel, quod melius eſt, in œdema: interdum etiam in gangrænam & ſphacelum. Quo plus in exteriorem partem prorumpit, eò plus ex febre mintitur. Sed hac ex toto finita, quod vel urina pura manente fieri poteſt, eryſipelas increſcere deſinit. Aſt ſi febris per omne id tempus, quo eryſipelas tenuatur, hæret, imo intenditur, ferè ægrum in præcipiti eſſe denunciat. Inter inflammationem autem & eryſipelas intereſt, quod hoc minus rubet, & qua premitur momento temporis albeſcit; quod plus tumet; quod ferè locum mutat; quod nonnunquam aliqua parte ſuppurat; vel in œdema

ma tranſit: quæ omnia in inflammatione contraria his ſunt. Adhæc longè frequentius quam inflammatio evenire conſuevit. Interius ea victus ratio, eaque medicamenta ſanabunt, quæ capite vigeſimo primo in febre cum eryſipelate poſui. At hic morbus inimica habet omnia calefacientia & acria ſudorifera: ut & remedia, quæ alvum ſolvunt, quippe cum delirii periculum afferant. Hæc nihilominus proſunt, ubi in crure ulcus habente frequenter contingit, modo lenia dentur, & æger ſine febre ſit. Si tamen continua vigilia & delirio aliquis premitur, granum laudani opiati mixturæ miſcere, illudque dare licitum eſt, dum in lectulo non multa veſte opertus continetur. Si inter hæc ſudor oritur, ſecuritatem pollicetur. Cæterùm è medicamentis, quæ extrinſecus imponi opus eſt, modicè extenuantia optima ſunt. Cujus generis eſt farina tritici, quâ calidâ tumor reſpergi, & linteum ſuperdari debet. Vel aqua ſambuci, in qua paulum ſaponis Veneti liquatum ſit. Ex hac expreſſo penicillo fovere corpus oportet. Vel cataplaſma avenaceum; vel emplaſtrum de ſpermate ranarum. Pinguia verò medicamenta, ut unguentum populeon,

pulcon, oleum roſarum & ſimilia, inimica ſunt, utpote quæ ruborem intendunt, calorem, doloremque movent, ſicque gangrænam accerſunt. Etiam ſuperdare reprimentia non licet, quia eadem eryſipelati gravi facere, & gangrænam facilè in ſphacelum convertere, imo efficere, ut aliquid abſcedat, poſſunt. Sed ubi modicum eſt, vel magnum in ipſa facie, ſed diu tenuit, febre nulla exiſtente, ab unguento nutrito, vel lacte virginis minus periculi timendum eſt. Si quid nihilominus ſuppurat, ea parte, quam afficit, dolorem, reſiſtentiam, mollitiem & rubedinem concitat. Et tunc cataplaſmate avenaceo utendum eſt, ut per ſe rumpatur; vel pus ſcalpelli opera emittendum. Ubi gangræna vel ſphacelus contingit, curari debet, ſicut in inflammatione capite quinquageſimo nono præceptum eſt. Quando fit, ut oculi ex palpebrarum intumeſcentia claudantur, bis die lachrymas educendi cauſa aperiendi ſunt. Si eryſipelas redire ſolet, alternis diebus pilularum è ſapone Veneto exciſarum drachmam dimidiam deglutire, & ſemel vel bis in ſeptimana rheo ad alvum movendam uti convenit.

# CAPUT. LXII.

## *De partium coaleſcentia.*

QUandoquidem è frigore, exque nimio viſcidorum, dulcium, acidorum, ſalſorum, & aromatum uſu viſcidum acre naſci; & è ſanguine aliove ſucco nimis viſcido acri partes exulcerari, & ſaneſcendo in unum jungi poſſunt, in illo uſu *cauſam remotam*, & in hoc viſcido acri *proximam* partium coäleſcentiæ collocare non dubito. Hanc autem quia vapores ex parte exulcerata in exulceratam contiguam transvolant, fieri exiſtimo. Ergo non ob ſanguinem ſuccumque nervoſum ultro citroque, ut in jungendis plagæ oris cruentis evenit, transcurrentes; nec ob tubulos intermedios factos, contingere mihi videtur. Eſt autem hoc vitium vel *palpebrarum*; cui ſolet etiam illud accedere, ut palpebræ cum albo oculi cohæreſcant; ἀγκυλοβλέφαρον Græci nominant: vel *labiorum*: vel *itineris urinæ*, præcipuèque in extremo infantium cole: vel *cervicis genitalis*: vel denique *colli veſicæ*. Ex his verò id, quod in extremo parvulorum pene eſt, ubi inveteravit, efficit, ut

non

non modò cum dolore urina reddatur; verum etiam dum redditur, membrum ſupradictum eam non liberè transmittendo intumeſcat. Et ex iis poſtremum, quod in adultos utplurimum cadit, cognoſcitur, ſi ex cole guttula puris, non ſemper, ſed interdum exire conſpicitur; & poſtea vel paulatim minus urinæ editur; vel confeſtim ea ſupprimitur. Conjunctum eſt cum magno dolore eorum, quæ ſub pube ſunt, & ingenti hypogaſtrii tumore: quibus tunc febris cum ſiti accedere conſuevit. Vitium quodvis ſuprapoſitum, ἀγκύλωσιν Græci vocant, hanc curationem exigit, 1, *ut partes inter ſe cohærentes diducantur*, ſecundum eam lineam, qua conjunctæ ſint: & quidem *coaleſcentia palpebrarum*, ubi recens eſt, ſpecillo adverſo inſerto; vel cum vetuſta eſt, forfice exigua, cujus alter mucro globoſus ſit; vel cultello globoſo, qui dorſum retuſum habeat. Ubi albo ipſius oculi palpebra inhæſit, author ſum, adverſo ſcalpello ſubſecare, magna cum moderatione, ut neque ex oculo, neque ex palpebra quicquam abſcindatur, ac, ſi neceſſè eſt, ex palpebra potius, quotidieque bis vel ter ea vertatur, non ſolum ut ulceri unguentum de tutia, cujus capite quadrageſimo mentionem

feci, inducatur; ſed etiam, ne inhæreat. Ad *coaleſcentiam labiorum* diducendam, eadem facienda ſunt, quæ jam in palpebris cohærentibus præcepi. In *cohærentia partium fiſtulæ urinæ* & *cervicis vulvæ* opera ferramenti, quod enſis ſimilitudinem habeat, neceſſaria eſt. Id verò retuſum, ubi malum recens eſt; at cum inveteravit, acutum ſit oportet. Atqui forfice exigua opus eſt ad id, quod in extremo infantium cole coaluit, diſſecandum. Sed *partes colli veſicæ cohærentes* catheteris uſum faciunt neceſſarium: ſiquidem hic morbus nunquam vetuſtus reperitur, quum dolor vehemens ex urinæ ſuppreſſione natus ægrum brevi medicinam quærere cogat. 2, Ut *partes diductæ ad cicatricem perducantur*, quod fit medicamentis ad id aptis, id eſt, albedine, quæ protinus initio plagæ recenti innaſci conſuevit, per unguentum digeſtivum reſolutá, unguento de tutia, vel emplaſtro diapompholygos, quo exigua penicilla illita inter palpebras & labia interponantur. Vel unguento epulotico capite trigeſimo tertio tradito, quod linamentis involutis & oblongis, vel fiſtulis plumbeis inducitur, & ſic in fiſtulam urinæ vel genitalis cervicem demittitur. Vel aqua calcis edulcorata clyſtere auricu-

lario

lario per colem in veſicam compulſa, dum qvotidie trochiſcorum alkekengi drachmæ duæ ex potione conveniente ſumuntur. Si unguentum epuloticum non ſatis efficax eſt ad cicatricem fiſtulæ urinæ inducendam, confugiendum eſt ad cinerem tabaci, qui in linamentum implicitum vel fiſtulam plumbeam aqua calcis madentem ab exteriori parte injicitur, ſicque intus datur: quod, quoties urina reddita eſt, fieri debet. Ubi verò mingendi neceſſitas eſt, vel ſemihoram antè ob doloris metum pedibus terram ferire deprehenduntur infantes. E quo proinde, quouſque curatio proceſſerit, judicare licet. 3, *Ut ſupradictæ partes, dum cicatrice obducuntur, disjunctæ maneant:* id quod adhibita ſuo loco ſervando evenit. In quem finem id, quod palpebris & labiis admotum eſt, deſiderat linteum quadruplex, & vinculum lineum. Id quod in iter urinæ demiſſum eſt, emplaſtrum tenax. Id quod in genitalis cervicem datum eſt, linteum multiplex naturalibus impoſitum, & vinculum ei rei accommodatum. At veſicæ collum requirit, ut quoties urina ſuppreſſa veſicam intolerabili dolore premit, quod ferè triginta ſex horis contingit, ca-

theter denuo adhibeatur: quo, urina emiſſa, dolor protinus remittit. Item, ut ſupradictæ aquæ aliquid clyſtere ter die intus agatur. Ubi catheteriſmum ter aliquis paſſus eſt, utplurimum urina liberum exitum invenit. Quod ſi idem malum ſæpe revertitur, catheterem flexibilem emplaſtro epulotico circumdatum, & eum demiſſum habere debet, donec, cicatrice inducta, metus coaleſcentiæ deſiverit.

## CAPUT LXIII.

### *De carne in genere; & de ea, quæ juxta dentes in gingivis & palato oritur.*

CApite proximo poſuimus partes, ubi ab exteriori parte exulceratæ ſe ſe jugiter contingunt, in unum jungi. Sed jam, cum exteriora unius tantum partis exulcerata ſunt, *carnem* increſcere ſubjiciemus. Id quod ex iisdem cauſis; neque tamen, niſi ſanguine plus ſatis fermenteſcente, ut capite quadrageſimo ſecundo retuli, fieri puto. Etenim caro, quæ in ulcere excreſcit, non

ab

ab ea diſtat, quam è parte, cujus exteriora exulcaratio occupavit, enaſci cernimus. Nec etiam utramque diverſo modo concreſcere concipio. Porro alia caro firmior eſt: alia mollior, & ubi leviter duntaxat tangitur, ſanguinem fundit; imo cum nigredine paulatim putreſcit. Ad hoc genus quoque caro, quæ *fungus* vocari conſuevit, pertinet. Hic verò nonnunquam in ulcere & vulnere, naſci; & quidem celeriter, adinſtar fungi vegetabilis, à cujus natura nomen eſt, deprehenditur. Et quia hoc vegetabile loco calido & humido provenit, occaſionem veram hujus vitii cauſam eruendi præbet. At plerunque è ſarcomate fungoſo, de quo capite ſeptuageſimo dicam, ſequitur. Etiam in gingivarum cavo, quod dens evulſus reliquit; in articulo vulnerato; in femoris ulcere; in oſſe ad medullam uſque exeſo; aliisque partibus divulſis excreſcere uſus oſtendit. Præterea caro alia eſt albida, alia ſubrubra, alia ſubnigra vel livida, alia cum nigredine putrida. Adhæc alia ſenſu caret; alia tactum & medicamentum acre ſentit; alia admodum ſenſibilis, imo dolorifica eſt, cum tangitur, ut ea, quæ è dura matre enaſcitur; alia per ſe, non

contacta dolet, ſicut ea, cui color lividus eſt. Harum verò ultima maligna vel καρκινώδης eſt, nam quia glandulæ nil aliud ſunt quam arteriolarum extremarum faſciculi, nihil obſtat cur minus caro cancri naturam habens naſcatur. Tandem alia *in naribus*, alia *in angulo iis propiori*, alia *in umbilico infantium*, alia *in fiſtula urinæ*, alia *in fine ureterum*, qua in veſicam patent, alia *in collo veſicæ*, alia *in ſtomachi orificio*, alia denique *in gingivis & in palato* exoritur. Ex his duo poſteriora hoc loco, fungum in caput ſuprapoſitum reſervaturus, comprehendam. Tuberculum carnoſum, quod juxta dentes in gingivis, utplurimum maxillæ ſuperioris, oritur, ἐπυλίδα Græci appellant. At ſi ipſa gingiva in ejusmodi tuberculum protuberat, ut ferè uſu venit, potius ſarcomatis ſpecies eſſe mihi videtur. Sed rarò incidit, ut hoc vitium carni ſimile intrinſecus aliquid ab ovulis piſcium non abludens, ſpatioque inſtar oſſis induratum contineat. Quod ergo inter tumores tunicatos referri debere, ſed ut epulidem curari, certum eſt. Cæterùm, ut contra quamlibet carnem ſupercreſcentem majus in manu,

quam

quam in medicamentis præſidium eſt, ita hic tumor commodius totus exciditur, ſic ut ex utraque parte dens vel dentes liberentur. Ejus autem hæc ratio eſt. Miniſter unus hominis in ſella inſidentis caput immobile, loco lucido, tenet; & alter labium ab epulide abductum. Tum chirurgus phlebotomo, quod ad manubrium, ne vacillet, ſtupa deligatum ſit, ad radicem tuberculum, ubi magnum eſt, trajecto filo attractum excidit. Itaque cultello *Hildani* ei rei accommodato opus non eſt, niſi malum ſub mala conditur. Sanguinem, qui mediocriter rapidè fluit, ſupprimendi cauſa ſpecillum lana involutum in liquorem ſtypticum, quem capite decimo retuli, vel in oleum vitrioli demittendum eſt, & ſuper vulnus cum preſſione tenendum. Niſi quis vitriolum Cypri contritum largiter in linamentum conjicere, id ſupra imponere, ac digitis ſuper comprimere mavolet. Medicamenta leniora non ſatis ſanguinem prohibent, præterquam cum compreſſio à manu petita accedit. At cum magna carnis moles exſciſſa eſt, ſanguisque impetuoſius funditur, linamenta cum eodem medicamento alia ſuper alia injicere;

vinculum extrinſecus, quod ea vehementer adſtringat, ſuperdare; & ut æger dentibus maxillæ oppoſitæ hæc inſuper omnia compellat præcipere, expedit. Ubi bene ſanguis conquievit, plaga melle, cui liberaliter pollen aluminis uſti adjectum ſit, ſubinde illinenda eſt: id enim non modò obſtat, cur minus vitium revertatur, quod ferè evenit, licet ſatis altè è gingiva abſciſſum ſit; verum etiam unà cicatricem inducit. Quod ſi dens corruptus ſubeſſe deprehenditur, is protinus poſt ablatam carnem, ſanguine prius ſuppreſſo, evellendus eſt. Imo vel antè evellatur, ſi exſciſſioni obſtat, neceſſè eſt. Ubi tuberculum intus aliquid duri habet, quod, ſi acum filum ducentem non transmittit, cognoſcitur, collo, quantumvis lato, quo tum ferè gaudet, circumdari linum debet, terque die arctius adſtringi, donec nigreſcat: quod quatriduo fieri conſuevit, idque cum dolore tolerabili. Jamque non expectari, donec per ſe decidat; ſed forfice exſcindi: nam ſanguis propemodum nullus ſequitur. Tum proſpiciendum eſt, ne iterum reſurgat. Id quod conſequimur, cum radiculæ ter die oleo vitrioli per penicillum illitæ linamentum

tum aridum ſuperimponitur; & interpoſito tempore ex aqua aluminoſa, addito melle roſarum, os ſubinde eluitur. Et quando adhuc, non obſtante hoc auxilio, periculum eſt ne renaſcatur, quamprimum hoc fieri animadvertitur, ſanguis emendetur, atque purgetur, ſicuti capite vigeſimo præceptum eſt, oportet. Epulide propoſita, ad eam carnem, quæ in palato naſcitur, & παρελὶς à Græcis vocatur, veniendum eſt. Hæc verò, niſi ſuccurritur, latè procedit, & fauces replet ſic, ut poſtremò vix quicquam aliquis devorare queat. Cujus rei cauſa corpus emacreſcit, & non ſuſtinens ſpatium affecturorum malorum extinguitur. Igitur inter initia aliquoties die oleo vitrioli penicillo illinenda eſt: quod id agere, ut ex toto conſumatur, poteſt. Neque intereſt, ſi hujus remedii aliquid cum ſaliva deſcendat. Ultimò mel roſarum, addito alumine uſto, ad ſanitatem perducit. Quod ſi hac ratione non excidit, excidenda eſt forfice oblonga, & ad declivem palati figuram concinnata, quo ad radices tollat. Et ſi quid nihilominus

nus relinquitur, id oleum vitrioli, ut jam posui, edat necesse est. Sub hac operatione caput in posteriorem partem reclinatum, contra lucem, quæ fauces illuminet, tenetur; & os speculo injecto hians servatur. Sanguisque gargarizando è liquore styptico, cujus supra mentionem habui, supprimitur: aut in oleum vitrioli bacillus latus lana involutus demittitur, & super vulnus comprimitur. Cujusmodi plures habere, & si opus est, per vices admovere convenit. Si sanguis non quiescit, valentior medicina est locum ferro candente adurere, junctis partibus diligenter antè contectis glutine, in quo ichthyocolla, spiritus vini, & alumen crudum bene tritum sint, inducto. (Quin aluminis crudi drachmam semis, addito laudani opiati grano, horas duas antè, quam ferrum adhibetur, excereviſia dediſſe expedit.) Post quæ sanitas, utin superioribus comprehendi, restituenda est.

C A-

# CAPUT LXIV.

## *De polypo.*

CAruncula verò, quæ narium, & foraminis, quo ſpiritus à naribus ad fauces deſcendit, oſſibus inhæret, græcè πολύπους appellatur. Quamvis tum demum hoc nomine dignum eſt, cum multis radicibus velut pedibus innititur. At μονόπους, ubi tanquam unum pedem habet, quod plerunque incidit, rectè vocatur. Ferè ad labra tendens narem implet, & eam dilatat; rarò è nare ſuper labrum ſuperius propendet; rariſſimè retrò per ſuprapoſitum foramen adeo increſcit, ut poſt uvulam conſpici poſſit, ſtranguletque hominem. Adhæc per nares, quod ajunt, æger loquitur, id eſt, ſermonem non clarè explicat; caro ſpiritum impedit; & nares, ubi exulcerata eſt, purulentæ cernuntur. Huic illud quoque, ſed rarò, accidit, ut unà putris, & peſſimi odoris ſit, capite vehementer dolente. Ac ubi ad ſanitatem perducta eſt, olfaciendi facultas amiſſa. Ad nares, in quibus polypus eſt, ſanandas, loco lu-

lucido, * *roſtro anſerino*, quam altè fieri poteſt, arreptus vertendo extrahendus eſt. Sed quia ſic una vice totus protrahi nequit, aliquo ex penicillo vel ſtupa tenuioris materiæ, nares, quo & ſanguis ſupprimatur, & eæ plus dilatentur, implendæ ſunt. Ubi, momento temporis interpoſito, ſanguis quievit, eodem ferramento iterum prehenditur, & quantum fieri poteſt, extrahitur: id quod cum dolore perquam modico contingere uſus docet. Hæc autem operatio repetitur uſque eo, donec aut nihil ſit, quod arripiatur; aut ægro tædium obrepat. Naribus jam linamento vel ſtupa repletis, poſt duodecim horas denuo roſtrum anſerinum, ſed magis exiguum, quo reliquiæ educantur, adhiberi debet. Inter hæc, quo melius in conſpectum dentur, radii vel ſolis naribus excipiendi ſunt; vel candelæ ex adverſa parte ingentis vitri urinarii aquæ limpidæ pleni habitæ, in easdem deducendi. Polypum ferramento acuto in modum ſpathæ facto reſolvere ab oſſe, ob dolorem homo non patitur; neque id quoque in narium foraminibus, quæ ad fauces perveniunt, ſpatium ſinit. Et quoniam adhuc aliquid carnis, maximè in hisce itineribus, re-

* *Tab. 5. Fig. 17.*

relinqui neceſſarium eſt, id poſtea modicè reprimi oportet. Quod ut conſequamur, radice calami aromatici *unguento Ægyptiaco, cui paulò minus unguenti baſilici* mixtum ſit, illita, eo videlicet modo, quo capite trigeſimo ſeptimo propoſuimus, utendum eſt. Hæc compoſitio quoque polypo putri, qui peſſimi odoris eſt, præcipuè prodeſt. Præterea dum curatur, quod bis die fit, ſupradicta itinera deterguntur ſpongiola ad bacillum extremum deligata. Tum in ea *acetum lithargyri, in quo paulum aluminis crudi liquatum* ſit, conjicitur: quod bacillo quoque ſpongiola inſtructo fit, attrahiturque ſpiritu id acetum, donec in ore guſtus ejus ſentiatur. At ne radix demiſſa elabatur (etenim in fauces vix pervenire poteſt:) adnexa filo ſtupæ convolutæ, quæ in narem indenda ſit, alligato prohibetur. Quod ſi parum ſic profectum eſt propter morbi vetuſtatem, *liquori unguenti Ægyptiaci quartam partem capitis mortui vitrioli* contriti adjicere, eoque liberaliter radicem illinere oportet. Idem quoque ſervandum eſt, ubi ſanitate ſupraſcriptis auxiliis reddita, malum revertitur: quippe cum valentius quam ſuperiora carnem increſcentem, coerceat, non tamen hoc loco cruſtam inducat. Porro, quoties

nares

nares aperiuntur, mucus purulentus ſternutamentis admotis elidendus eſt. Quæ in hoc quoque proficiunt, ut ſi quid polypi ex iſtis itineribus in conſpectum veniat, id protinus, antequam ſe retrahit, roſtro anſerino arreptum protrahatur. Cum jam malum ex toto ſublatum eſſe conjectura proſequimur, exulceratio, quæ relicta eſt, ad cicatricem perducenda. Quæ ut inducatur foraminibus ad fauces perviis per medicamenta conſequi non poſſumus. Siquidem ſpiritum, quem & reddunt, & accipiunt, id ſolum præſtare, experientia docet. Quanquam fumus, qui maſtiche & thure contritis, & ſuper prunas impoſitis, attrahitur, etiam eò conferat. At ipſæ nares lapide calaminari bene trito, cui tantum olei roſarum adjicitur, ut fiat linimenti craſſitudo, ſaneſcunt. Quod ſi, polypo putrido, caput vehementer dolet, res cogit veſperi ex opio aliquid, quod ſomno dolorem levet, ſumere. Tandem ut exedentia, quæ σηπτικὰ Græci vocant, arida in calamum ſcriptorium conjiciantur, isque nari aptetur, inſpireturque, ut ea medicamenta intus compellantur, author non ſum. Septica liquida, id eſt, ſpiritus vitrioli, & nitri, quæ lenius exedunt, debiliora ſunt, quam

ut

ut hoc vitium vincant. Validioraque, ut sunt butyrum antimonii, & mercurius sublimatus periculum afferunt, ingentemque dolorem vel ipsis dentibus & capiti movent. Erodentia alkalina, ut lapis corrosivus, cujus compositionem capite quinquagesimo septimo posuimus, planè rejicienda putamus. Idem intellige de ferro candente. Ac remediis, quæ ita discutiunt, ut etiam adstringant, cujus generis sunt sabina, ochra, saccharum Saturni, gallæ, inter semixta, morbus quoque minimè cedit. Neque ignorare licet, medicamenta, quæ supra comprehendi, quo acriora sunt, eo plura excitare sternutamenta.

## CAPUT LXV.

### *De encanthide.*

IN angulo naribus propiori caruncula è tunica oculi conjunctiva, & membranula, qua glandula lachrymalis contegitur, enascitur, quam ἐγκανθίδα Græci vocant. Eam verò cum tenella & mollis est, continere, reprimere, sanare siccum linamentum, pulvillus, & vinculum attractum possunt. Si non possunt, ex *cerato auriaco* capite quadragesimo secundo comprehenso linamen-

tum antè illinere oportet. Ubi majuſcula & dura eſt, curatio per manum adhibenda eſt: etenim medicamento adurente conſumere periculoſum eſt, quia oculum ea res offendit. Igitur vulſella tuberculum apprehenſum attrahendum eſt, & juxta radices excidendum, diligenter temperata manu, ne quid ex glandula, aut ex albo oculi abſcindatur. Nam ſi illud fit, aſſiduus lachrymæ curſus ſequitur; & ſi hoc, oculi vulnuſculum. Deindeque ex collyrio contra recentem ophthalmiam capite quinquageſimo ſexto propoſito, camphora omiſſa, exiguum linamentum exprimendum; vel id tutia præparata, adjecto tantillo vitriolo albo ſic, ut nihil omnino rodat, reſpergendum, horumque alterutrum in eum angulum, diductis palpebris, inſerendum, ſupraque eodem modo, cum pulvillo, bis terve die deligandum, donec ad cicatricem plaga pervenerit. Si id nihil prodeſt, ad ceratum auriacum recurrendum eſt, eoque, ſicut paulò antè præcepi, utendum.

# CAPUT LXVI.

## *De caruncula in umbilico infantium nata.*

LIcet locus umbilici, poſtquam funis infantium recens natorum, vinculo injecto, excidit, rectè curetur, tamen *caruncula ibi nonnunquam increſcere*, uſu compertum eſt. Ea interdum adeo parva deprehenditur, ut in foveola umbilicali deliteſcat, nec niſi cute ab utraque parte manibus diducta conſpici poſſit. Exſudare verò humorem conſuevit, qui efficit, ut cum difficultate ad ſanitatem perducatur. Nihilominus ſi tenella & mollis eſt, cum inſpergitur cinere tabaci, cum ſuperdatur linamentum in aqua calcis tinctum, cum panniculus ſuperinjicitur, hæcque omnia vinculo mediocriter attracto continentur, ſanitatem admittit. Verùm ubi majuſcula & firma eſt, filum, quo adſtricta emoriatur, poſtulat. Videlicet parvulus alicujus gremio excipitur ſic, ut genu lumbis ſubjecto, venter medius emineat. Deinde cutim, quæ circa umbilicum eſt, utrinque aliquis deprimit, quo ſic caruncula in conſpectum curantis veniat. Qui tum

lino ad imam basin immisso sic devincit, ut quicquid super vinculum est, emoriatur, linamento arido, & emplastro tenaci superimpositis. Postero die nigra, & multùm tenuata cernitur. Itaque tunc unguento basilico à viva carne resolvitur, quod die uno aut altero evenit; super ulcusculum relictum cinis tabaci conjicitur, & linamentum siccum cum emplastro tenaci superdatur. At sub deligatione, quæ bis die fit, foveola aqua calcis eluatur necessè est. Qua ratione brevi ad cicatricem perveniet.

## CAPUT LXVII.

### *De carne in fistula urinæ, in fine ureterum, in collo vesicæ, & in stomachi orificio orta.*

*Carunculam in itinere* urinæ, ejusque curationem, in gonorrhœa capite vigesimo quarto proposuimus. Igitur protinus veniendum est ad *carnem, quæ in ureteribus*, qua in vesicam subintrant, excrescit. Cognoscitur autem, si minus urinæ, quam naturaliter oportet, redditur; sique dolor cum tensione conjunctus in lumbis, & ventris

tris lateribus, ad medium hypogaſtrium perveniens, ſentitur. Cum caro ita increſcit, ut vel ipſam veſicam magna ex parte repleat, frequenter cum magno dolore urina modica, non purulenta fertur; nec catheter demiſſus calculum, ſed anguſtiam, paulo ſanguinis ſequente, invenit. Non ulli remedio locus eſt. Si quis tamen moliri ſanitatem volet, medicamenta, quæ contra ulcus hyperſarcum capite quadrageſimo ſecundo præcepi, dare; & *acetum lithargyri aqua plantaginis dilutum* ſic, ut ejus vim facilè homo ſuſtineat, clyſtere auriculario intus ſubinde compellere poterit. At fruſtra ſanitatem quæri experimento cognitum eſt. *Caro in collo veſicæ excreta* easdem, quas ejus partium coaleſcentia, de qua capite ſexageſimo ſecundo explicui, notas habet. Præterquam quod in hoc caſu, ubi vir eſt, digito in anum demiſſo, juxta durities ſentitur. Ratio curandi quoque eadem eſt, modo carnis moles non prohibeat, ne catheter in veſicam veniat. Atqui ſcire licet, ubi is flexibilis intus habendus eſt, cerato auriaco, cujus compoſitionem capite quadrageſimo ſecundo poſui, circumdari oportere. *Caro in ſtoma-*

*chi orificio nata* his indiciis cognoſcitur, ubi cibus ante hunc locum ſubſiſtit ſic, ut tantillum cum ſono deſcendere æger ſentiat, & reliquum paulò poſt, citra dolorem, nauſeam, vomitum, atque anguſtiam ore reddat. Ob hoc ipſum corpus paulatim magis magisque extenuatur. Adhæc dolor circa partem affectam eſt, qui cum urget, ad pectoris latera tendit. Contra hoc malum iisdem medicamentis, quæ capite quadrageſimo ſecundo ulceri hyperſarco proficere dixi, quibus linctum adſtringentem adjici licet, pugnandum eſt. At infelici marte pugnatur, quia æger hoc longo morbo confectus moritur.

## CAPUT LXVIII.

### *De corporis carne in nimiam magnitudinem excedente.*

IN ſuperioribus carnem è parte aliqua ab exteriori parte exulcerata exoriri vidimus. Quod ſi incidit, ut ipſa corporis caro ex iisdem cauſis ab interiori parte quaſi exulceretur, ibi *in nimiam molem excreſcere* poſſe manifeſtum eſt. Quæ quidem res ſalicis ramo in terram demiſſo, & ramulos novos ſurſum

ſum producente; vel nova fibrarum & ſaculorum ſerie inter arboris corticem & lignum quotannis nata, illucidari poteſt: & confirmari ex eo, quod diſcutientia nihil juvare, imo nocere uſus oſtendit. Præcipuæ verò hujus vitii ſpecies ſunt *crura mulierum ſarcina*, & *ſarcoma*, ſive quolibet corporis membro ortum; ſive *glandem colis, orisve labium* invadens. Diſtant autem à carnibus, quas ſupra comprehendi, eo quod in interioribus partibus naſcuntur; & integumentis communibus contecta ſunt. Primum de *cruribus ſarcinis* referam, cujusmodi ſunt, ubi ob carnem in nimiam magnitudinem excedentem ſupra modum tument, & ſolas mulieres, quæ uterum gerunt, vexant. Siquidem cum infans ita in ventre recumbit, ut vena iliaca prematur, ſanguis redire neſcius hoc tumoris genus excitat. Hæc autem preſſio eſt *cauſa, ſine qua* hoc malum *non* eveniat: nam & alteram eſſe apparere ex eo poteſt, quod, partu editò, crura in priſtinum habitum non revertuntur; hic morbus frequentior eſſet; ſi mulier non amplius comprehendit, haud incrementum caperet; ſanitasque alicui redderetur. Præterea inter ungues & inguina hæ partes eminentes tument; cutis aliquid

lanuginoſi nigredine infectum gignit; ex eaque interdum multus humor, cujus impetus non facilè cohibetur, vel ſine, vel cum dolore fertur. Id ſi cum dolore fiat, cuti erodendo ulcera creare poteſt: quæ etiam ubi cutis nihil humoris exſudat, ſed dura & inæqualis eſt, doletque, fieri poſſunt. Cæterùm *curatio* vel omnibus vitiis ſuprapoſitis *communis* eſt, vel ſingulis *propria*. *Illa* verò exigit, ut æger cauſam partium coaleſcentiæ, de qua capite ſexageſimo ſecundo dixi, remotam fugiat; ut à pinguibus abſtineat; ut cibis, qui non multum alunt, iisque exiguis utatur; quin ut abſtinentiâ, eâque nonnunquam unius diei pugnet, niſi imbecillior ſit, quem fame perdere non licet. At acidum volatile, quod eſt in vino Rhenano, Gallico tenuioris materiæ, & aceto vini, modicè ſumere non alienum eſt. Ut & remedia, quæ ad ſcorbutum proficere capite vigeſimo propoſui. Sed omnia alkalia tam fixa pura, quam volatilia, maximèque ſalia volatilia oleoſa; nec non ea, quæ ſudorem eliciunt, ſi acida in peſte capite undecimo poſita excipias, aliena ſunt. Extrinſecus medicamenta, quæ vehementius adſtringunt, vel per ſe, vel additis lenius attenuantibus impoſita pro-

prosunt. Verùm discutientia per se admota id agunt, ut caro in majorem molem excedat. Quod ad curationem verò *propriam* pertinet: *crura carnosa* quamprimum sic curari debent, ut emplastrum efficacius ex oleo olivarum, lithargyro, & aceto capite quadragesimo compositum, cujus uncia mercurii sublimati quamoptimè triti grana quatuor habeat, imponatur; & fascia sic deligetur, ut non tam contineat, quam valenter adstringat. Quo pacto nonnunquam inter initia sanescunt: nam deinde medicina omnis inanis est. Id cum usu venit, multumque humoris exit, linimentum, in quo lapis calaminaris bene contritus & oleum olivarum sunt, inungendum est; & linteum multiplex mundum cum fascia satis attracta superinjiciendum. Ubi sensus doloris unà molestus est, opium ex oleo liquatum huic medicamento adjiciendum venit. Si accedunt ulcera, cum in iis caro putrida est, unguento Ægyptiaco pari portione basilici mixto purgari & impleri oportet; & deinde aqua phagadænica, quæ capite vigesimo quarto habetur, aut unguento griseo, cujus compositio capite trigesimo septimo proposita est, ad cicatricem perduci. Et ne

ea, ubi jam inducta est, iterum rumpatur, ulceraque renoventur, pannis lineis ex aqua phagadænica expressis, & iis ter die injectis, fasciaque adstrictis, succurrendum est.

## CAPUT LXIX.

### *De sarcomate.*

EST autem mali genus, quod σάρκωμα Græci nominant, vel *carnis firmioris*, vel *mollioris*. Prius hoc capite, & insequens sequente persequemur. Illud igitur nihil aliud est, quam tumor carnosus durior. Is paulatim sine dolore increscit. Ubi instar natis ingens est, *natta* vocatur. Raro usu venit, ut *in parte glandulosa oriatur*, rubens, & interdum livens, cujus summum sit monticulis inæquale, cum dolore per intervalla repetente, eodemque pungente, maximèque ubi cœlum æstuat, unde cancri naturam habere certum est. Quin ut simul à parte interiore latereque subsit *abscessus* indolis frigidæ, non omni dolore vacans, cute colorem rubrum, nonnunquam quoque lividum habente. Illud autem genus in ma-

majorem altitudinem, quam latitudinem, ſi unà pus ſit, excedit, donec id per foramen ſive per ſe, quod corruptione intermedia fit; ſive ſcalpello factum feratur. Ubi maximum eſt, è monticulis multum humoris exit; imo venulæ ruptæ ſanguinem fundunt: quo loco exulceratur cum carne corrupta & ſubnigra, quæ in medio altius deſcendit. Curationis cauſa primò emplaſtrum adſtringens, quod capite proximo poſui, explorandum eſt, ſuperque linteum multiplex faſcia valenter attracta deligandum. Deligare ſuper tumorem, emplaſtro iſto præterito, plumbum argento vivo obductum, quod ſic reprimere, ut reſolvat judicatur, mihi minus prodeſſe videtur. Aſt medicamenta, quæ ſuppurationem excitent, inimica ſunt, quippe cum non modò ad eam perducere nequeant, verum etiam multum tumori adjiciant. Ubi, ſive ſub illis præſidiis, ſive iis neglectis, admodum auctus eſt, vel *lino*, vel *remedio erodente*, vel *ferro* utendum eſt. *Lino* quidem, cujus craſſities magnitudini tumoris accommodata ſit oportet, locus eſt, ubi baſis tenuior eſt, aut effici poteſt. Poteſt cum, qua baſis eſt, acus duæ inter ſe transverſæ ad ſimilitudinem literæ x immittuntur, infra-

fraque eam lino id capitulum alligatur: ſic namque baſin tenuari manifeſtum eſt. Itaque baſi tenuiori vel tenuata, ubi capitulum *exiguum* eſt, adſtringendum eſt uno lino. Si id *majus* eſt, curatio hæc eſt, ad ipſas radices per medium tranſſuere acu duo lina ducente; deinde alterius lini duo capita ex ſuperiore parte, alterius ex inferiore adſtringere inter ſe. Atque ſic utrobique, quod ſupra vinculum eſt, paulatim livet & moritur. Atqui illud ſciri oportet, quod adſtringendum eſt lino vel linis, non ſupra, ſi fieri poteſt, quam ubi cum cute committitur. Item, quod non ſemel adſtringendum eſt, ſed quotidie, nodo reſoluto, vehementius id faciendum, donec, quod ſupra linum eſt, emoriatur: quod ferè plus minus octo diebus evenire conſuevit. Adjiciturque celeritati, ſicut tormento quoque, ſi linum aliquo medicamento ex iis, quæ exedunt, illinitur. Proinde id cera perungere ſatis eſt. Inter hæc ſuper partes circa tumorem emplaſtrum defenſivum habendum eſt, quod inflammationem tumidam, quæ dolore excitatur, prohibere aliquo modo poteſt. Ubi jam mortuus eſt, unguento baſilico, præcipuè ſi exiguus ſit, ab integro diducendus. Sin ingens ſcal-

pello

ſcalpello præcidendus. Cum ſanguis funditur, quod raro uſu venit, locus linamentis liquore ſtyptico, quem capite decimo propoſui, madentibus implendus, ſupraque imponendi pulvilli, ac manu ſuper comprimendi. Exulceratio autem, quæ relicta, quam baſis tuberis fuit, major eſt, unguento Ægyptiaco & baſilico paribus portionibus inter ſe mixtis purgari debet, & ulterius, ſicut ulcus hyperſarcum, de quo capite quadrageſimo ſecundo retuli, ad ſanitatem perduci. Interdum fit, ut, dum in eo ſumus, ut ulcus purgetur, caro ſubrubra vel viſcida in eo excreſcat: quam protinus mercurio ſublimato vel per ſe; vel ſi modica eſt, addita præcipitati rubri pari portione, in cruſtam converti, eamque unguento baſilico à viva carne reſolvi opus eſt. Idque toties repetendum eſt, donec caro excreſcere deſinat. Præterea quoque nonnunquam incidit, ut viſcidum, quando ulcus jam ad cicatricem tendit, obſtet, cur minus medicamentis eo aptiſſimis ſaneſcat. In hoc caſu ea curatio, quam in ulcere viſcido capite trigeſimo quarto præcepi, adhibenda eſt. Sanitate reddita, ne malum revertatur, aliquamdiu emplaſtrum adſtringens, & linteum multiplex ſuper id valen-

ter

ter deligatum ſuccurrit. Si illud nihilominus renaſci conſpicitur, protinus confugiendum eſt ad lapidem corroſivum, cujus præparandi, & adhibendi modus capite quinquageſimo ſeptimo comprehenſus eſt. Porro ad tuber carnoſum *medicamento exedente* curandum hic lapis quoque efficaciſſimus eſt. Sed vallum, quod eum excipiat, adeo altum ſit neceſſè eſt, ut ſupra tumorem emineat: alioquin nec ſatis lapidis continere, nec faſcia ſatis adſtringi poteſt. Quin hoc remedium quotidie bis injici debet, idque liberaliter, quo cruſta altius deſcendat. Quam tunc ſcalpello abſcindi oportet, ſic ut integra caro haud lædatur; non unguento baſilico ab ea diduci. Deinde ad idem remedium erodens recurrendum, & ut prius faciendum uſque eo, donec tuber ex toto conſumptum ſit. Atque tum demum illud unguentum imponendum eſt, donec cruſta cadat. Qua ejecta, ulcus unguento Ægyptiaco, adjecto baſilico purgandum, & ſicut hyperſarcum curandum. Illud etiam ad rem pertinet ſcire, *mercurium ſublimatum* vel *arſenicum* per ſe, cute ſumma cantharidibus antè dempta, admotum plus doloris movere, & inflammationem ac tumorem in eas partes,

quæ

quæ conjunctæ ſunt, evocare, quin ipſum ſarcoma, niſi conſumeret, augere. Et ſulphure, ut in magnete arſenicali capite decimo ſeptimo videre eſt; aliisve rebus mixtum & lenius factum ad hoc malum nihil poſſe. Si quis tamen alterutro ex illis per ſe uti volet, id prius aliquoties ſpiritu vini rectificato eluere conveniet. Supradictæ verò curationes, *lini* ſcilicet, & *remedii erodentis*, dolorificæ, longæque ſunt, & non niſi ægro morem gerendi cauſa adhiberi debent. At majus in *ferro* præſidium eſt: etenim quamvis hujus curatio meticuloſis metum incutit, tamen minus tormenti affert, & brevior eſt. Adde quod magno malo ſæpe non ſine ferro mederi licet. Hæc autem curatio ſic corpori adhibetur. Chirurgus * *forcipe oblonga* tumorem ad ipſas radices excipit & comprimit, quo baſis lata tenuior fiat. Deinde duo manubria apprehendit, & adducit, dum miniſter filum firmum, quod in foramen conjectum ſit, arreptum idem facit. Ubi ſic tuber à corpore, quantum fieri poteſt, quo totum tollatur, abducitur, infra ferramentum cultro acuto exciditur. Neque relinquendum quicquam ex eo capitulo, ſed potius

* *Tab. 5. Fig. 16.*

tius aliquid ex integro demendum eſt. Si tamen aliquam radiculam reliquit, ideoque renaſcitur, faciendum eſt, ut ſupra mihi dictum eſt. Iſtud autem ferramentum commodius, ſecurius, & minus dolorificum eſt, quam *acus ingens*, qua tumor bis tranſſui filum ducente; vel quam *furca*, qua idem ad imam radicem perforari, conſuevit. Hoc genere exciſo, ſi arteria ſanguinem impetuoſè effundit, ſtupa convoluta, quæ liquore ſtyptico capite decimo tradito impleta ſit, ei injicienda, plures ſimiles adjiciendæ, aliquot panni linei multiplices ſuperimponendi, ac manu ſuper comprimendi, dum hæc omnia faſcia longa ſic, ut ſæpius circumeat, valenter adſtringuntur. Inter hæc, ſi artus ſit, is vinculo à parte ſuperiore per bacillum rotatum ſatis adſtringendus. At ſi impetus ſanguinis ruentis non vehemens eſt, vinculum id neceſſarium non eſt, & ſtupam convolutam non curioſè ſuper arteriam injicere, ſed eam in latitudinem compoſitam toti plagæ imponere, & cætera, ſicut jam poſui, facere ſatis eſt. *U*bi ſanguis ſic parum conquieſcit, ſed etiamnum faſciam pervadit, eam ibi farina tritici reſpergere, & pannum multiplicem ſuper deligare oportet. Quod tot locis, quod

quot ſanguinem transmittunt, fieri neceſſarium eſt, donec nihil amplius exire conſpicitur. Atque majoris ſecuritatis cauſa jugiter miniſtrum præſtò eſſe expedit, qui manu ea, quæ admota ſunt, comprimat uſque, dum homo à ſanguinis fluxu tutiſſimus ſit. Quin, ubi æſtas eſt, qui ſpongiam ex aceto expreſſam antè ſuperimponat, eamque ſimul comprimat. Verùm ſi tumor è nate, quæ faſciæ non admodum idonea eſt, abſciſſus ſit, ſupinus in hanc partem ſuper pulvinar craſſum & durum cubet neceſſè eſt, ſecus vix eſt, quod ſanguinis curſum ſupprimas. Etenim manui comprimenti ob loci convexam figuram fidere non licet, quia facilè per imprudentiam admota dilabuntur. Hac autem ratione ſi quis agat, non ferro candente opus eſt. Quod utique fruſtulo vitrioli Cypri in arteriam immittendo longè præſtare concipio: magis, quia ſanguis impedit, cur minus, qua aperta ſit, aliquis inveniat. Neque minus ipſum bene tritum, ſi largiter in ſtupam conjicitur, ſicque ſuper arteriam, ut de liquore ſtyptico præceptum eſt, deligatur, ſanguinem prohibiturum credo. Et pulverem reſtringentem, ſi quis eo uti

volet, non rejicio, quoniam tota res eo redit, ut vaſorum ſanguineorum, præcipuèque arteriarum orificia, è quibus ſanguis profunditur, ſatis comprimantur. Cæterùm, operatione facta, frigore, & quiete; parteque deligata ſublimi & frigida opus eſt. Biduo ſic vulnere habito, tertio die id aperiendum, detergendaque ſanies ex aqua tepida eſt, injiciendumque unguentum baſilicum, quod cruſtam tenuem à ſano reſolvat. Deinde idem, addito Ægyptiaco, quod ulcus purget. Et tum ceratum auriacum capite quadrageſimo ſecundo comprehenſum, quod ad cicatricem perducat: quo linteum multiplex & faſcia attracta quoque confert. Quod ſi evenit, ut ulceris caro ſubrubra vel viſcida nimium ſupercreſcat; aut viſcidum in eo naſcatur; aut vitium, ſanitate data, renaſci appareat, eadem curatio, quæ ſupra iisdem ſupervenientibus, neceſſaria eſt. Sarcoma verò, quod quaſi χαρκίνωμα habet, iisdem rationibus, quibus id, cujus curationem ſupra propoſui, tollitur. Vel, ſi impoſitis tantum lenibus medicamentis, quæ quaſi blandiantur, exulceratum eſt cum carne corrupta, hanc ceratum auriacum vel per ſe tardius, vel cum æquali portione unguen-

ti Ægyptiaci miſtum celerius, reſolvit. At quicquid carnis eminentis eſt, id mercurio præcipitato rubro, cui dimidio plus aluminis uſti adjectum ſit, conſumere oportet. Quod longè melius cedit, quamprimum pus ex abſceſſu, ſi ſit, aperto ferri cœpit. Verùm ſcire convenit, quod hoc medicamento bis, duodecim horis interpoſitis, admoto, ſuprapoſitum unguentum miſtum toties imponi debet, donec cruſta a reliqua carne ſpathula ſine dolore & ſanguine diduci queat. Et quod fieri poteſt, ut ab eodem medicamento vix ullus dolor excitetur, modò cura habeatur, ne cutem, quæ juxta eſt, ſummamque pelliculam amiſit, contingat. Tandemque quod ulcus cerato, cujus paulò antè mentionem habui, aliove adhibito, ſanitatem non recipit, ſed manet uſque mortis diem, vel ipſam mortem lentam febrem excitando adfert.

# CAPUT LXX.

## De *ſarcomate fungoſo.*

TUmor carnoſus mollior *ſarcoma fungoſum* appellari meretur. Quod incipiens, ubi altè reſidet, non niſi duritiem tangenti offert; ſed exteriorem ſedem habens minus durum tactu ſentitur. Deinde in exteriora protuberat, molle eſt, & reſiſtit prementi, perinde ac ſi pus maturum haberet. Idque vitium ſubteractis quaſi quibusdam radicibus, in latus & deorſum ſerpit, interdum celerius, interdum tardius: ſupra quoque procedens tandem liveſcit; imo nonnunquam tuberculis exiguis diſtinguitur. Inter initia dolore vacat; quando protuberat, leviter dolet; & poſtremò dolor perquam tolerabilis eſt, qui, cum aut per ſe rumpitur; aut, quia pus ſubeſſe aliquis judicat, ſcalpello inciditur, decedit. Deinde in tumore quocunque modo divulſo caro excreſcit, quæ hebes eſt, ſanguinem facilè fundit, & tandem nigreſcit & corrumpitur: *fungus* nominari conſuevit. Qui ubi incidit, ſpecillo, quod non difficulter recipit, tentandum eſt, altène ſit, an in ſummo tantum.

tùm. Nam ſi altè deſcendit, fieri poteſt, ut os ipſum vitioſum ſit. Supraſcriptum vitium plus quam ſarcoma timeri debet *propter febrem*, quæ duntaxat ſedimento, quod urina trahit, colligitur; & medicamentis, quæ alias proſunt, paulatim augetur ſic, ut illo non amplius tracto cibi cupiditas minuatur, ſitis accedat, lingua areſcat. Deinde *propter impetuoſam*, tumore diviſo, *carnis excreſcentiam*. Ad quam ne mercurius quidem ſublimatus inſperſus poteſt, quia plus partim ex inferiori parte increſcit, quam ab exteriori parte, quanquam cruſta non pinguibus, ſed per ſe cadit, exeditur. Partim quoniam pure liquatus aliquot molleculas cum ſanguine communicando febrem intendit, & alvum fluentem reddit. Poſthæc *propter humoris*, qui aquoſus & mali odoris ex ulcere fertur, *abundantiam* vires paulatim exhaurientem. Et noviſſimè *propter ſanguinem* ad minimum motum effluentem: magis, quia remediis ejus rei cauſa ſumptis, febris quoque augetur. E quibus manifeſtum eſt, ſi nondum plane tenet, ſed adhuc incipit, quamprimum indiciis ſuprapoſitis ſignificatur, curandum eſſe. Proinde curationis cauſa ſuper impo-

nendum eſt multiplex linteum hoc *lacte virginis*,

℞ *lithargyr: aur.* ℥iv.
*alumin: crud.* ℥ß.
*aceti vini acerrimi* ℔ij.
*Coq: ad mediet: conſumpt: & liquor effuſus detur pro lacte virg.*

quod vehementer adſtringit, madens, faſcia, quæ valenter attrahatur, ſuperdata. Illud autem linteum, dum madet, prodeſt: itaque, ut inareſcat, non eſt committendum. Id ſi parum valet, in anguſto ſpem eſſe ſcire licet. Igitur decurrendum eſt ad valentiorem medicinam, quæ eſt, vel cultro concavo ad radices velut effodiendo excidere; vel ferro candente adurendo totum conſumere. Quæ auxiliorum genera quoque, niſi id aliquæ cauſæ prohibent, neceſſaria ſunt, ubi tumori adaperto caro jam abundare cernitur. At ſi os ipſum unà vitiatum eſt, quod tamen rarò evenit, poſteriori ſolo uti convenit. Eorum alterutrum ſi ferre aliquis recuſat, tumor ſcalpello non dividendus eſt, ne dum curatio adhibetur, noxa afferri videatur. Sed ut per ſe aperiatur, ſinendum eſt. Adhæc carnem excreſcentem, ſive rubra & pura ſit, ſive nigra & putrida, evincere unguentum Ægyptia-

cum

cum per ſe injectum non poteſt, ſed caro enaſci continuat. Idem intelligendum eſt de *aqua viridi Hartmanni*, cujus compoſitionem capite trigeſimo ſeptimo poſui. Quamvis ulcus ſic repurgant, carnemque ſupercreſentem aliquomodo coërcent, ut etiam integræ vel nihil, vel leviſſimè noceant. Præterea vel valentiſſima erodentia, ut eſt, mercurius ſublimatus, non opitulantur. Et adhuc minus auxilii eſt in butyro antimonii & oleo vitrioli. Neque ipſe lapis corroſivus, ſi locus uſum permittit, ſatis efficax eſſe mihi videtur, licet eum utpote alkalinum minus reſpondere exiſtimem. Sed exedentibus ulcus paulatim latius patere, nec carnem vitioſam infra cutim conſumi poſſe uſus oſtendit. Dumque adhibentur, ea quæ circa ſunt, linteolis emplaſtro diapalma illitis contegi debent, ne ipſa quoque per imprudentiam exulcerentur. Inter hæc febris deterior fit, quò medicamenta & victus ratio, quæ capite vigeſimo primo ſcorbuto ſuccurrere propoſui, & in hoc vitio quoque plurimum proficere judico, faciunt. Et ea etiam, quæ febri præſidio ſunt, adhibendo, morbus incrementum capit. Tandem febris; humoris, qui effluit, abundantia; & ſanguis, qui,

membro, quod malum habet, moto, interdum exit, hominem ſenſim conſumunt ſic, ut diu tractus animam amittat neceſſè ſit.

## CAPUT LXXI.

### *De ſarcomate in glande colis excreſcente.*

INterdum *ſarcoma* carnis firmioris *in glandem penis incidere* uſu cognitum eſt, quod hoc modo naſci videmus. In initio hæc pars cum glande, & cute, quæ ſuper eam eſt, modicè tument. Deinde tuberculum è circulo glandis exoritur, quod duriuſculum eſt, & piſi magnitudinem non excedens veſiculam cruentam repræſentat. Id ſi ſcalpello inciditur, quod majori cum dolore & reſiſtentia quam in veſicula evenit, guttula lymphæ ſanguine tinctæ exit, quam protinus paululum ſanguinis ſequitur ſic, ut è tuberculo nihil minuatur. Cum jam cutis ulterior pars reducta eſt, & quoniam tumida eſt manet, vitium in die augetur, donec vel nucis juglandis magnitudinem adimpleat. Curatio adverſus illud, ubi ſcalpello uti æger non patitur, corpori me-

medicamentis erodentibus adhibetur. Tuberi *cantharidibus* impositis exulcerato *pulvis arsenicalis*, cujus compositio capite quadragesimo posita est, inspergitur; deinde linamentum siccum supradatur, & super id emplastrum tenax. Duodecim horis interpositis, crusta tenuis inducta conspicitur, quæ tunc bis die penicillo ex *butyro antimonii* illinitur, & linamento cum emplastro, sicut jam retuli, contegitur. Ob hoc butyrum crusta instar cretæ albæ albescit; ingens dolor excitatur, qui vel ad ipsa femora venit; penisque & scrotum cum tumore inflammantur. Hisce verò ut, quoad fieri potest, occurratur, super emplastrum defensivum injiciendum est. Sed ubi jam accesserunt, cataplasmate viscido & leniter discutiente, quale capite quinquagesimo nono comprehendi, opus est: quamvis non antè, quam dolor solutus sit, finiuntur. E quo interdum etiam febris concitatur, cui mixtura antifebrilis capite vigesimo primo descripta, addito laudani opiati grano, idonea est. Inter hæc ob continuatum butyri antimonii usum crusta indurescit; & tam altè descendit, ut totus tumor, licet nucis juglandis magnitudinem æquet, in eam convertatur. Quod si factum est, id

quoque ſequitur, ut imponendum unguentum baſilicum ſit. Deinde ubi cruſta excidit, ulcus ſicut alia curatur. At ſi fit, ut nondum ob magnitudinem ex toto conſumptus reperiatur, ad eadem recurrendum eſt. Cæterum ubi curatio ſcalpelli ægro placet, ad radices excidendus eſt; ſanguis linamentis *calce viva* liberaliter reſperſis, pulvillis, & faſcia, omnibus manu ſuper compreſſis, utendo ſupprimendus. Solvi autem tertio die ſatis eſt, & deinde, ut ſupra mihi dictum eſt, ſanari.

## CAPUT LXXII.

### *De ſarcomate in oris labio excreſcente.*

ETiam interdum uſu venit, ut *ſarcoma*, quod è carne *non admodum firma* conſtet, *in oris labio* naſcatur. Siquidem tuberculum molle eſt, & reſiſtit, perinde ac ſi ſaliva viſcidiori repletum ſit, quum inciſum non niſi ſanguinem emittat. Infantes ei utplurimum opportuni, & quidem in labro inferiori, deprehenduntur. Deſiderat verò ſcalpelli curationem, quæ hoc modo adhibetur. Parvulus à miniſtri unius brachiis,

& ab altero caput ſublime, clara luce, tenetur. Tum chirurgus manu ſiniſtra labium invertit, & ita ſervat, dum dextra novaculam ſtupa ad manubrium, ne labet, deligatam apprehendit, & tumorem altè & latè ad radicem excidit. Nam niſi totus tollitur, ad cicatricem quidem venit, ſed non ita diu poſt renaſci animadvertitur. Hoc facto, ferè adhuc de tenui cutis habenula dependet, quam protinus forfice dividere oportet. Jam ex ea vulneris parte, quæ aurem reſpicit, radius ſanguinis effunditur. Neque reliqua plaga ob pueri fletum non ſanguinem impetuoſè fundit. Ergo capite etiamnum ſublimi, & labio inverſo habito, chirurgus fruſtulum unum atque alterum *boviſtæ* molliculum, in quod *bolus Armena* optimè trita largiter conjecta ſit, ut promptè poteſt, ſuper vulnus imponit, digitis ſuper comprimit, & ſupradat vinculum, quod ab utraque parte ſatis attrahat, & aciculis pileolo affigat. At ejus, qua medium eſt, fines ab interiori & exteriori parte filo ita reſtricti ſint neceſſè eſt, ut labium cum iis, quæ admota ſunt, curioſè complectatur. Quod ſi adhuc tantillus ſanguis exit, ibi fruſtulum boviſtæ cum altero vinculo adjiciendum eſt. Imo tertium vinculum

lum cum fruſtulo boviſtæ, ſi qua ſanguis etiamnum transmittitur, ſuperinjici opus eſt. Hac autem ratione ſanguis facilè quieſcit, licet parvulus horam unam aut alteram ploret antè, quam ſomnum capiat. Ad quem tamen aliquid confert vigilia aliquot horis ante operationem corpuſculi motu aliove modo continuè expreſſa. Duodecim horis ab ea, detecto vulnere, ſanguis ſuppreſſus cernitur. Proinde jam emplaſtro citrino capite vigeſimo quarto poſito, quod paululo balſami Arcæi capite trigeſimo ſexto deſcripti illitum ſit, cum linteolo quadruplici & vinculo ſupraſcripto ſuper vulnus utendum eſt, donec rubrum & purum ſit. Verum ejus pars exterior conſideranda eſt, num ſub iis viſcidum contrahat. Quod ſi ſit, *emplaſtrum citrinum ex balſamo ſulphuris terebinthinato*, donec molle fiat, *liquatum* imponendum eſt. Tandem *emplaſtrum diapalma* optimè ad cicatricem perducit. Per hæc auxilia longè celerius, quam per mel roſarum ſanitas redditur. Et quomodo hujusmodi vitium ſcalpello & manu in adulto curandum ſit, ex iis, quæ ſupra comprehendi, facilè colligi poteſt.

C A-

## CAPUT LXXIII.

### *De gutta roſacea.*

*Cauſæ* verò *remotæ* hujus vitii non ab iis abhorrere mihi videntur, ob quas hydropem capite duodecimo contingere propoſui. Quamvis plerunque potiones valentis materiæ, maximè vinum quodlibet, ex eoque diſtillatum ſpiritum, intemperanter ſumpta illud excitare comperimus. Ea namque ſanguinem viſcidum reddunt, qui arteriolis glandularum per cutim, qua facies contegitur, diſperſarum inhæreſcens, cœlo frigido eo conferente, *cauſam proximam* conſtituit. Hoc autem malum, cui *guttæ roſaceæ* nomen eſt, rubedine faciei, puſtulis, & interdum ſqamulis albis cognoſcitur. Difficulter ſanitatem admittit, quæ tamen dari poteſt, ſi cauſas remotas æger fugiat; faciem calidam habeat; in cibis aromata acria, quæ ſunt, piper, zinziber, ſinapi, ſimiliaque ſumat; ſale volatili oleoſo utatur, ſicque materiam noxiam diſſolvat, ut pilulis de gummis purgantibus capite tertio traditis moliendo dejectiones, illa diſſoluta in inferiora depellatur. Vel curationem adverſus

luem

luem veneream in hac valetudine adhibere expedit ſic, ut maximè intra *eſſentiam cantharidum*, & *mercurium præcipitatum rubrum* manendum ſit. Inter hæc interdiu ſubinde facies madefacienda eſt aqua florum fabarum, è qua tribus unciis drachma mercurii præcipitati albi adjecta ſit. At noctu emplaſtrum diapalma, in cujus uncia drachma mercurii vivi ſit; vel cataplaſma ex farina avenacea in aqua cocta; vel emplaſtrum efficacius ex oleo, lithargyro, & aceto, quod capite quadrageſimo propoſui, impoſitum habendum. Verùm ſciri licet, ſub emplaſtro diapalma mercuriali hunc morbum ferè diſcuti; & ſub alterutro ex inſequentibus ſanum colorem reddi ſic, ut tantillum pus maturum in puſtulis concitetur, quæ eo expreſſo quoque finiuntur. Tamen credo, quo pejus id malum eſt, minusque facilè ſanatur, eo plura tentanda eſſe; quæ in perſonis variè reſpondebunt.

# CAPUT LXXIV.

## *De lienis & hepatis induratione.*

HOrum etiam morborum *causas remotas* easdem, quæ hydropis, de qua capite duodecimo retuli, esse existimo. At sanguis viscidus, qui manans per extremarum arteriolarum fasciculos lienis subsistendo iter claudit, hujus partis induratæ *causa proxima* est. Et quia pars sanguinis viscidior & crassior *mechanicè* ad lienem decurrit, ideo hoc vitium crebrius incideret, nisi sanguis ob infinitas, easque subtilissimas arteriarum ramificationes divideretur adeoque attenuaretur. Siquidem non tam frequens est, ut vulgus medicorum credit, quoniam durities, quæ ibi tactu sentitur, sæpe aut è crasso humore est, qui inter abdominis musculos, & peritonæum residet; aut glandularum, quæ in hac membrana, in omento, & in mesenterio sunt, obstructio est; aut denique ex intestino pleniori, qua à parte ventris sinistra recumbit, stercore crassiori obsesso, pendet. Lienem verò induratum esse cognoscitur, ubi sini-

stra

ſtra parte ſub coſtis ſpuriis durities eſt. Qua ingente, præcipuèque cum corporis vehemens motus eſt, gravitas moleſta, imo ſpiritus difficultas vexat. In pueros ſæpiſſimè, & quidem præſertim vel ob fructuum acidorum abuſum; vel ob febrem aliquam intermittentem, quæ diu maneat, incidere conſuevit. Imo ob lactis dulcis abuſum, quippe quod in primis infantium nonnullorum viis facilè aceſcit. Hinc invenias, qui hoc genere utentes langueſcunt; ſed ab eo vacantes paulatim ad bonam valetudinem perveniunt. Hoc autem malum in quibusdam nulla ope adjuvari poteſt; in quibusdam ſanabile eſt. Quod primum diſcrimen noſſe oportet, ut alteris ſuccurratur, alteris manus non injiciatur. Ac ſupervacua curatio eſt in his, quibus non hujus viſceris unius hoc vitium, ſed & totius corporis malus habitus eſt. Item, quorum ætas multùm proceſſit; quique victus nullam curam habere volunt aut poſſunt: maximèque cum morbus inveteravit, & gravis eſt. In cæteris non omnino res deſperationem habet. Itaque genus victus tale eſſe debet, quale ad hydropem ſupra præcepimus. E medicamentis *chalybeata aperientia* præcipuè omnium proficiunt, poſtquam ſanguis è pe-

de,

de, ſi corpori abundat, miſſus eſt, data. Hæc enim vel potiſſimum lienem extenuant. Quod animadverſum eſt in his animalibus, quæ apud fabros ferrarios, ipſis aquam, qua tingere candens ferrum ſoliti ſunt, dantes, educata exiguos lienes habent. *Tinctura martis aperiens* digna eſt, quæ in frequenti uſu ſit. Ex limatura martis uncia, & unciis tribus tartari Rhenani optimè triti præparatur. Quæ in vas ferreum demittuntur, & ſuperinfunditur multa aqua: atque id ita coquitur, donec aqua nigreſcat ſic, ut in conſumptæ locum nova ſubinde infundatur. Aqua nigra, ubi ab igne remotum aliquamdiu ſtetit, in aliud vas effunditur; rurſus aqua infunditur, coquitur, & ſicut jam poſui agitur. Tandem ubi aqua coquendo non amplius nigredine tingitur, cui rei aliquot dies neceſſarii ſunt, omnis ea, quæ nigra facta eſt, ſimul incoquitur uſque, dum ei cereviſiæ jopenſis craſſitudo fiat. Et quia, ſi diu ſervatur, malus odor accedit, aliquid *ſalis armoniaci* tritum immitti opus eſt. Hujus autem tincturæ ter die ad drachmam in potione aſſumere licet, cum eo, ut pueris minus pro ætate detur. Neque ſane etiam rejiciendus eſt *mars aperitivus Williſii*, qui hac ratione fit. Limaturæ

martis puriſſimæ pars una optimè teritur, cui tartari Rhenani itidem contriti dimidio plus adjicitur. Hisce affunditur vinum Rhenanum, donec inde globuli formari queant. Qui in aëre exſiccati furno, dum panes triticeos aliquis ingerit, una committuntur. Deinde cum panibus coctis globuli depromuntur, conteruntur, adjecto vino Rhenano iterum formantur, & ut prius ſiccati furno creduntur. Ubi id quater factum eſt, mars aperitivus, qui niger eſt, habetur, guſtum efficiens non alienum ab eo, quem à ſupraſcripta tinctura excitari ſentimus. Datur autem ter die drachma dimidia. Quolibet humore, non tamen ex toto inſtar ſalis, dilui poteſt. At ſi ex aqua fontana, vel pluviatili diu cocta liquatur; hæc, ubi aliquot dies ſtetit, ſupernatans in phiolas linteis ſulphuratis accenſis intus ſuffumigatas infunditur; eæque obturantur; *aqua ſpadana artificialis* erit parata. Sed & ante ſcirii volo, id, quod ſubſidit, iterum eadem aqua diluendum eſſe, idque toties faciendum, donec ea tingi deſinat. Item, in ſulphure, quo liquato linteum craſſum trajectatur, paulum coriandri bene triti eſſe debere. Hujus verò aquæ, cujus color ad rubedinem vergit, quotidie aliquot libras, vel quantum

tum libet, bibere convenit. Nec etiam aquam à ferrario fabro, in qua candens ferrum ſubinde extinctum ſit, per chartam bibulam colatam, ferventem, & folia thee habentem ſorbere inutilè eſt. Porro, quia auxilium pro opibus eſſe debet, ne humili deſit, *limaturæ martis contritæ & cribratæ* ſcrupulum ſingulis diebus ſumpſiſſe etiam expedit. Sub hujusmodi remediis quotidie pilulis de gummis purgantibus, quarum compoſitio capite tertio poſita eſt, utique donec alvus tantum liquida ſit, uti neceſſarium eſt. Quas ego ſanè *pilulis ſpadenſibus Elichmanni* præferrem. Hæ tamen, ſi cui arrident, hoc modo fiunt.

℞ *martis cum ſulphur: calcin.* ʒij.
*gumm: ammoniac: depur.*
*ſcammon: ſulphurat.* añ. ʒj.
*Terantur in mortario vitreo, ut fiat cum* ſ. q. *ſyrupi roſar: ſolut: cum rheo, & alcohol vini ana maſſa pilularum.*

E quibus à granis octo ad quindecim, vel ſcrupulum quotidie exhibentur. Ubi puer laborat, pilulas perquam exiguas foliisque

argenti obductas esse, & cum granis hordei majusculis ex lacte dulci coctis inscio dari commodissimum est. Inter hæc extrinsecus *ceratum de cœpis* capite tertio communicatum, largiter membranulæ illitum, & super durum locum datum prodest. *Emplastrum Rustingii* capite trigesimo quarto propositum minus quidem emollit, sed melius locum servat; diuque in eo manens nimis exaresçit. Itaque præstat utrumque pari portione miscere, & adhibere: magis, quia sic minus periculi est, ne ob ceratum pustulæ, pruritus, & limphæ fluxus eveniant. Ut noctu quoque *è cœpis cataplasma* capite quarto descriptum ventri, qua durities est, circumdetur, author sum, quippe cum adhuc plus ad eam possit. Siquidem hæc medicamenta è cœpis longè efficaciora ad dissolvendum, & emolliendum, quam emplastra, in quibus gummi depurata ammoniacum, galbanum, sagapenum, similiaque (quæ τεθεραπευμένα Græci, latini *curata* appellant) sunt, deprehenduntur: quamvis vel argentum vivum terebinthina extinctum iis additum sit. Cæterùm ut sanguis viscidior causa proxima lienis indurati est, ita ex eadem causa *hepatis indurationem* nasci judico: magis, quia

quia in eo pauculæ arteriolæ ſunt, & bilis fermentum tenue, è ſanguine ſecernitur. Etenim quin ramuli venæ cavæ vel portæ, quibus pars hepatis gibboſa & concava gaudent, obſtructi ſint, penes me dubitatio eſt nulla. Si namque acinos glanduloſos obſtructio haberet, hominem unà ictero laborare neceſſarium eſſet. Porro, febris lenta ferè adeſt, & dextra parte ſub coſtis nothis durities tactu ſentitur, quæ manu preſſa dolorem movet; interdum protuberat; & tandem nonnunquam ſuppurat, accedente cruribus œdemate. Ubi pus maturum eſt, febris major eſt, dolorque, duritie etiam intacta, moleſtiſſimus. Igitur neceſſitas ſcalpello dividendi abſceſſum eſt. Quod tamen non periculo vacat; ut neglectum quoque periculum, ne intus erumpat, affert; morte utplurimum utrobique varia mala nata ſequente. Quando durities magna eſt, æger quoque ſenſu gravitatis premitur. Ubi cibo ſumpto præcipuè torquet, idque cum vomitu, concavam viſceris partem affectam eſſe indicatur. Verum ſi difficulter aliquis cum anguſtia ſpirat, ejus gibboſam partem tumere ſignum eſt. Cum tumor ligamento hepatis proximus

eſt,

eſt, dolor per medium pectus aſcendit. Adhæc, quia jocinoris & lienis induratio ex eadem cauſa eveniunt, eadem quoque auxilia adhibenda eſſe, ut ſanitas reſtituatur, manifeſtum eſt. At ſi ſuppuratio ſit excitata, ſicut alia curanda eſt. Poſtremò quia in hepatis induratione vaſcula ſanguinea obſtructa ſunt, & aliquid interdum abſcedit, ideo veriùs inflammatio cum tumore conjuncta vocanda venit.

# FINIS.

IN-

# INDEX

*Cauſarum, atque morborum ex iis natorum, quæ hoc volumine proponuntur.*

Cap.


1. CHymus juſto craſſior eſt cauſa *ſtomachi gravitatis celeriter ortæ.*
2. Chymus juſto aquoſior *ſtomachi imbecillitatis.*
3. Stercus viſcidius *tumoris farciminalis.*
4. Stercus viſcidius muſcarum ovula habens *lumbricorum.*
5. Pituita inteſtinalis copioſior & viſcidior *affectionis cœliacæ.*
6. Pituita inteſtinalis ſuperans *flatuum.*
7. Flatus *miſerere mei.*
8. Chylus viſcidior vaſa lactea claudens *aſcitis humoralis.*
9. Chylus viſcidior in ſanguine *lactis penuriæ*; & teuior in eo, lactis *abundantiæ nimiæ.*
10. Sanguis nimis alkalinus volatilis acris, aliquantò viſcidior, & ſupra modum fermenteſcens *ſanguinis curſus.*

*Cap.*

11. Sanguis ſalinus volatilis corroſivus *peſtilentiæ.*
12. Sanguis juſto viſcidior *hydropis.*
13. Sanguis juſto viſcidior in arteriis uteri *menſium ſuppreſſionis, & chloroſis.*
14. Sanguis juſto viſcidior in arteriis corticis cerebri *animi deliquii.*
15. Sanguis molleculas ſalinas mercurialibus ſimiles habens *ſalivationis ſpontaneæ.*
16. Sanguis molleculas vomitoriis ſimiles habens *vomitus.*
17. Sanguis molleculas purgantibus ſimiles habens *alvi fluxus.*
18. Sanguis molleculas acriores purgantibus ſimiles habens *dyſenteriæ.*
19. Sanguis cum molleculas purgantes, tum maximè vomitorias habens *choleræ.*
20. Sanguis alkalinus volatilis, & paulùm viſcidus *ſcorbuti.*
21. Sanguis ob particulas pravas perturbatè mixtus *febris continuæ.*
22. Sanguis ob molleculas ſalinas volatiles corroſivas perturbatè mixtus *febris malignæ.*

23. San-

*Cap.*

23. Sanguis ſalſus & parum viſcidus *atrophiæ.*

24. Sanguis ob ſal aliquod volatile corroſivum viſcidiſſimus *luis venereæ.*

25. Sanguinis abundantia *paralyſeos ſanguineæ.*

26. Sanguinis cacochymia *ulcerum in genere; & de iis, quæ in pulmone conſiſtunt.*

27. . . . . *ulcerum, quæ ad interiora pectoris perveniunt.*

28. . . . . *ulcerum, quæ ad inteſtina penetrant.*

29. . . . . *ulcerum in ſtomacho & inteſtinis.*

30. . . . . *ulcerum renum.*

31. . . . . *ulcerum in veſica.*

32. . . . . *ulcerum in fiſtula urinæ.*

33. . . . . *ulcerum in genitali, ejusque cervice.*

34. Sanguinis cacochymia viſcida *ulceris viſcidi.*

35. . . . . *ulceris cum oris duris; & fiſtulæ.*

Cap.
36. Sanguinis cacochymia viſcidoſalſa *ulceris dolorifici.*
37. Sanguinis cacochymia viſcida & alkalinoſalſa *ulceris putridi.*
38. Sanguinis cacochymia viſcidiſſimoacida *ulceris nomæ.*
39. Sanguinis cacochymia viſcida & acidoſalſa *ulceris phagadænici.*
40. Sanguinis cacochymia viſcida & erodens ſalſa *ulceris cancroſi.*
41. Sanguinis cacochymia aquoſoſalſa *ulceris virulenti.*
42. Sanguinis cacochymia alkalinovolatilis & viſcida *ulceris hyperſarci.*
43. Sanguinis cacochymia *ulcerum in locis carnoſis, tendinoſis, os contingentibus, juxta articulos, & in partibus glanduloſis.*
44 . . . . . *ulcerum in oculis.*
45. . . . . *ulcerum in ano, in umbilico, in auribus, in palpebris, in naribus, in labiis, in ore, in cruribus, & in manibus.*
46. Sanguinis cacochymia *ulcerum cum oris tumentibus; & ulceris ob aliquod non*

Cap.

*non naturaliter in corpore hærens exſudantis.*

47. . . . . *ulceris ob ſinum ex abſceſſu magno natum exſudantis.*

48. . . . . *ulceris ob os vel cartilaginem vitioſam exſudantis.*

49. . . . . *ulceris ob tendines nervosque corruptos exſudantis.*

50. . . . . *ulceris, è quo ſaliva, vel lachrymæ profluunt.*

51. . . . . , *ulceris, è quo lympha profluit.*

52. . . . . *ulceris, è quo urina, vel chymus ſtercusve profluit.*

53. . . . , . . . . *ulceris circa anum, è quo ſtercus profluit.*

54. . . . . *ulceris ob humiditatem nimiam exſudantis.*

55. Sanguis viſcidior & ſalſus vaſcula ſanguinea per membranas diſcurrentia anguſtans *inflammationis in genere; & ejus, quæ membranis cerebri incidit; pleuritidis, & peripneumoniæ.*

56.

Cap.
56. . . . . *oculorum inflammationis.*
57. (*De fonticulis & ſetaceis.*)
58. . . . . *anginæ.*
59. . . . . *cutis inflammationis.*
60. . . . . *morbillorum & variolarum.*
61. . . . . *eryſipelatis.*
62. Sanguis viſcidus & acris partes contiguas extrinſecus exulcerans *partium coaleſcentiæ.*
63. . . . . partem unam extrinſecus exulcerans *carnis in genere; & ejus, quæ juxta dentes in gingivis & palato oritur.*
64. . . . . *polypi.*
65. . . . . *encanthidis.*
66. . . . . *caruncułæ in umbilico infantium natæ.*
67. . . . . *carnis in fiſtula urinæ, fine ureterum, in collo veſicæ, & in ſtomachi orificio ortæ.*
68. Sanguis viſcidus & acris ipſam corporis carnem intrinſecus quaſi exulcerans *corporis carnis in nimiam magnitudinem excedentis.*

*Cap.*
69. . . . *ſarcomatis.*
70. . . . *ſarcomatis fungoſi.*
71. . . . *ſarcomatis in glande colis excreſcentis.*
72. . . . . *ſarcomatis in oris labio excreſcentis.*
73. Sanguis viſcidus arteriolis glandularum per cutim faciei diſperſarum inhæreſcens *guttæ roſaceæ.*
74. Sanguis viſcidus vaſcula ſanguinea lienis vel hepatis obſtruens: *lienis & hepatis indurationis.*

# FINIS.

Errata præcipua.

Pag. 255. lin. 24. pro *interiori* lege *anteriori.* p. 283. l. 24. non, del. p. 407. l. 6. pro celeriter leg. celeritati. p. 424. l. 12. pro imus leg. mollia. l. 13. pro ſedet, leg. reddit.

EMBDÆ.

---

Typis E. TREMEL, & H. à SENDEN,
Typographorum & Bibliopola-
rum. 1708.

# Cultellus globosus cum specillo sulcato.

a.a.a.a. Specillum sulcatum ex orichalco confectum, sed justo brevius depictum.

e.b.b.b. Sulcus ejus amplus rotundus, et lævis.

c. Capitulum globosum cultelli.

d.d.d.d. Cultellus, cujus capitulum sulco specilli excipitur.

b.b.b. Pars sulci summa, angusta, ne capitulum ex eo exsiliat.

g. Pars specilli extrema convexa, quo facilius in sinus subintret.

h.h.h. Manubrium planum et magnum.




Fig. 2

Fig. 3.

Fig. 1.



## Hypocaustum sudatoriū

Per cujus duo foramina calor prunarum intus positarum adjacentis corpus denudatum seratus.

Tab. 2.

a.a.a.a. Tenuis lamina ſemicircularis ferrea.
b. Una ejus extremitas.
c. Ligula è corio vitulino facta.
d.d.d.d. Ambæ ejus partes.
e. Plana ſibula duplex.
f. Altera laminæ extremitas.
g. Annulus.
h. h. Cochlea.
i. Arcus.
k. Annulus.
l. l. Clavicula.
m. Lamella circularis.
n. Parva cochlea.

Fig. 4.




Inſtrumentum ciliare Aquapendentis.

Fig. 5.



Vinculum lumbare.



Fig. 7.

Fig. 6.

Tab. 3.

Fig. 8.

Pes caprinus.

Fig. 9.

Fig. 10.



Pars globoſa.

Syringotomus.

Pars ſcindens.

Fig. 11.



Tab. 4.



Fig. 12.

Fig. 14.



Fiſtula à Parte anteriori.



Fig. 13.

Fig. 15.

Fiſtula à Parte laterali.

Tab. 5.

a. a. a. a. Duo folia.
b. b. Eorum distantia.
c. Commissura.
d. Foramen.
e. e. e. e. Duo manubria.

Forceps oblonga.

Fig. 16.

Rostrum anserinum.



Fig. 17.